
mn l'e


NAZIONALE
8
55 A
19
ROMA
R. BIBLIOTECA
CENTRALE V. E. II

AMORIS DIVINI OCCVLTÆ SEMITÆ,

IN QVIBVS VERA COELEstis sapientia & Regnum Dei quod intra nos est, absconditum latet.

IN DVAS PARTES DIVISAE.

PRIMA, *continet quædam puncta maximè necessaria ei, qui proficere cupit in* VIA PERFECTIONIS.

SECVNDA, *integram descriptionem totius* VIAE ORATIONIS MENTALIS

AVCTORE

R. P. F. CONSTANTINO DE BARBANSON *Prædicatore Capucino, & Conuentus Coloniensis Guardiano.*

COLONIÆ,

Sumptibus BERNARDI Gualteri,

Anno M.DC.XXIII

Cum Priuileg. Cæsar. Maiest. speciali.



REVERENDISSIMO ET Sereniss. Principi FERDINANDO *Dei gratia, Archiepiscopo Coloniensi, Sacri Romani Imperij Principi Electori, Episcopo Leodiensi, Paderbornensi & Monasteriensi, Administratori Hildesheimensi & Berchtesgadensi, Comiti Palatino Rheni. Duci. Vtriusque Bauariæ Angariæ & Bullonij. Marchioni Francimontensi, Comiti Lossensi, Hornensi, &c.*

SERENISSIME PRINCEPS.



I tantùm in Religiosorũ Monasterijs, abditis Eremitarum cauernis, vastisquè solitudinibus, & ab hominũ conspectu remotissimis

locis, familiàres suos, sibiq́, deuotos, & ad Diuinũ suũ Amorem anhelantes haberet Deus: & nõ etiã Mundus eos homines aleret, qui inter medios temporaliũ negotiorum strepitus, curarumq́; sæculi huius fluctus, nõ adeo ad exteriora se effundunt, aut affectu se ita in res caducas immergunt; quin meliorem ac potiorẽ sui partem Domino Deo, quem supremũ in toto hoc vniuerso bonũ desiderabile super aurum & lapidem pretiosum multũ, agnoscunt, consecrare solent. Non immeritò absurdum quid viderer cõmisisse, quod opuscullum istud, quo secretiores diuini amoris viæ continentur: Serenissimæ Celsitudini Tuæ: id est, tanti Nominis excellentiæ, ac sublimitatis Principi, qualẽ in Celsitudine Tua totus

mira-

miratur orbis, dedicare voluerim; quę ad nihil minus quam ad talium materiarum lectionem (alios libros à cōditionis suę similibus legi solitos longè transcendentiū) affici, permulti sibi persuadere possent. Sed cū quotidianâ experientiâ cōpertum habeamus Deum, qui operatur omnia secundū consilium volūtatis suæ absq; personarum acceptione; ab omnibus illis inueniri, qui quærunt illū in veritate, ac prope adesse omnibus, qui inuocant nomen eius, ac insuper in omni gente, sexu, conditione, & statu quicumq; timet eum & operatur iustitiam, acceptus est illi, hoc velim nolim in eam sententiā me adducit, vt planè credā, neminem, qui Serenissimæ Celsitud. Tuę pietatem singularem, virtutes admirandas & præcla-

rissima in Rempublicam Christianam merita habeat explorata demiraturum, quod hunc Tractatum sub Serenissimi nominis eius auspicijs in lucem prodire voluerim. Quamquam enim ex amplitudine Domus Bauaricæ oriunda, ad Archiepiscopalis dignitatis culmen euecta, Et in sacrum Septemvirale, Collegium associata, ad tot insuper Ecclesiarum, Prouinciarum atque Diœcesium administrationem Regimen & curam electa sit & postulata Celsitudo Vestra, ac proinde in diuersas fortè partes, rapiant diuidantque animum, tot curæ & sollicitudines, quæ humanæ dignitatis illud fastigium in vtroque statu Ecclesiastico & ciuili necessario Comitari solent: Cum tamen

diui-

diuini honoris zelus, Catholicæ fidei propagatio & defensio, incredibile salutis animarum desiderium, continuaque zizaniorum hæresis extirpatio, ac lolij vitiorum eradicatio, cum hæc inquam sint quæ Serenissimæ Celsitudini Vestræ animum addant ac penè sub tanto laborum mole labentem fulciant, vt inter medias tot occupationum ac publicarum turbarum vndas, respirare valeat: Tantùm abest vt labores illi pro tam iustis, necessarijs, ac prægnantibus causis suscepti & rectâ intentione ad DEI Amorem gloriam & honorem relati Serenissimam Celsitudinem Vestram à percurrendis occultis istis semitis quæ hoc libello continentur impediant & auocent: vt planè mihi potius

persuasum habeam, occupationes illas cũ cæteris admirandis dotibus ac planè diuinis, quib⁹ Seren. Celsit. Vestræ animam Deus mirificè ornauit, coniunctas promptissima ei fore media, directissimamq; viam, quibus, accedente gratiâ Diuinâ, ad fruitionẽ veri Spiritûs Dei peruenire possit: Si modo hæc secreta diuina in animum suũ admittere queat, ac firmissimè credere, quod à Diuinâ liberalitate opinione nostra longè simus ampliora atque cumulatiora bona accepturi, si ad eam toto corde aspirare planissimè nobiscum decreuerimus.

Huius enim rei locuples testis est Regius Propheta, qui circumstrepẽte licet bellorum tumultu, & publicis Regni sui curis animum alio auocãtibus, impediri tamẽ non potuit, quin

has

has omnes semitas perambularit, ac per eas in hominem secundùm cor Dei euaserit.

Idem testatur S. LVDOVICVS Rex Franciæ, quem tanti regni moles deprimere non potuit, quin ad veram sanctitatẽ vitæ cõsequendam assurgeret. Idem comprobat alius S. LVDOVICVS, Regis Siciliæ filius, Episcopus Tolesanus, & Beatissimi Patris N. S. FRANCISCI Ordini adscriptus, qui medio ætatis flore, immaturâ morte præreptus, Ecclesiæ Dei præesse ac viuere desijt, relinquens mundo puritatis, innocentiæ, ac Sanctitatis odorẽ nullo vnquam tempore intermoriturum. *Sic* & ego dicere nõ vereor, quod nec magnitudo aut excellentia conditionis, in qua *Serenis.* Vestra Celsitudo à Deo est collocata, neq; tot sollicitudinum ac ne-

gotiũ rũ multitudo,eã ab acqui-
sitione graduũ Diuini Amoris
q hoc libello cõtinentur, inhi-
bere possint.Quinimò aliunde
potius,hanc gratiæ diuinæ aurã
potissimũ,pmouent tot diurnę,
nocturnęq; Preces,quas infinit9
ppemodũ Religiosorũ ac pio-
rũ vtriusq; sexus hominũ,qui&
beneficã ac liberalem eius mu-
nificẽtiam quotidie experiun-
tur,&ab eâdẽ in seruitio diuino
clemẽter protegũtur, numerus
ad Deũ fundit; Participatio in-
super tot bonorũ operum,q̃ sub
ei9 trãquillo ac felici regimine
quotidie fiũt; Suffragia etiã pu-
blica &priuata,q̃ pro spirituali
ac tẽporali salute atq; incolumi-
tate Ser.Cel.Vestrę singulis pe-
nè horarũ momẽtis ad Deũ cõ-
cipiũtur;sodalitas quoq;Archi-
Confraternitatis Sãctis. Crucis
Dom.vnà cũ omniũ bonorum
ope-

operũ ac meritorũ noſtri Ordinis cõmunicatione, quę Cõfraternitatẽ iſtã in Eccleſia Cõuentûs noſtri Colonieñſis erectã comitatur: ſed inprimis infuſarũ & acquiſitarũ Virtutũ cumulus, quas Deus iã antè in eius Anima inſeuit, Modeſtia & Comitas, Nataliũ ei⁹ magnitudinẽ ſuauiter tẽperãtes; Maturitas & Prudẽtia, cũ eius eminẽtiâ cõditionis apprimè cõueniẽs; Cãdor & Integritas eius vitę puritate atq; caſtimoniâ illuſtris, & ab omni ſiniſtrâ ſuſpicione ꝓcul remotæ; zel⁹ animi feruẽtiſſimus, ſeruos Dei, & ꝓcuratores ſalutis animarũ, omni gratiâ, fauore, & auxilio ꝓſequẽdi; Pietas ei⁹ inſignis, & incõparabile Deſideriũ in Seruitio Diuino magis magiſq; promouẽdo ac illuſtrãdo; Hæc omnia, & alia plura, quæ libens prætereo, facere nõ poſ-

ſunt, quin Domino Deo iamdudum in Sereniſſ. Veſtr ę Celſitud. Animâ Tabernaculũ, velut magnificentiſſimũ aliquod Templum, & elegantiſſimum amœniſſimumque deliciarum Hortum præpararint; & quòd non niſi iure optimo hunc exiguum Tractatum, eo potiſſimùm fine ſcriptum, vt manifeſtum fieret, per quas Occultas interiores Semitas ad plenam fruitionē diuinæ bonitatis perueniri poſſit, Sereniſſimæ Celſitudini Veſtræ offerre pręſumpſerim, vt ſi fortè ad eam humilitatem deſcēdere voluerit, vt eum perlegere nō dedignetur, cernere poſſit mirabilia Dei, quæ in Animâ efficit, cùm à Diuino eius ſpiritu diſponi, duci, regi ac dirigi ſe non recuſat.

Hæc certè ſeria admodum

ſunt,

ſunt, præclara, & admiranda, vt felicitate atque pretio ſuo omnem totius Mundi gazam, excellētiâ ac æſtimatione, omnia totius Vniuerſi Imperia atque Regna lōgo poſt ſe relinquant interuallo. Conſtituunt enim reipsâ in abditiſſimis animarū noſtrarum receſſibus Regnum perfectum, cuius cùm Deus ſit Rex, thronum ſuum ibi firmare, ac placidâ in pace nos gubernare cupit, vbi diuinæ eius voluntati ſe ſuaq; omnia quiſque vltrò ſubmittat; in cuius ditionem ac clientelam, ſi Sereniſſima Veſtra Celſitudo cū glorioſiſſimo titulo Vaſalli concedere, eoque cæteros ſuos gentilitios non augere tātùm, ſed etiam illuſtrare ac exornare non renuat, ab auguſtiſſimâ illa ſeruitute maior ei diuitiarum ac proſperitatis cumulus

 eſt

eſt acceſſurus, ac ſi vtraq; India & Oriētalis & Occidentalis, cū inexhauſtâ opū ſuarū abyſſo in ei⁹ iura imperiūq; eſſet trāſitura, quia infinitis modis maior diuinarū gratiarum abundātia in eā redundabit, quàm auri argētiq; moles è viſcerib. nouarū iſtiuſmodi terrarū erui vnquā

1. Cor. 2. poſſit: nā nec oculus vidit, (ait Apoſtol⁹) nec auris audiuit, nec in cor hominis aſcendit, quod Deus pręparauit diligētibus ſe.

Accipe igitur Sereniſſ. Princeps hoc exiguū mun⁹ à me, licet indigniſſimo ac minimo illius Ordinis Seraphici Patris S. Francisci, quē Sereniſſ. Veſtra Celſitudo nō tantū in hoc Colonienſi, verum etiā in Belgicâ Prouinciâ omni beneuolentiâ beneficētiaq; cōplecti nō ceſſat. Nā poſtquā in hac Coloniēſi, vt primū ad vineā Domini in eā

colen-

colēdam è Belgio eramus voca-
ti, clemētiſſimâ ſuâ gratiâ ac fa-
uore nos proſequi cępit, nec vi-
ſos antè in his terris, nec niſi no-
mine fortaſſe auditos, ita in ho-
diernū vſq; diē omni genere au-
xilij paupertatem noſtrā ſuble-
uādi finē non facit. Quā libera-
litatē agnoſcit inprimis Con-
uētus hic Coloniēſis, experitur
Paderbornenſis, ad recolēdam
perenni memoriâ tenetur iſte
Monaſteriēſis, & ne quid ad nō
in poſtremis cumulū immor-
talis noſtræ obligationis deſit,
teſtatur nouus ille in Vrbe Bō-
nenſi recens erectus Conuētus,
quò nobis primū admiſſis cu-
ras & cogitationes omnes nunc
conuertere videtur, ad media
ſuppeditanda, quib. firma ſtabi-
liſq; habitatio, Vrbis capacitati
cōformis pficiatur. Eādē inſup
munificētiā gratiſſimis animis
libera-

libentes fatentur Conuentus Leodiensis, Huensis, Dionantensis, Thudinensis, ac præsertim Malmedensis, vbi Serenissimæ Celsitudinis Vestrę splendor & Maiestas, cùm nostros non exiguâ difficultate pressos, personali suâ præsentiâ honoraret, mox tenebras maleuolorũ animorũ in aërẽ fumumq; dissipauit. Ideoq; vnanimi omnes voce Deũ supplices veneramur, vt Serenis. Celsit. Vestrã gratiarũ suarũ imbre perfundat, vitã præsentẽ, quã diuturnam ac felicem esse omnes vouemus, & labores eius fortunet, ac tandem vitę perpetuò duraturę, & immarcessibilis coronę mercedem ei retribuat. Ego interim in his terris, sum eroque quo ad vixero.

Serenis. Celsit. Vestræ Humillimus & minimus seruus in CHRISTO F. CONSTANT. de BARBANS ON.

Cum

APPROBATIO.

CVM hunc libellum à R.P. Fratre CONSTANTINO DE BARBANSON, *Ordinis Capucinorum Prædicatore, & Coloniensi Guardiano compositum, Doctoribus huius Almæ Vniuersitatis Coloniēsis tradiderim examinandum, illorumq; iudicio dignus sit iudicatus, qui imprimi possit, vtpote qui nihil quod fidei, bonisve moribus aduersetur, contineat, sed potius sapientiam loquatur pro perfectis, & ad perfectionē diuini amoris tendentibus. Ideo per me quoq; licet, vt typis mandari possit. Datum Coloniæ 22. Aug. 1623.*

HENR. FRANCKEN Sierstorphius SS. Theol. Doct. Regens Laur.

HVNC *Tractatum Secretarum semitarū diuini amoris, Authore* R. P. CONSTANTINO BARBANSONIO, *Prædicatore VValonicæ Prouinciæ Capucino, nūc vero Coloniæ Guardiano, illiusq; Prouinciæ Diffinitore, perlegi accuratissimè cum affectu, & dignissimū censui, qui prælo mandetur; nō enim solum nihil continet doctrina*

ctrina Catholica contrarium; sed è contra methodo quam hactenus viderim, familiarissima, breuissima ac tutissima deuotas animas quasi manuducit ad intimum Euangelicæ perfectionis secretum.

Ita est. FR. BONAVENTVRA BASSENSIS Capucinus Prædicator & S. Theolog. Lector in Conuentu Leodiensi. 1622. Iulij 23.

LIBER hic, *qui inscribitur*, Occultæ semitæ diuini amoris, *ex Mystica Theologia (quæ inter omnes scientias principem locum tenet) depromptus, Catholicus est & Orthodoxus, nihil continens sanæ fidei contrarium, Requirit lectorem pietatis studiosum, cui ordo, modusque procedendi licet Mysticus, apprimè placebit, quippe qui hactenus asperaplurimis visa, deduxit in vias planas. Datum in Conuentu nostro Bonnensi* 4. *Iulij* 1623.

F. MARCVS IPRENSIS Capuc. Prædicator.

Ego

EGo F. Cyprianvs Antvverpiens. *Fratrum Capucinorum per tractum Rheni Commissarius Generalis, facultate mihi super hoc specialiter facta ab Adm. R. P. Clemente à Noto Ordinis nostri Ministro Generali dignissimo, Libellum hunc, cui titulus,* Occultæ semitæ diuini amoris, *à Dominis Sacræ Theologiæ Doctoribus approbatum legi & examinaui, ac insuper per duos è nostris Patribus legere & examinare feci. Cumque eorum omnium calculo typis dignus iudicatus sit, & ego quoque illum probo, facultatemque concedo vt exire posit in lucem, ad Dei, Opt. Max. gloriam & deuotarum mentium spiritualem profectum. Datum Coloniæ 18. Augusti 1623.*

F. Cyprianvs Commiss. Gen.

IN-



INDEX CAPITVM.

PRIMAE PARTIS.

SECVNDAE PARTIS.


Secun-

tadio-

Finis Index Capitum.



SVMMA PRIVILEGII.
CAESARIAE MAIEST.



ERDINANDVS Secundus, diuina fauente gratia electus Romanorum Imperator semper Augustus, ac Germaniæ, Hungariæ, Bohemiæ, Dalmatiæ, &c. Rex, &c. Notum facimus vniuersis quorum interest demissè nos rogatos, ex parte Religiosi Deuoti nobis dilecti P. Constantini Barbansonij Concionatoris & Guardiani Capucinorum, in Conuentu Coloniensi, vt Libellum quendam spiritualem cui titulus Amoris Diuini occultæ Semitæ, &c. quem iam pridem Gallico idiomate excusum nunc & Latinè & Germanicè in publicum edere cupiat, Diplomate nostro Typographico munire clementer dignaremur, tantò libentius annuisse quãtò maior animarum fructus ex pijs id genus discursibus merito sperari solet. Omnibus proinde Typographis Bibliopo-

bliopolis & alijs quibuscumque negotiationem librariam exercentibus seriò inhibemus, ne quisquam prędictum Libellum præter scitum & voluntatem Auctoris vel P. Prouincialis, siue Latinè siue Germanicè inter sexennium à prima editionis die computandum recudere, aut alij recudendum dare, siue alibi etiam impressum intra Sacri Romani Imperij, Regnorumq; & dominiorum nostrorum hæreditariorum fines apportare, vendere vel distrahere præsumat &c. sub pœna confiscationis & sex Marcharum auri puri, omni spe veniæ sublatâ. Vt latius videre est in ipsis Patentibus litteris subscriptione, & Sigillo ipsiusmet Cæsaris munitis. Datis Ratisbonæ, die 4. Febr. An. 1623.

Virtute PRIVILEGII *Cæs. M. supra Relati. Ego* F. CYPRIANVS *Ant. Capuc. Prouin. Rhen. Commiss. General fidem facio me hanc licentiam in personam Ornatiss. Viri* D. BERNARDI GVALTERI, *Ciuis & Bibl. Colon. transtulisse hac 28. Augusti 1623.*

F. CYPRIANVS qui suprà.

DEO



DEO OPT. MAX.

SVPREMO

COELI TERRÆQVE

DOMINATORI.



VM tibi (O Summe DEVS!) *omnis loquatur voluntas, omne cor pateat, & nullum te lateat ſecretum ; Et hinc quoque nō dubium quin votorum meorum ſummam, precū mearum ſcopum, & quicquid in anima mea cogito, etiam clariſsimè perſpectum habeas. Vtinam ô Deus meus. Miſericordiarum Pater! Incomprehenſibili tuæ Magnitudini, Mirabilibus tuæ potentiæ, & incredibili propemodum amoris tui erga nos cō-*

præsentiæ tuæ conclaue, ac Iucundissimum Amoris tui thalamum, & intra Sanctum Sacræ habitationis tuæ in mente nostra tabernaculum, introducere, vt ad veram Sanctissimi nominis tui cognitionem, nobis hoc pacto aditũ patefacias, bonitatis tuæ Thesauros nobis retegas, quasdã denique futuræ beatitudinis arrhas nobis & prælibamina communices: Ita quæso labia mea scientiæ tuæ diuinæ clauis etiam nunc aperiat, calami mei cuspidem vel vna saltem spiritus tui stilla irroret, mentemque meam desiderabile sapientiæ tuæ lumen irradiet, vt, ad Sanctissimi nominis tui gloriam, declarare hic possim, quibus occultis semitis amicos ipse tuos, breuissimo tempore, ad diuini spiritus tui frui-

tionem, ad Amoris tui unionẽ, & ad Mirabilium fidei nostræ experientiam, soleas conducere. Et quidem sic da liquidò eas declarare, nihil ut mihi inconsulto & incogitanti excidat. Sed ita in serie ordinem, in sensu plenitudinem attingam: ut verbum nullum sit, quod ijs qui te diligere desiderant, contentionis esse queat occasio. Scio quidem quod
Tob. 12. Sacramentum Regis abscondere bonum sit, sed opera tua tamen, *adeo diuina* reuelare & confiteri, *longe honorificentius adhuc esse non dubito. Tu quidem O supreme Rex! Magnus es & laudabilis nimis, & gloriâ usquequaque plenus; ac consilia tua maximè sunt sublimia, Iudicia tua abissus multa, & sapientia tua non est numerus: super*

omnia

omnia tamen mirabilis es in Amore, in menſus in bonitate, & in dignationibus tuis incredibilis, atq; ideo à progenie in progenies narrabimus mirabilia tua, & à ſæculo vſque in ſæculum notas faciemus amoroſæ bonitatis tuæ diuitias.

ANIMABVS DEVOTIS

O Vos igitur Animæ piæ, Magni huius Dei deliciæ & Amores! Venite quæſo & videte, ſi ſit Amor ſimilis, ſicut Amor Dei noſtri. Accedite & beneuolis percipite auribus ſecreta quæ vobis reſerare cõſtitui. Pauca quidem loquar, ſublimia tamẽ & arcanis referta myſterijs, quibus vobis aditum pãdere deſidero, quo ad ſapientiæ diuinæ theſauros admittamini. Non-

nulla scilicet vobis de occultis Diuini Amoris semitis referendo, in quibus ambulãtes, eiusdem Amoris fruitionem nõ difficulter poteritis adipisci. Verũ non nisi secreto & velut in aurẽ ea vobis reuelare desidero, quod verear ne tantæ Diuinæ bonitatis inexperti, & ignorãtes, induci non possint vt credãt hæc adeo facilia esse acquisitu illi, qui ad ea indaganda animum studiumque suum serio conuertit. Non enim desunt, quorũ hæc strenuè persequendi ita alget affectus: vt & alijs quoque secum, ne per has vias ambulent, obicem ponant. Cum tamn beatus *sit ille (vt cũ sapiente loquar)* qui in istis versatur bonis, qui ponit in illa in corde suo: sapiens erit semper. Eccl. 50. *Quod si sapientia hæc à mundi*

huius

huius amatoribus, à filijs huius sæculi: aut etiam à sapientibus secdum carnẽ, qui nõ nisi in mirabilibus humanæ scientiæ versantur rebus, parui fiat, mirum non est; Nam cælestes hæ deliciæ penitus illis non sapiunt. Hæc enim sapientia non terrena est, sed cælestis; non in verborum facundia: sed in virtute spiritus sancti; demum non ex subtilitate ingenij, sed ex cordis puritate procedit. Vnde ad illam inueniendam frustra Philosophorum, Rhetorũ, aut Poetarum percurretis campos, cum nihil ad hanc Ciceronis eloquentia, nihil Aristotelis Argumentandi scientia, nihil Maronis bene fabulãdi peritia, nihil deniq; vlla quæcumque foliorum iterata ventilatio conducet, non enim scientiâ,

ſed experientiâ comparatur; quæ ſi defuerit, parum quis ex omnibus his myſticis loquendi modis comprehendet. Sunt ſiquidem cæleſtis Amoris ſecreta, quæ ſi reipſa non deguſtentur: nec intelligi poterunt nec comprehendi.

(✠)



PRO-



PROLOGVS

IN QVO TOTIVS Huius operis Summarium, Auctoris intentio, & quam ipse viam tradere velit, paucis proponitur..



VM Deus Opt. Max. Summum ac verum animarum nostrarum sit bonum, solum cordium nostrorum requies, verus mentis nostræ paradisus, & Amoris nostri centrũ; Hinc ipse & desideriorum nostrorum summa, prętensionum nostrarum scopus; denique laborum nostrorum finis esse debet, nec non is, qui solus à nobis omni studio & animi contentione vnicè quærendus est. Cũ enim ei soli gloria, honor, & diuinitas competat, hinc etiam animas nostras sibi soli creauit,

uit, adeo vt nullam vnquam cor nostrum sit quietem inuenturum, nisi in eo conquiescat. Et quoniã rei huius cognitio, salutis nostræ fons est & origo, æternitatis quoque semen, & beatæ cuiusdam vitæ initium; idcirco per Prophetam suum tam emphaticè, tantaque
Iere. 9. energia & exaggeratione dicit. *Nõ glorietur sapiens in sapientia sua, & nõ glorietur Diues in diuitijs suis: sed in hoc glorietur, qui gloriatur, scire & nosse me.* Etsi verò in speculatiua cognitione, & scientia litterali hoc fortasse nõ ignoretur, in praxi tamen sapida, & experientia vsuali nimis quàm multum negligitur. Prô dolor! An non reuera deplorandum, rem adeo seriam, & vnde omnis animarum nostrarum felicitas, & maior Dei gloria in hoc mundo tantopere dependent, (veram inquam, diuinæ eius præsentiæ fruitionem, & Amoris eius in spiritu nostro vnionem) vsq; adeò ignorari, & ita passim parui fieri; etiam

etiam ab his, apud quos præ alijs ea merito quærenda, & à quibus ad alios deriuanda esset? Nam quis opere & reipsa, ex corde & verè, cũ Propheta dicere potest: *Pars mea Dominus dixit anima mea, propterea expectabo eum. Bonus est Dominus sperantibus in eum, animæ quærenti illum?* Threni. 3.
Et cum Psalmographo. *Quid mihi est in cœlo, & à te quid volui super terram? Deus cordis mei, & pars mea Deus in æternum. Mihi adhærere Deo bonum est, ponere in Domino Deo spem meam.* Psa. 72.
Regnum Dei intra nos existere, & omnem gloriam filiæ Regis ab intus esse, nimis quàm sæpè audimus, nec non ore etiam ingenuè confitemur: Sed quid hoc sit, & quæ in se mirabilia comprehendat, quam paucissimi reuera sunt, qui facto & reipsa norint & experiantur? Quotidie quidem oramus *Pater noster qui es in cœlis. Sanctificetur nomen tuum, Adueniat regnum tuum, Sed eũ* in cœlo mentis nostræ esse, & in anima nostra viuere, ac Thronum,

Regnũ, & plenũ imperium habere debere, quis ſapiens, & intelligit hæc? Regius Propheta toties nobis

Pſal. 140. occinit. *Quærite Dominum & confirmamini: quærite faciem eius ſemper.*

Ibidem

Pſa. 68. *Lætetur cor quærentium Dominũ: Quærite*

Pſa. 69. *Deum & viuet anima veſtra. Exultent & Lætentur in te omnes qui*

Sap. 1. *quærunt te.* Nec non ſapiens. *Sentite de Domino in bonitate, & in ſimplicitate cordis quærite illum.* Deinde &

Iſaia 55. Iſaias Propheta. *Quærite Dominum dum inueniri poteſt: inuocate eum dum propè eſt.* Vt facile hinc colligere ſit, eſſe ergo quendam modum quærendi Deum introrſum, eumque in anima noſtra poſſe inueniri, atque hunc modum nobis exercẽdum eſſe vt ſic ad veram eius fruitionem pertingere poſsimus. Hæc licet ita ſint quis tamen huc animũ applicat? vel quis Deum ita quærit vt tandem inueniat, poſsideat, & fruatur? Immo res hæc ita videtur eſſe periculoſa, adeo captũ & ſenſum humanum excedens, adeoque tranſ-

transcendens omne id quod à Deo sperari posſit; vt nemo, dum ordinarium hominum hodie viuentiũ agendi modum, & sęculi præsentis corruptelam (in quo rerum harũ verè spiritualium vix ylla fit mẽtio) conſiderat, non ſatis ſibi argumenti eſſe putet, ad excuſandum ſe quominus ad quid ſimile aſpiret.

Vt tamen vnuſquiſque eius eſſe capax, & nullus ab eo amplectendo excludatur, aut ſeſe excuſare queat; Notandum hoc ipſum ſummum bonum, cum vt dixi vnicus animarum noſtrarũ ſcopus & obiectum finale ſit, à nobis mortalibus poſſe multifariam, & diuerſimode, ac ſub varijs motiuis conſiderari, & deſiderabile, amabile, & omnigeno labore dignisſimũ nobis apparere. Sicut enim in vnico & ſimplici ſuo eſſe, æternis quibuſuis perfectionibus plenum eſt, & omnis veri boni ratio in eo reperitur; ita appetitus noſter qui ab

obiecto naturæ ſuæ proportionato attrahi, & moueri ſolet, omnigenas in eo rationes inueniri poteſt, quibus ad ipſum pro naturali ſua inclinatione deſiderãdum potenter alliciatur, permoueatur, & ſuauiter quodammodo compellatur. Adeo vt, cum homines ſummopere inter ſe complexionibus, propenſionibus, & appetitibus differant; varij etiam ſint modi, quibus ad Deum quærendum, & verã vitam internam, & ſpiritualẽ inchoandam permoueri queant: ſimiliter quoque Deus pluriũ mediorum, cauſarum, atque rationũ miniſterio vtitur, quibus eos ad ſe attrahat, vt qui æterna eſt ſapientia, *attingens à fine vſque ad finem fortiter, ſuauiterque diſponens omnia*. Etſi enim vnus idemque Dei ſit ſpiritus quem omnes quærimus, quique in mentis noſtræ cœlo inuenibilis eſt. Vbi ſcilicet gratiæ ſuæ adminiculo ad vitam quandã diuinam & ſupernaturalem nos

euehit,

euehit, quia cum ipsa gratia sit quædam Diuini esse participatio, sicut Diuinæ Naturæ nos consortes facit, ita & aliâ nos vitâ viuere facit, quam naturali & humanâ; eo quod veteri nos homine exspolians, nouo quodam nos vestiat, & secundum hominem terrenum & corruptibilem nos mori faciens, ad aliam quandam vitam, quæ abscondita est in Deo, nos conducat; *vbi*, teste Apostolo; *non est Gentilis & Iudæus, Barbarus & Schyta, Seruus & Liber, sed omnia in omnibus Christus.* Coloss. 3.
Quoniam tamen Deus vnamquãque rem modo singulis proprio (vt Theologi loquũtur) mouet, & quod in homine. *Non prius quod Spirituale est*, (dicit Apost.) *sed quod animale: deinde quod Spirituale*: Sicut primo omnium tota inferior Natura transeunda, recolligẽda & reformanda secũdum Deum, eiusq; Diuino desiderio penitus inflammanda, deinde iterũ trãscendenda sit, quã solidè in tali fruitionis Di- 1. Cor. 15.

uini

uiniSpiritus ſtatu cõſtabiliri queat:
Hinc etiam ipſa ad Deum via pro ſubiecti ipſum quærentis varietate, varia ac diuerſa eſſe ſolet. Quãdiu enim homo iuxta talem partẽ inferiorem viuit, pro Naturali ſuæ complexionis modo in Deum feretur, in eoque ſibi complacebit. Cùm ſe diuina gratia ſuis in attractibus, & illicijs huic vt plurimũ attemperet & accommodet.

Atque hæc eſt cauſa, cur nonnulli pro naturali ſua complexione, & qualitate, valde mouebuntur, & in Deum ferentur, cum hinc quidem mirabilia eius iudicia, rigidę illius iuſticiæ tremendos effectus: ac fortiſsimi eius brachij facta ſtupenda; illinc vero peccatorum ſuorum multitudinem, turpitudinem, & enormitatem conſiderabunt. Adeo vt quem ex huiuſmodi cogitationibus concipiunt timorem, eos poſtea ſalutariter commoueat, vt ad ipſum reuertãtur, in partes eius concedant, le-

gibus

gibus eius ac diuinæ voluntati se subijciant. Vnde talibus hominibus timor & formido, modus erit & ratio sub qua, ad Deum trahentur, nec non via, qua salutem suam operari incipient.

Alios è contra mirabiliter afficiet ipsa diuinæ bonitatis, misericordiæ, liberalitatis, admirabilis amoris, immensę eius pietatis, & incredibilis illius erga nos miseros mundi huius exules condescentiæ cõsideratio; neq; seipsos capere vel satiari poterunt: sed ardentissimã quandam voluntatem concipient munificæ huic eius liberalitati reciproco quodam amore & obsequio pro modulo suo respondendi. Adeò vt amor & Sincerus quidam affectus his ratio futurus sit, ob quam se Deo addicent, & Sanctum eius seruitium amplectẽtur, ad hunc humorem referẽdo quidquid molestiarum, tenebrarum, afflictionum, laborum, ariditatũ in via ad Deum occurret.

Sunt

Sunt præter hos alij, qui quod à Deo in vitæ innocentia seruati fuerint, mundo, vt Deo famulentur, egredientes, cum anima vtcumque pura, & peccatorum tenebris ac reliquijs non obscurata: non etiam vsque adeo Solis iustitię splendorem, & lumen amiserunt, vt non aliquod eius in anima ipsorum maneat vestigiũm & radius. Adeò vt cum intra seipsos reuertuntur, facilè quoque ad mentalem cum Deo conuersationem admittantur, paulatim desiderandæ eius proximitatis, per operationes quasdã summè intimas, quas iam tum in anima eorum operatur, conforme scilicet initio perfectæ suæ futuræ inhabitationis quam ibidem constituere vult, sẽsum & experientiam recuperantes. Vnde tali animæ ratio sub qua ad Deum feretur, erit amor & eleuatio quædam Spiritus, iuxta testimonium illud internum quod in animæ suæ habet Diuini huius solis,

ſolis;eum in ſpiritu & veritate adorando, & alios actus faciendo, quos interior hæc cum Deo familiaritas ei ſuggerit,& inſpirat,nihil vt ei deſit, quàm vt in negotiatione hac interna, per Negationem, abſtractionem, & totalem mentis ab omni eo quod Deus ita myſticè requiſitus non eſt, alienationẽ, bene inſtruatur,ne ſcilicet per alia exercitia minus proportionata, hunc ita bonum humorem, & ad diuinas has ſemitas diſpoſitionem quam habet, offuſcet.

Alij è contrà mirè ſtupidi ſunt & craſsi, imaginationibus, inordinatis affectionibus, & alijs vehementibus paſsionibus nullam ipſis pacem aut quietem, quæ quidem hiſce vijs myſticis propria ſit, indulgentibus,pleni,ſed procul in regione diſsimilitudinis errantes, ex omnibus hiſce myſterioſis ſecretis vix quicquam intelligunt, aliud non percipientes, quàm quod ſenſibus & imaginationibus craſsè videre

dere, & manu quodammodo tangere poſſunt; quibus ſatis adhuc & multum eſt, ſi vel regulas & præcepta, ad benè meditandum tradi ſolita obſeruare, & virtutes morales magno cum labore acquirere poſsint, vt eas fideliter exercendo, paſsionum ſuarum naturaliũ impetus, & deordinationem coercere valeant.

Alij denique per magnam ariditatem, indeuotionem, & ſenſibilem diuinæ correſpondentiæ ablationem, ac defectum cõducuntur. Vt neſciant quo ſe vertere debeant, ad aliquid inueniendum cuius adminiculo ſe ad Deum ſuſtollãt, quo quidem in caſu nihil poſſunt facere melius, quam vt hâc Spiritus inopiâ & ariditate contẽti ſint, & faciendo quod poſſunt, diuino ſe beneplacito conſolentur; eique acquieſcendo, ad ipſum quoq; ſua exercitia & gradus perueniendi ad ipſius Amorem, componant.

Quocirca mirandum non eſt quin

quin potius Deus ſummoperè laudãdus, quod tot, tãq; diuerſi Auctores de feliciſsimis hiſce vitæ myſticæ, & internæ materijs, tractare inſtituant; hi quidem de Voluntate Dei, illi de Reſignatione; alij de vita purgatiua, Illuminatiua, & vnitiua; alij de Palatio amoris, De Caſtello Animæ, De Nocte Obſcura, & ita illi vnam, iſti aliam exponentes viam.

Nã quod ita diuerſimodè à Deo trahamur & ſub tot diuerſis rationibus eũ conſiderare, & ad eum quærendum, ſeruiendumque ferri poſſumus; idcirco, neceſſe eſt, vt vnus hanc viam & rationem, alius aliam explicet: in omnibus tamen his, ad vnum eundemque ſcopum, & finem vltimum, ad ipſius inquã Dei fruitionem, eſto per diuerſa motiua aut rationes mouentes, deducimur. Hæc porro tractatuum ſpiritualium diuerſitas animabus deuotis non poteſt non auxilio & conſolationi eſſe: nam, præterquã



quod hac ratione vna eademque res diuersimodè explicetur, & consequenter magis illustretur ac per suas ipsas partes distinctius videatur; varij hi modi & diuersæ viæ commonstratæ non possunt non subsidio esse eis, quę cū omne bonū suum in sacrarū harum semitarum prosecutione & indagatione constituant: non nisi conueniētia quædam media, auxilia & adminicula quęrunt, vt eorum auxilio ad DEVM perueniant. Cùm salutares illæ doctrinæ, sint ipsis instar lucernæ lucenti in caliginosa Tirocinij sui nocte, *Donec dies elucescat, & Lucifer oriatur in cordibus* eorum.
1. Pet. 1.

Huius ergo tractatus, qui omniū qui de hac mystica & cœlesti sapientia vnquam prodierunt, minimus & simplicissimus est, rudique & imposito stylo publicam lucem aspicere cogitur; quo scilicet plurimorum silentij quietem ei inuidētium desiderio, nec non eorum, qui

qui ab externis impedimentis liberi, nihil desiderant impensius quàm Deo placere, plenum animarum suarum ei possessioné & fruitionem dando, consolationi satisfiat; Scopus & intentum est, specialiter viam AMORIS & affectuosæ erga Deum inclinationis explicare, sub diuino hoc motiuo totius Viæ Spiritualis ad Deum cursum proponendo, atque ostendendo qua ille ratione sit ingrediendus, qua prosequendus, denique quonã ad veri spiritus Dei fruitionem modo pertingendum. Dixi, vt diuini huius argumenti adminiculo, ad Deum cursum dirigamus; hoc quippe iam tum ex hoc discursu notatum oportuit, scilicet Deo ipso pro Obiecto finali, & Scopo vltimo ad quem solum & vnicè, super omnia aspirare debemus, cóstituto, reliqua omnia nonnisi viã, motiuum, & mediũ esse per quod hæcce tendentia, & spiritualis profectio, & cursus exercetur. Non ita

tamen quasi, quia in fronte sua & titulo Amorem præfert, cæteras vias, media, ac modos, è quibus suã alij de hoc argumento tractatus materiam, & nomen accepere, vel ignoret, aut minoris faciat. Etsi enim tantus quantus est, à capite ad calcem, diuini Amoris pallio & titulo conuestitus sit; reuera tamen, & per concomitantiam, nihil est aliud, quam via Negationis, abstractionis, denudationis, & alienationis, non tantum ab omni eo quod terrenũ est, verum & ab omni eo, quod per sensum & rationem humanam, de Deo in interiori, sẽsibile, imaginabile, discursiuum, humanum aut naturale (scilicet iuxta modum & intelligentiam postea suo loco declarandum) cogitari vel concipi posset, vt paulatim ad supernaturale, infusum, diuinũ & cœleste eleuetur; hoc amore eo magis crescente, & diuiniore euadente, quo fidelis hæc abstractio & negatio viam ei patentiorẽ facit,

facit,& potentias ab omni eo quod Deo minus eſt, magis euacuat. Quia tamen fortis Amor, & ſincerus erga Deum affectus hac in re primus & præcipuus eſt, propter quem nimirum, & per quem talis negatio,& omnium rerum exſpoliatio ita diligenter practicatur; quique velut primum mobile eſt, poſt ſe rapiens quidquid in hoc negotio intercurrere poteſt, omniaque in naturam ſuam conuertens:hinc meritò ſuam ab eo denominationē accipit, omneſq; quotquot ſunt,occultæ Diuini Amoris ſemitæ appellantur.Nam etiam ij, qui ſub alijs titulis & per alia motiua, de huiuſmodi materijs tractant, ſemper tamen animam ad hunc Amorem reducere ſtudent: ſciunt quippe omnem alium conatum, praxim,& induſtriam pro fine ſuo habere,vt animam ab omni re alia vacuam,ad Dei deſiderium, & amoroſum ergaillum affectum, reducat.

Hoc vnum saltem velim notandum, nullatenus mihi propositum esse, animam Amori cuidã pueri-li, sensibili & dulcedine repleto alligare, aut retinere; sed eã ad Amorem ita generosum, & fortem velle conducere, vt is ab omnibus rebus terrenis, quin & à seipsa, atque adeò ab omni eo, quod Deo minus est, eam abstrahat, & denudet, ac deinde animosè & sincera quadam fidelitate ad Deum conuertat, ipsique, vero, ardenti & imperturbabili quodam desiderio eam cõiungat; id quod per vniuersum ferè hunc tractatum prçsuppono & requiro: quod ni foret, operam & oleum perdere me putarem, si per status omnes illos sublimes suo loco postea declarãdos, animam vellem cõducere. Generosa siquidem & mystica, illa rerum omnium negatio, verè ingens quidã Amor est, & iure talis dici potest: quia licet non sensibilis, in ea tamen sine insigni quadã animositate, & ingenti

erga

erga Deum affectu, nemo progredi potest. Quod si fortè sensibilitas initio quidem nonnihil habeat locum; quia tamen nõ est quid, quod animam satiare possit, hanc facile eam ipsa transgreditur, & semper per operationes potentiarum superiorum ad Deum se extendit, ac promouet, sensibilitatem omnem post se relinquens.

Primùm igitur sciendum, intentionem, & propositum meum esse, hæc nõ tam in gratiam Tyronum, & incipientium, qui sacris deuotæ vitæ primùm initiantur: quàm in vsum exercitatorum & profectorum, qui nimirum primis suis Meditationis, & virtutis moralis exercitijs aliquatenus repleti, scire desiderant quid porro sit faciendum, vt Deo verè placere, & quibusnam adminiculis ad perfectionem aspirare possint. Quę ratio est, cur nulla hic aduersus vitia & peccata remedia: nulla tentationum, & in via Dei remorantium impedimen-

torum enumeratio; nulla virtutum moralium, & aliarum rerum ad vitam actiuam pertinétium descriptio legatur, cùm de hisce materijs pulcherrimi extent Tractatus, ad quos recurrere licebit. Verùm cum vnicus scopus meus sit: Occultas semitas, quas Amor Diuinus nobis offert terendas, explanare, interim dum spiritus Diuini fruitionem quærimus, antè omnia dedi operam, vt gradus, ac status qui occurrunt; & quomodo ab vno ad alium transeatur, distinctè, ordinè ac perspicuè declararē, & quas quisq; gradus operationes, ac motiones diuinas infusas secum ferat; vt qui sciam id genus materias non esse ita passim notas & communes, nec tam singillatim ac particulariter tractatas, quàm fortasse eorum qui in illis exercendis occupantur, desiderium exigit, vt eò plenius informati, officio suo eâ quâ decet dexteritate fungi possint. Prima ergo pars, nonnulla complectitur

præ-

præambula & fundamenta, nimirum de fine qui desiderandus: De Cognitione Dei, & sui ipsius: De Humilitate: De Mortificatione, ac deinde de Exercitio Amoris, vt, hisce rebus, quæ ad singulas propè sententias præsupponi debent, semel positis, ipsas toties, & idētidem repetere, non sit necesse. Deinde quoniam permagni interest omnia, & singula conuenienter intelligere, monita quædam, velut regulæ quædam communes, ad mysticum humorem, & modum melius intelligendum hinc inde addentur; ad quæ sæpè recurrēdum erit, cùm gradus Eleuationis exercēdus erit, prout etiam in ipso contextu, Lector frequenter ad eas remitti solet. Sed in secunda parte, de vniuersa Orationis mentalis via, iam inde ab infima vsque ad summam, tractabimus, prout ex titulo, prologo, & summario videre est.

Id solùm maximè notandum, quid nimirū intelligatur per gra-

tiam illam, ac Dei donum cuius capite 9. fit mentio Cum enim velut finis sit omnium priorum capitũ, & inscribatur. *De Præsentia Dei secundum modum mysticum*, manifestè agit de communicatione qua Deus Spiritum suum in superiori animę parte communicat, cum tunc tempus sit in quo Deus realiter, & per veram experientiam, ei sese reuelare incipiat, simulque quidquid de nouo ac diuino illo Esse, quod GRATIA supra naturam nostram nobis dat, ad vitam diuinam & supernaturalem viuendam, dicitur. Non quod in hoc gradu consistat status Perfectionis, honorificus enim ille titulus, statui vnionis 12. capitis, reseruatur: sed quod tunc verus ad experimentalem secretorum totius huius vitæ verè spiritualis & Diuinæ, cognitionem, aditus pateфiat, ad quam per GRATIAM eleuari possumus; quæ (vti & anteà iterum dicebamus) cum sit participatio quædã diuini esse.

Sicut

Sicut diuinæ naturæ nos consortes, sic aliam quoq; nos vitam, quã naturalem & humanam viuere facit. Et hoc est quod inculcatũ volo, quod nimirum illa gratia *Præsentiæ Dei,* non sonet tantummodo instillationem aliquam intelligentiæ diuinæ, aut infusionem cognitionis cuiusdam transitoriæ, per modum actus & operationis in intellectu; neque etiam aliquem solum Amorem infusum, aut quosdam dulcedinis, deuotionis, gaudij, vel consolationis in voluntate sensus, (vt aliqui tamen existimare videntur) sed per eam intelligi primò statum quendam aliquomodo permanentem & durabilem, ad quem anima eleuatur vt vitâ viuat spiritus, & iuxta omnia illa quæ hinc consentanea sunt, luminis, cognitionis, experientiæ, & inclinationis in Deum; non aliter quam, dũ in natura inferiore agebamus, iuxta illius inclinationes, motus, & corruptiones viuebamus. A quo

ſtatu, tãquàm à fonte poſtmodum dimanant operationes, fructus, effectus, dona, ornamenta, & fauores, diuino, huic eſſe correſpõdentes, & quod hæc primò velut principium, radicem, & fundamentum ſupponunt; ita vt quamquàm motiones diuinæ ſpeciales & actuales, non ſemper ita realiter ſint præſentes, vt ex earum præuentione exire quis poſſit in actum; Animæ tamen in ſtatu illo, & vitâ ſecundum ſpiritũ, in pace, ſerenitate, quiete, ac tranquillitate conſeruare ſe poſſit, & de facto aliquomodo permanenter in eo perſiſtere ſe ſentiat; auditura quæ in illa Dominus loqui, id eſt, operari dignabitur. An non enim Chriſtus Dominus ait: quod ſi eum dilexerimus, ad nos veniet & manſionem apud nos faciet? quo verbo permanens quædam ſtabilitas, & non ſolum tranſitoria quædã & volatica operatio ſignificatur. Quoties etiã diuinæ litteræ mentionem faciunt

noui

noui hominis creati in Iustitia & sanctitate. Et qui *Renouetur in agnitionem: secũdum imaginem eius qui creauit illum*, sic, de vita abscondita cum Christo in Deo, De regeneratione in Spiritu sancto, De formatione Christi in nobis, Quod Deus in nobis maneat, & nos in Deo, quę omnia duraturam illam mansionem, ac firmitatem de qua mihi sermo clarissimè comprobant atque stabiliunt. *Ephes. 4.* *Coloss. 3.* *Galat. 4*

Similiter ipse S. Dionysius Areopagita diuinum hunc statum, tanquam principium & fundamentũ actionibus supernaturalibus operandis necessarium expresse constituit, similitudine sumptâ à naturali & humano statu, qui ante necessarius est, quàm actiones naturales & humanas operari quis possit. *Sacra* (inquit) *dilectionis ad diuina mandata facienda principalis omnino progressus, est secretissima illa, & ineffabilis prorsus operatio, qua diuinus in nobis* STATVS *efficitur. Si* *De Eccle. Hierarch. c. 4.*

 enim

enim diuinus hic status diuina natiuitas est, nunquam ille aliquid sciet ex iis quæ adeo tradita sunt, neque operabitur, qui neque diuinū hunc STATVM *consecutus est.* Ac deinde addit. *An verò nobis quoque ipsis nō dicimus, prius esse necessarium humanæ vitæ statum, vt sic demum humana possimus operari.* Quę verba etsi de statu diuino, qui in regeneratione baptismali à Deo infunditur dicta sint, nihilominus ad has quoque materias, de quibus agimus, verissimè referūtur. Quid enim aliud hæc omnia Mysticę vitæ mysteriosa secreta sibi volunt, quàm quod per ea ad experientiā, & vsque ad prima principia veritatum supernaturalium Fidei nostræ peruenimus? ita vt quod fide instructi credebamus solum, inuisibiliter fieri, hîc iam reipsâ videamus, experientiâ comprobemus, & practicâ cognitione teneamus. Sic quoque dum toties hoc in Tractatu de Deo quærendo, de mente ad eum sustollenda, & quód tam pro-

cul

cul ab eius præſentia verſemur, per id ſignificare non volumus, quod is non ſemper in nobis ſit, & nos in illo non viuamus, moueamur, & ſimus, Sed ſicut idē Dionyſ. Areop. loquitur, *Ipſa* (Trinitas) *omnib. præſens eſt, non tamē ei præſentia ſunt omnia. Sed cum eam & ſanctis precibus, & tranquilla mente, & apto ad diuinam communctionem animo appellamus, tum denique nos etiam ei præſentes ſumus.* *De Diuin. No. c. 3.*

Licet ergo nihil noui ſit Deum in ſe habitantem habere, Renaſci in Spiritu ſancto, nouum illud ESSE diuinum recipere, aut diuinæ naturæ conſortem fieri, vel ſecūdum ſupernaturalia gratiæ principia operari (cum quiſquis in ſtatu gratiæ, & charitate exiſtit, iam tū hæc omnia habere cōuincatur, ad eamque dignitatem euectus ſit, & omnibus hiſce pretioſis ſit exornatus donis) multum tamen id eſt, iuxta modum, quem nos hic tractamus, & quem Auctores myſtici intelli-

gere volũt; vt enim infinitos alios fauores, dona, & gratias speciales, quas Deus pro beneplacito suo, in toto harũ semitarũ cursu cõmunicat taceã; hoc scilicet est, super illa prima gratiæ iustificantis fundamẽta, ita bene ædificasse, vt excre-
Ephes. 2. uerimus *in templum Sanctum in Domino*, quò sic tandem *coædificemur in habitaculum Dei in Spiritu sancto*, hoc item est, cum filijs Dei ita Spiritu Dei agi, moueri, & gubernari, vt nobismet neglectis, plenam illi potestatem, summumque imperium in nobis ipsis tradiderimus, ad vtẽdum potentijs nostris pro suo beneplacito, absque vlla contradictione vel resistentia; ac sic cũ Apo-
Galat. 2. stolo posse dicere: *Viuo ego iam non ego; viuit vero in me Christus. Mortui*
Coloss. 3. *enim estis* (ait alibi) *& vita vestra abscondita est cum Christo in Deo.*

Vnà ergo cum gratia iustificante, verè quidem vniuersa dona illa pretiosa recipimus, sed non nisi in interiori quodam statu, sic adhuc à tenebris

tenebris ignorantiæ, à passionibus nondum reformatis, & à Naturâ corruptâ obscurato, vt non nisi solius fidei quam sequimur magistrâ ac ducem, beneficio, de similibus loquamur: At verò hic, res illę experientiâ ipsâ percipiuntur, & eâdē operâ, ad veram experimentalem cognitionē Dei (in qua vita æterna consistit) & sui ipsius (quod ipsum omnis veræ virtutis fundamētum est) peruenitur, penetrando intra semetipsum vsque ad ipsa principia potentiarum, operationum, & ipsiusmet vitæ spiritualis animæ nostrę: ita vt tandem, ad vsque primam & initialē omnis gratiæ scaturiginem ac fontem, ad ipsius inquam Dei fruitionem, per vinculum Amoris, supernaturalesque spiritus diuini operationes, fiat progressus.

Cuius rei ea præstantia ac dignitas est, vt non nisi multo labore ac studio, abstractione, morte, & obliuione omnium rerum, immò et-

iam sui ipsius, acquiri possit, sicut totus hic Tractatus, & alij similes abunde testantur. Priusquam enim verè cõfirmari, ac plenè in hoc Diuinum Esse trãsformari, ac sic Deo in spiritu & veritate frui, liceat, emetiendus est molestissimus ille statusrigorosæ Priuationis, cuius Caput 10. cum sequenti facit mentionem, qui nihil aliud est, quàm mors quædam spiritualis, ac proculcatio, & quasi in nihilum redactio omnium eorum, quæ sub Diuino spiritu in homine sunt, vt his omnibus subiugatis, reformatis, ac in decentẽ ordinem redactis, spiritus Diuinus velut primus, ac principalis Dominator, possit in hac μιχρϵβασιλϵίᾳ viuere, regnare, ac plenum imperium suum cum supremâ potestate exercere, eodem modo, quo in statu Postremo solet; qui titulũ præmittens. *De perfecta vnione, possessione, ac fruitione spiritus & Amoris Diuini*, tunc perficitur, quando anima huic diuinæ in se opera-

Status Priuationis.

Status Vltimus


operationi relicto loco, ita seipsam negligit ac submittit, vt solus spiritus Diuinus, Dominus, Rector, Rex & Imperator sit in hoc interno Regno, in quo sedē suam stabilit, ac plenum imperiū absq; repugnātiâ & contradictione liberrimè exercet, vbi Nomen eius sanctificatur, vbi Regnum eius aduenit, & voluntas eius nemine resistente perficitur, vel id saltem efficitur, vt diuino eius nutui, ac moderamini omnia de die in diem magis magisq; subijciantur.

Cæterùm cum stilus ac dicendi modus totius huius Tractatus, adeò humilis & simplex, adeò rudis & impolitus sit, verè cum Apostolo dicere possum; *Veni non in sublimitate sermonis aut sapientiæ, annūcians* hæc secreta diuina, & quod *Sermo meus non in persuasibilibus humanæ sapientiæ verbis*: sed in simplici manifestatione spiritus & Amoris diuini; Etsi enim opusculum hoc destinatum sit vt *Sapientiam loquatur inter,* 1. Cor. 2.

ter perfectos, non tamen sapientiã huius sæculi, sed Dei, in mysterijs, *quæ abscondita est*, & ad quam scientia humana pertingere non potest. Sed quam reuelat Deus per Spiritum suum. Ideò metuẽdi causas nõ habeo, quia cũ animabus humilibus negotium mihi erit, quæ spiritum huius mundi non acceperunt. Sed spiritũ qui ex Deo est, & quæ sciant quomodo hęc omnia ab eo donata sint. Animalis autẽ homo & mũdanus ea nõ percipiet: Sed stultitia erit illi & nõ poterit intelligere. Sũt porrò nonnullæ materiæ quæ ex se adeò sũt humiles ac deiectæ, vt nisi ab ornatu Rhetorico, ab arroganti & exquisitâ verborũ elegãtiâ, lumẽ & põdus accipiant, humi perpetuo iacẽtes prorsus tandẽ negligantur ac conculcẽtur: at vero pręsentis materiæ, ea, ex seipsa est dignitas & altitudo, ea diuinitas ac Maiestas, vt animabus pijs ac deuotis quàm acceptissima futura, nullo ementito colore, nullo auri pigmento, nullo deni-

deniq; encomiaste indigeat, vt authoritatẽ ac existimationem apud Lectorẽ sibi conciliet. Vnde præter simplicẽ mysticorum istorum Secretorum enarrationẽ aliud nisi hic expectandum, quia qui iam de facto & reipsa, aliquẽ è statibus qui hic explicabũtur exercet, eo ardore bonam ac salubrem directionẽ in sui ad Deũ itineris cursu desiderabit, vt nec verborum facundiam, nec bene dicendi artem, sed fidelem solum, & accuratam obscuritatum, ac dubiorum expositionem sit requisiturus. Et hæc ratio me impulit, cur ita me accomodare studuerim, ei, quam experiẽtia adfert, inclinationi, humori, vestigijs, speciebus internis, & modo loquendi: vt qui experientię huius expers fuerit, inauditę fortassis fabulæ, ac inconditi sermonis loco sint habituri; modum illum quem in me explicando teneo. Hanc etiam ob causam terminos simplicissimæ narrationis ita religiosè ac solli-

ſollicitè ſemper obſeruaui (quò materias iſtas eo viuidioribus, ac magis proprijs coloribus, depingerem, & à ſimplicioribus qui ad cęleſtem hanc ſapientiam aptiores ſunt, intelligerer;) vt omnem penè doctrinalem Theologiæ aut Philoſophiæ modum, omnem etiam quaſi ſimilitudinem à rebus ſenſibilibus & naturalibus petitam, euitarim; quo ſcilicet animam in puris conceptibus rerum verè internarũ, iuxta ſpecies, ideas, ænigmata, & veſtigia, quæ myſtica hæc ſecreta in interiori imprimunt, conſeruarem, nullamque ſimilitudinũ harum prætextu, euagãdi occaſionem haberet. Quę omnia quãti referant, & quam cum proprietate huius viæ cõiunctionem habeant, norunt illi, qui viam Negationis amplexi, à ſenſibilibus & imaginarijs rebus perpetuò ſe abſtrahunt, vt eò liberius, purè, mentalibus operationibus vacare poſsint.



PARS PRIMA,

COMPLECTENS

QVÆDAM PRÆAMBVLA, SEV PVNCTA PRINCIPALIORA SCITV FACTVQVE NEcessaria, ei, qui proficere cupit in via perfectionis.

DE SCOPO ET FINE PROposito in totâ hac Diuini Amoris viâ.

CAPVT I.



VLLA scientia, nulla ars, aut ratio viuendi in hoc mundo tam exigua est aut vilis, quæ finem suum & scopum vltimum ad quem adspiret, ac dirigatur, & in quo terminetur atque conquiescat, sibi præfixum non habeat, ad cuius proportionem ordinatè procedat, in electione mediorum, iudicando

cando de eorum bonitate, dignitate aut necessitate secũdum proximitatem & relationem mediatã vel immediatam, quam ad talem finem dicunt. Cuius etiam gratia, amore, ac dsiderio, nemini graues esse solent quæcunque molestiæ ac labores in eiusmodi artis siue scientiæ studio sufferẽdi, qui cum eiusmodi scopi finalis acquisitione connexionem necessariam habent. Et quemadmodum nemo non operatur propter aliquem finem: ita vera & sincera, quâ sumus imbuti, alicuius boni finalis cognitio, desiderium, ac firmissima huius boni adipiscendi concepta resolutio; tantam vim habet atque efficaciam ad occupanda corda nostra; ad inescandos sensus, & voluntates nostras illaqueandas; vt à desiderio, quo ferimur ad obtinendum id, quod nobismet ita proposuimus pro fine, alacribus animis incitemur ad amplectendã media, quę fruitionem eiusmodi boni nobis conciliare possunt; ita quod ordo rerũ hoc loco requirit, vt finis & scopus, ad quem tendimus, nobis sit prior in cognitione & apprehensione, quamuis posterior in fruitione & acquisitione; vt bene præ-

uisus,

uisus, ac maturâ præmeditatione bene præcognitus, calcar nobis esse possit atque stimulus, ad aggrediendum opus ipsum, argumentando de medijs necessarijs, de rebus faciendis aut omittendis, amplectendis aut fugiendis, secundum eius exigentiam: quia finis ille regulam, mensuram, & quantitatem communicat omnibus medijs, quolibet eorum tantum habente bonitatis aut præeminentiæ, quantum habet relationis ad talem finem. Ita vt plurimum referat inquit D. Augustinus, clarè, perspicuè, ac nudè prænosse finem, ad quem in omni negotio tendimus, vt ex pulchritudinis ipsius cognitione conceptum illius acquirendi desiderium, tanto fortius, efficaciusque nos mouere, ac impellere possit ad subeũdos omnes eos labores, qui cum dictâ acquisitione erunt coniuncti. Ita vsu compertum habemus, quod quicunque iter aliquod conficiendum aggreditur, si ratione ducatur, & à Sapientis dignitate non discedat, non ignoret ante omnia locum, ac itineris sui terminum finalem. Ideoque non progreditur in eo, velut erro aliquis & vagabundus, quem-

Lib. de Ord. c. 9

quemuis ſibi obuium tramitem confuſè & ſine diſcrimine ſequens, ſed quaſi ſemper ſibi præfixum habens itineris ſui terminum, inter tot, tamque multiplices ſemitarum collateralium varietates, relicto biuiorum vel triuiorum incerto, compendioſam magis, certiorem, & exoptato fini aptiorem viam indagare, inquirere, & eligere videmus. Tu igitur, ô anima deuota, quæ nunc es ingreſſa viam perfectionis, & quam cœleſtis ſapientiæ deſiderio accenſam, iam video plenis velis currere viam mandatorum DEI, adeoque generoſiſſimos, qui poſſint in his terris ſuſcipi, magno animo actus aggredi, victoriã nempe tui ipſius Mortificationem omnium paſſionum, ac motuum inordinatorum, & contemptum omnium voluptatum mundanarum: quem ſcopum, quem finem habes tibi propoſitum? ad quam metam iacula tuæ intẽtionis collimas? qua ſpe duceris? & tandem ad quem terminum finalem aſpiras? Hoc verò ipſum eſt, quod ante omnia, & quidem initio huius Tractatus animo tuo inculcatum volo, videlicet, vt non ignores, ſed ſæpenumero tibi

pro-

proponas finem, & scopum, qui in hac viâ tenendus, sperandus, ac persequendus tibi est; idque potissimum eò, quia finis ille adeò nobilis, adeò diuinus, adeoque desiderabilis est, vt sola nobilitatis ipsius consideratio efficacissima sit, quæ illius acquirendi desiderium animis nostris instillet, efficiatque, vt solo eius respectu negligamus ac vilipendamus omne id, quod tanti fit, ac æstimatur in hoc mundo, præponendo eam sceptris, Regnis, ac Imperijs, tanquam, si cũ ea comparentur, rebus nauci ac nullius momenti; idque eò amplius, quòd sicut dictum est, omnia media, quæ solemus amplecti, vt ad eum perducamur, secundũ præfixi finis exigentiam, velut trutinâ libranda sunt, æstimando ea, pluris aut minoris, prout plùs aut minùs subsidio nobis erũt, ac sese referent ad talem finem. Ac reuera minùs attentior huius rei obseruatio, promptissima inter alias occasio est, quâ tot deuotæ animæ impediuntur, quò minùs proficiant, & ad culmen perfectionis tot votis exoptatum pertingant, alijs rebus, quæ immediatam relationem ad istum finem non habent,

habent, maiori ſtudio, quàm expediat intentæ.

FINIS igitur & ſcopus, quem vnicè ſpectare, & ad quem per omnes has interiores ſemitas ſpiritus aſpirare atque collimare debemus, eſt totalis aut maximè realis introuerſio ad noſtri ipſorum intimiſſimum penetrale, adiuuante gratia diuina, quę ita ſenſim ac paulatim nos ad Dei cognitionem, & amorem ſuſtollit, vt tandem ad veram acquiſitionem, fruitionem, ac quietem in DEO, ſummo noſtro bono (qui in centro atque faſtigio animæ noſtræ intimè præſens eſt) nos conducat, idque per quandam ſpiritus noſtri, cum eius diuinitate coniunctionem, & per vnitionem, poſſeſſionem, & adhæſionem voluntatis cum ſancto eius ac diuino ſpiritu, vt ſupremum illud bonum per vinculum quoddam amoris, ex alto nobis communicati, adeò arctè complectamur, vt per illud, tanquam per ſacrum aliquod duorum iſtorum ſpirituum, adeò inter ſe differentium; adeò inæqualium, & diſſimilium, Matrimonij vinculum, efficiatur vnus ſpiritus, vnus amor, & vna voluntas. Hic nimirum

rum finis est, propter quem DEVS suas creaturas rationales creauit, vt delicias suas, suumque in illis beneplacitum exercere posset, aperiens illis & impertiens amorem suum singularem, suam dignationem infinitam, & quasi incredibilem condescendentiam suam per gratiosas suas visitationes, & communicationes gratiarum, conferendo eis innumera dona ac fauores cælestes. Et insuper vt seipsum totum, cuiuis etiam singillatim illis daret, faciens eas gaudere ac frui immediatâ præsentia, amore ac vnione suâ, in intimis abditissimisq; penetralibus animarũ. Tum igitur, cùm peruenerimus ad istum finẽ, cùm spiritus noster hoc modo fuerit vnitus & coniunctus cum illo amore infinito, cumq; facti fuerimus vnum & idem desideriũ, vnus & idem amor, ac vna eademque voluntas cum DEO tum inquam, & non antè eueniet, quòd cor nostrum, verum suum centrum, veram suam, ac tantopere expetitam requiem, & verbo, veras perfectásque delitias suas sit inuenturum. Nam in hoc consistit animæ nostræ nobilitas atque perfectio, quòd tanti boni capax à DEO

creata, nunquam tamen repleri poterit atque satiari, donec DEO, & Domino, ac summo bono suo repleatur. quando igitur erit hoc, vt tam beato fine simus fœlices? Et quis, ô Domine DEVS, tam ingenti bono nos beabit, vt à diuino tuo spiritu æternum possideamur? Et quis, ô DEVS meus, ô dulcis Amor meus! quis me adeò faciet beatum, vt diuinâ tuâ præsentiâ, diuino amore, ac vnione diuinâ in animâ meâ fruar? Verum absit vt dicamus, quòd hæc talia nimis sublimia sint, nimium periculosa, atque extraordinaria; quòd magna sit eorum paucitas, qui nati sint rerum tam cęlestium sublimium contemplationi atque fruitioni; hæc enim nemini impossibilia sunt, nisi qui pusillo & abiecto sunt corde, qui necessarijs se se medijs accommodare nolunt; qui omnem laborem necessarium subterfugiunt, sed potiùs à vanitatibus huius seculi, à voluptatum sensualium amore, à commoditatibus curandi corporis, ab effreni libertate ac irritamētis corruptæ naturæ superari sese patiuntur. Nam DEVS vires bene agendi daturus est illi, qui in diuino eius amore sese fideliter

deliter exercebit, qui ipsum concupiscet, ac in veritate toto corde suo eum requiret. *Ecce ego sto ad ostium*, ait, *& pulso*, exspectãs si quis mihi id velit aperire. *Si quis aperuerit mihi ianuam, intrabo ad illum, & cœnabo cum illo. Aperi mihi Soror mea, Amica mea, Columba mea*, inquit alibi, *quia caput meum plenum est rore, & cincinni mei guttis noctium*, tam multùm nempe temporis hic expectando consumpsi. *Quia delitiæ meæ esse cum filijs hominũ.* Verba sanè tam dulcia, tam ingens Dei dignatio: tam incomparabile beneficium: vt vel hoc solum ad cor nostrum diuini sui amoris Pharetra vulnerandum, & in se absorbendum sufficeret: si attenta mente orationibus insistentes tantã bonitatem subtilius consideraremus. Num igitur deinceps tantæ bonitatis amore illectus illud persequi statues? vlli ne labori parces! v am ne tam iucundam, tot amœnitatum variegatam flosculis refugies? Minimè gentium. Agè igitur, dic Magno illi Amoris infiniti Deo:

Apoc. 3.

Cant. 5.

O DEVS meus: vnica spes mea: amor

 ani-

animæ meæ: vnicæ cordis mei delitiæ, ſis tu pars mea, portio mea, & hæreditas mea in æternum. Non cupio, DEVS meus, poſthàc alias diuitias; non theſaurum alium, non alias delitias, præter te vnum. Tu ſolus mihi ſufficis, nã ſi te poſſedero, poſſidebo omne bonũ; & ſi te amauero, ero in te, & tu in me, gratiarum tuarum abundantiâ me replens. Et quia bonitas tua adeò omnem modum excedit, ac dignationis tuæ tanta eſt magnitudo, vt in me habitare non renuas, & meum amorem ſollicitè ambire non dedigneris, viciſſim te quantum poſſum amare volo, tantum autem potero quantum dederis. Quapropter præparabo cor meum, vt ſit nitidiſſimus amoris thorus, delitiarum tuarum conclaue, adornabo animam meam, vt regale tibi ſit palatium, Thalamus nuptialis, in quo caſta cum animâ meâ ſponſalia, iuge celebres conuiuium, & futuræ gloriæ pignus miniſtres. Ita me tui amore replebo, tam intimè me tibi, & te mihi vniam: vt amor tuus vita cordis mei, gaudium ſpiritus, & animæ meæ paradiſus ſit futurus. Sanè, ſi ſpreto ſæculo, & omni terrenâ

hæreditate desertâ, nihilominus tanti adeptio boni non sit nobis cordi: nec vlla nos tantæ bonitati (se in nos diffundere, & gratias suas nobis communicare tam promptæ) correspondendi angat sollicitudo, quid ergo quęso, volumus, quid quærimus vltra? vnde replebimus cor nostrum? quò dirigentur desideria, & cogitationes nostræ? *Non est vestrũ*, inquit S. Bernardus, *circa communia languere præcepta: neq; solùm attendere, quid præcipiat* DEVS, *sed quid velit, &c. Aliorũ est enim* DEO *seruire vestrum adhærere. Aliorum est* DEVM *credere, scire, amare, reuereri; vestrum est sapere, intelligere, cognoscere, frui.* Beatior ne obsecro res quæpiam est in mundo, quàm posse dicere: *Qui creauit me, requieuit in tabernaculo meo?* Agè ergo, nunquid mota tibi saliua est, & excitata orexis, optatissimæ fruitionis Amoris Diuini, Deiq; præsentiæ in animâ tuâ tibi conciliandę? nunquid breuiter nosse cupis aliqua media, quæ ad hoc consequendum plurimum conducent ac seruient? Ecce verò tibi paucis ijsque simplicissimis ver-

Ad frat. de mõte DEI.

bis primaria quædam Puncta quæ hoc loco inprimis necessaria tibi erunt.

DE COGNITIONE DEI, *ac sui ipsius.*

CAPVT II.


EMINERIS primò (& hoc totius huius structuræ fundamentū tibi esto) hæc adyta omni studio penetrare, vt verè & planissimè intelligas, hinc quidem qualis quantusq; sit ille Dominus, cuius gratiam imploras; illinc verò, quæ tua vilitas & indignitas. Nec vnquam committas velim, vt animo tuo elabatur humillima recognitio illius, quod reuera es, paruulus nempe vermiculus terræ, mundo inutilis, nec alij rei magis idoneus, quàm vt offendas DEVM, & facias malum; exinaniendo temetipsum, eo studio quo poteris, in propriâ tui æstimatione, ac verissimè te reputando indignissimam, vilissimam, & inutilissimam omnium creaturarum, quæ sunt in mundo. E contrario tanta de DEO concipienda tibi æstimatio est atque

atq; maiestas, vt firmissimè teneas credasq;, quòd sit magnus ac infinitus ille DEVS, in cuius conspectu, omnes cœlicæ potestates, Angeli iuxta ac Sancti atque Beati in cœlo, dum ei seruiunt, contremescunt; certi, omne id, quod toto conatu præstare possent, nihilum fore, si comparetur cum ministerio, gloriâ, & honore infinito, quo dignus est, ac in sæcula sæculorum erit. Hæc est illa magnitudo DEI infinita ab vnâ parte, & ab alterâ illud NIHIL, quod sunt omnes Creaturæ illius intuitu, profundissimè consideratum, & efficaci intellectu comprehensum, quo omnes Sancti, adeoque ipsa gloriosissima Virgo MARIA, antè Thronum infinitæ Magnitudinis eius, adeò humiles sunt effecti. Eodē igitur modo tu quoq; conscius paruitatis ac indignitatis tuę, non nisi intimâ profundissimâ, atque infinitâ reuerentia, quæ proueniat ab humillima subiectione interiori animæ tuę sub tam excelsâ DEI magnitudine, conuersare coram eo, age cum illo, roga eum, vt amoris ac gratiæ suæ diuinæ, te participem efficiat, & completionem beneplaciti sui in te perficiat.

ciat. Quòd si vlteriùs progrediaris, & considerationi paruitatis tuæ adjicias insuper iniurias & offensiones, quibus DEVM per peccatum irritasti, quis vnquam indignitatem tuam, Vilitatem ac Nullitatem tuam NIHILO ipso deteriorem, satis digna cogitatione ac indagatione comprehendet? Inter DEVM & te quæ obsecro proportio datur? Et interim violare leges ipsius per summam audaciam, transgredi mãdata per summum scelus, & effreni licẽtia contemnere Voluntatem eius, vt propriæ satisfacias, quotusquisque est, qui religioni sibi ducat? Hinc, hinc elicitur Peccati magnitudo enormis, ac tanta certè, vt sit summum totius Mundi malum, ac infortunium, quod reliqua omnia, quantumuis deploratissima, longo post se relinquat interuallo, nõ habens quod obstet, quò minùs in supremo abominationis gradu coram diuina maiestate collocetur, nisi solũ peccatum. Accedit, quòd millies præstaret omniũ bonorũm totius mundi iacturam facere, quàm vel semel in peccatum consentire. Ac profectò, nisi DEI bonitas obstaret, omnis creatura singulis horis prom-

promptissima foret ad vindictam iniuriæ DEO per peccatum illatæ erga nos exercendam. Fructus igitur, qui hinc nobis venit carpendus, erit, nullas molestias, nulla tormenta, nullam denique infamiæ notã nobis fore toleratu difficilem, si magnitudinem iniuriæ, qua DEVM per peccatum affecimus, altiori mente nobiscum reuoluamus; quin multò potiùs exoptandum nobis esset, vt omnes creaturæ pessimis modis, extremo contemptu, mille deniq; molestijs nos afficerent, tunderent, enecarent, hac ratione vti nobis secundùm demerita nostra redderetur: imò planè cogitandum nobis foret, nullam omnino iniuriam fieri nobis posse, omne supplicium siue tormentum longè æstimando infra id, quo sumus digni, dicentes cum sancto viro Iob, cap. 33. *Peccaui & verè deliqui, & vt eram dignus, non recepi.* Fundamentum igitur, basis, & origo totius perfectionis, radix & initium omnis virtutis, est vera illa & sincera paruitatis, vilitatis, ac Nullitatis nostræ cognitio: ex qua quia postmodum immediatè nascitur vera Humilitas, Virtus tot nominibus col-

laudata; adeoque necessaria, vtpote sine qua nemini ad DEVM, neque ad gratiarum ipsius participationem datur accessus, iam peropportunè de hac virtute, de eius necessitate, & essentia, ac de medijs ad illam consequendam necessarijs sumus tractaturi.

DE HVMILITATE.

CAPVT III.



RIMVM Documentũ, ac prima Regula in Schola Domini nostri IESV CHRISTI, à sacro eius ore pronunciata, est virtus Humilitatis, Contemptus, & Abiectio sui, sub istis adeò perspicuis & claris, adeò serijs, ac tanti momenti verbis comprehensa: *Nisi efficiamini sicut paruuli*, per humilitatem scilicet, ac nihili sui ipsius æstimationem *non intrabitis in regnum cælorum*: Secundùm quam sententiam, res nostra tam serio agitur, vt sine Humilitate nequaquam possimus placere DEO, & quòd præter illam, alia via non sit, qua eatur ad

ad astra, cùm sit origo, fundamentum, & conseruatrix omnis boni, quam omnes Sancti, qui sempiterna nunc beatitudine fruuntur, sunt amplexi, ac strictissimè obseruarunt velut primam regulam, ac primum Documentum in schola Virtutum. Ideoque etiam infallibile axioma est, ac certitudo, omni excusso dubio firmissimè roborata, quòd si vnquam aspirare sit animus ad quemcunque perfectionis gradum, siue gratiæ in hoc mundo, siue gloriæ in altero, necessarium planè sit, Vi & Vigore omnis necessitatis, vt efficiamur paruuli per humilitatẽ, paruuli in nostris oculis, paruuli nos exhibentes coram DEO, adeoq; coram toto mundo; æstimantes nos reuera, ac sine fictione, nihil esse aliud, quàm exiguos terræ vermiculos, seruos inutiles, indignos terra, quæ nos sustineat; pane, quem manducamus, aëre, quem spiramus: reputantes quemcumque alium longè nobis meliorem; conuersantes cum quolibet, licet vili & abiecto, omni cum mansuetudine modestia & benignitate; denique subuenientes proximo nostris obsequijs, in omni eius necessita-

te, quousque se vires nostræ extendunt, quippe qui ad alium finem non simus nati, quàm vt omnes seruitia, obsequia, studia nostra experiatur. Secus si faciamus, qua fronte audebimus vnquam comparere in præsentia magni illius speculi ac Exemplaris omnis Humilitatis, Redēptoris nostri IESV CHRISTI, in Præsepio, in Cruce, & in alijs mysterijs vitæ eius? quo vultu denuo reuertemur; ingerendo nos præsentiæ exorbitantis istius Humilitatis, per deuotam sacratissimorum illorum mysteriorum meditationem, si vitam, mores, actiones nostras nolimus componere ad illam normam, quam nobis ibi præscribit?

Verùm enim verò res est admiratione dignissima, plenissimaq;, quòd cùm tanta sit complexionum & appetituum humanorum diuersitas, cùm videlicet hic calidum, ille frigidum, hic amarū, ille dulce eligat appetatque, omnes tamen vnanimi concordia, pariter conspirent in illud desiderium, quo semper cupiunt videri aliquid esse, ac digito monstrari, nec quisquam sit adeò siue abiectæ, siue splendidæ cōditionis,

nemo siue tam sordidæ, siue tam opulentæ fortunæ, neminem etiam siue postrema & effæta, siue primæ vere florens ætas excipiat, qui non sentiat in corde suo certum aliquem appetitum, ac desiderium ambitione plenum, quo semper in aliqua æstimatione apud homines cupiat haberi, dum quilibet maior seipso videri studet; quilibet opiniones suas pertinaci contentione defendit, nec saniora suggerenti cedit; quilibet imperare, nemini obedire certat; cùm inquam nemo non illâ cupiditate feratur, vt in aliqua æstimatione semper haberi desideret, vel certè vestigia saltem & scintillas huius ardoris in animo suo retineat, quantocunque licet studio atque conatu in cōtrarium inclinet, quandoquidem nec loci commoditas, nec temporis occasio, nec status siue personæ conditio desint, vbi exsecranda illa superbia, & detestandum illud arrogantiæ semen nunquam non pullulare, ac perniciosissimos suos fructus producere, eorumq; vim & efficaciam mundo degustandam præbere conetur; Nunquid obsecro nūquid admiranda, imò stupenda res est, quòd in

ipſo etiam ſeruitio DEI, in contemptu mundi, in abnegatione ſui ipſius, imò in ipſo Humilitatis ſtudio, ab hoc maledicto genimine non ſimus liberi ac immunes? Ipſum Apoſtolorum Domini noſtri Collegium ſacratiſſimum, ab hac lue tutum eſſe non potuit, cùm alij primas cathedras appeterent, alij quis eorum eſſet maior inter ſe diſceptarent. Sed quæ familia debuerat maiori merito huius Infernalis Furiæ dentes effugiſſe, niſi Saluatoris? Et quæ perſonæ potiori iure debebant ab hac paſſione liberæ eſſe atque exemptæ, ac illæ, quos Saluator ipſe elegerat, vt eſſent mundo exemplum ac ſpeculum paupertatis, Humilitatis, & Mortificationis? & tamen hæc ſanctiſſima familia, quàm grauiter, quàm turpiter huius vitij notam incurrit? Mirum dictu! Nuncium remiſerant mundo, reliquerant omnia, & nihilominus adhuc conuertunt animos ad Primatus, ad dignitates inter ſe mutuo aucupandas. Hoc nobis eſto loco documenti, quanta nimirum occaſio nobis detur, vt vocationi noſtræ perpetuò ſumma ſollicitudine inuigilemus, ne res noſtrę quid detrimēti

capiant,

capiant, cùm nemo planè securus sit insidiarum, quas cuique struere solet pessima hæc radix æstimationis suiipsius, atque ambitionis. Et quid mirū, si nos pauperculi atque fragiles huius passionis vento agitemur, cùm ipsæ columnæ cœli motæ fuerint atque concussæ? S. Chrysostomus non abs re dicit, multos quidem inueniri, qui contempturi sint diuitias, qui voluptates spreturi; sed miram esse eorum raritatē, qui honores fastidiant, qui dignitates respuant, & qui in corde suo nescio quas non habeant superstites reliquias appetitus cuiusdam, quo cupiant alicuius esse nominis coram mundo. Prima igitur Lectio, quam Saluator in suâ Scholâ hîc nobis proponit, est Humilitas, & Nihil-æstimatio suiipsius: sed est quoque postremus conflictus, quo Fortitudinis, Constantiæ, ac Magnanimitatis nostræ in seruitio DEI specimen nobis est edendum, vt videlicet hoc desiderium gloriæ, honoris, & propriæ æstimationis in nobis debellemus, euertamus & annihilemus. Nihil quippe nobis prodesset, à vita nostra mundana, à voluptatibus carnis, à Diuitiarum,

rum,& omnium mundi gaudiorum vanitate,ad Dei obsequium transisse;si interea in solitudine nostra, in vita hac,à turbis sęculi abstracta,à maledicta illa inferni propagine, nostri ipsorum scilicet æstimatione, nos subuerti, vincique,patiamur.

Quod si nec ipsisAngelis superbientibus,Deus nō pepercit;Tu abiecte vermicule (inquit S.Bonauent.)quid putas tibi futurum ? Nec fecerunt illi, nec operati sunt quicquam; superbiam saltem mente conceperunt:& ecce nihilominus in instanti,irreparabili lapsu, præcipitati de cœlo in infernum,ceciderunt. quod si Superbia potuit exuere gratiâ DEI Angelum tantæ virtutis, tot illustrem prærogatiuis, ac tanto honore conspicuum; vt prima esset atque nobilissima omnium Creaturarū, quas DEVS creauerat, nunc verò superbiæ culpâ, infelicissima ac turpissima omnium, quæ vlla possit imaginatione concipi; quid tibi fiet, ô puluis & cinis, si superbiæ vento infleris? Credo(inquit S.Bonauentura) *quod tam spectandum monstrum diuinæ seueritatis in Angelo nobilißimo infirmis*

nobis

nobis proposuit & ostendit Deus, vt addiscamus quantum odit peccatum, & maximè superbiam, quòd pro vno motu cordis, nobilissima creatura omnium creaturarum, æternaliter & sine spe veniæ est damnata &c. Quòd si DEVS *non pepercit nobilissimo Angelo superbienti quid erit de vilissimo cinere & abiectissimo, in altum se extollente?* &c. Ideoque, *Discite à me* (inquit Dominus) *quia mitis sum & humilis corde.* Et si quæsieris, quem fructum sis percepturus, vbi hanc sanctam Humilitatem ab eo didiceris? Ideo ait, *inuenietis pacē ac requiē animabus vestris*: bonum mille votis à quolibet exoptatum, spiritus nempe tranquillitatem. O sancta Humilitas! Tu clauis perfectionis, tu porta Paradisi, & gratiæ diuinæ sedes. Neque verò alia ratio est, cur semper hæreamus in eodem luto, & cur via nobis adeò lōga efficiatur, nisi quòd ignoremus artem ac modum nosmetipsos, absque morâ relinquendi? Si in re vnâ nosmet deserimus, statim in aliquâ aliâ nosmet reperimus; tanto semper scilicet erga nos ipsos amore, ac peruerso

affectu

affectu inclinamur. Pro modulo tamen nostræ hac in re fidelitatis: tanto etiam in via ad Deũ proficiemus magis. Paucis igitur quid sit Humilitas, & quomodo illa acquirenda dicamus.

QVID SIT HVMILITAS.

EST quædam inclinatio, quæ hominem deijcit, humiliat, annihilat, & in profundum deprimit in præsentiã DEI, quoad interius, nec non etiam coram hominibus, quoad exterius.

Est virtus, quæ hilariter atq; voluntariè omnigenã iniuriam contemptũ, reprehensionem, correctionem rudem tractationem, & suimet confusionem, facit amplecti; eâdem animi acquiescẽtiâ, quâ sæculares homines honores, & diuitias, amplectuntur.

Est totalis Destructio Amoris, & honoris proprij; omnis quoque appetitûs, fauoris & gratiæ humanæ.

Est Deiectio suiipsius sub pedibus omnium Creaturarum quantumuis vilium & abiectarum, proueniens à Nihili-æstimatione & neglectu suiipsius, quo commouente fit, vt libenter cum pauperibus, exiguæ sortis hominibus,

ple-

plebeis, & id genus alijs, quos elati filij huius sæculi contemnunt, & ne respicere quidem dignantur, conuersemur.

Est in veritate coram DEO ambulare, semper sese reputando Creaturam pauperculam, nudam, exutam ac destitutam omni Gratiæ bono, nisi quātum Diuinæ Maiestati placuerit illi impertiri, non quidē propter eius merita, sed secundū magnitudinē suę Bonitatis; nil quicquā præter defectus & imperfectiones meras sibimet tribuendo, DEO autem omne bonum acceptum ferendo.

Est exigua opinio, vel potiùs Nihili-æstimatio suiipsius, non obstante quocunque Gratiæ dono, siue fauore singulari, quo DEVS eum ornauit; ita vt illa non extollantur exteriùs coram hominibus, neque etiam nimiùm ea interiùs admirentur; vanè de ijs, in semetipso sibi complacendo.

MEDIA *acquirendæ Humilitatis.*

PLanissimè sibi persuadere, quòd nulla vnquam persona sufficienti contemptu, confusione, ignominiâ, molestiâ & afflictione, meritis nostris condignâ, nos afficere possit. Non mul-

tùm

rùm laborare, vtrùm honoremur aut negligamur, reputando se velut mortuum, cuius inter homines memoria iam euanuit; vel potiùs velut id, quod reuerâ NIHIL est.

Nunquam se anxiè purgare, de quacunque etiam re, quamuis falsâ, quis sit delatus & accusatus: sed id omne patienter & animosè sustinere, & gaudere quod nobis aliqua sit occasio, contumeliam & infamiã pro Christi nomine patiendi. Ita vt eâ de re non conqueramur, nec apud vllum expostulemus.

Suaue esse ac iucundum abiecta ac vilia opera exequi, etiam alio sic volente ac iubente; tanquam ea, quæ illi quàm rectissimè conueniant.

Fugienda ac detestãda est omnis vana gloria, ostentatio, & φιλαυτία, siue complacentia suiipsius, fastidiendus omnis honor & omnia blandimenta mundi, cũ desiderio, velle potius ignorari, quam ab vllo honorari.

Ante omnia læto ac libenti vultu animoq; excipiendæ sunt reprehensiones, correctiones, & castigationes defectuum siue imperfectionum, ita vt nequaquam excusentur, celentur, aut exte-

extenuentur, sed multò potiùs vltrò aperiantur ac declarentur. Et pro complemento omnium horum, lætari quod alij nos putent hæc illubenter, ægrè, & magna cum interiori impatientia, ac quadam vindictæ aliquando capiendæ desiderio pati, esto nihil huiusmodi cogitemus, & nimisquam procul hinc absimus.

Plurimum quoque proderit eiusmodi cogitationum frequentior vsus atq; consuetudo: Nihil sum, Nullius sum valoris, Nihil boni facio, seruus inutilis sum. Non est in vniuerso mundo Creatura, quę DEO secundùm gratiam ab eo acceptam, non melius respõdeat, & quæ in suo genere fidelius prõptiusque obsequium ei non deferat, atq; ego. Si qui nũc infelicissimus sub sole mortalium est, tot media salutis & dona gratiarum accepisset, quot mihi DEVS concessit, multò certè & millies maiori fidelitate ei seruiret atque ego, &c. Et hac ratione cogitationes excellẽtię, & æstimationis propriæ facilè exterminabimus.

Quisquis ergo seipsum tali modo deijcit, & tanquam omnium mortalium

lium postremum sese omnibus submittit, sicut iam dixi, ab omni perturbatione, inquietudine, ac molestia animi, quæcunque etiam illi poterit obuenire, nullo negotio tutus erit; quia dum sese ita ipse abijcit, vilipendit ac contemnit, profundius humiliari ad deijci ab alio non poterit, quàm ipse seipsum. Atque eam ob rem, si exquisitissimis totius mundi afflictionibus, contumelijs, iniurijs proscindatur, leuia videbuntur ei omnia, respectu eorum, quibus semet dignum iudicat; atque ita nil quicquam animi perturbationem, illi poterit conciliare. Oneratur iniurijs, vel certè non ignorat, alios malè de se & sentire & loqui? Sācta hæc Humilitas sic eum docebit cogitare: Si hi scirent (vt quidē id ipse scit) quasnam ipse miserias ob passiones suas, vitiosas propensiones, propriam voluntatem, & similes peccati propagines subinde in animo patiatur, fore vt longè etiam plura de ipso dicerent; & sic à sede Tranquillitatis non dimoueri se patietur. Vilipenderis ergo, ac nihili fis? contemneris, aut reijceris, ac conculcaris ab hoc aut illo, hîc & alibi, à pluribus,

ribus, aut etiam à singulis? Mortificaris vbique? in te vnum ab omnibus omniũ ludibriorum atque scommatum tela conijciuntur? de tuo corio ab omnibus certatur? Macte animo! *Sic itur ad astra.* Hæc namque breuissima breuissima simul & certissima via est, si vlla, quà ad DEVM perueniatur. Eritne igitur quicquã in mũdo adeò præclarũ, vel adeò difficile, quod animos nostros à prosecutione huius tanti Boni, quod omni studio indagamus; auocare aut deterrere possit? quid enim (vt cum Apostolo loquar) nos separabit à charitate Christi: tribulatio an angustia an persecutio &c. Non, neque vita, neque mors &c. hoc efficere debent. Ideò nullum tepiditatis nostræ, & exigui in DEVM amoris certius argumentum reddere possemus, quam si in impatientia, ob verbum aliquod cõtumeliosum & honorem lædens, ob iniuriã & mortificationem nobis irrogatam; vsque in finem tenaciter perseuerare vellemus. Desiderium enim quo Christus nobis cedat in lucrum, id est, quo ad fruitionẽ Diuini ipsius amoris peruenire possimus, tanto ardoris igne corda nostra inflam- *Rom. 8.*

inflammare ac perurere deberet, vt huius generis omnium difficultatum ac molestiarũ spinis leuissimò pede transilire, absque vllo animi motu, deberemus.


Cant. 2. *Sicut liliũ inter spinas* (ait Sponsus in Cantico,) *sic amica mea inter filias.* Modus loquendi est, inquit Angelicus Doctor, D. Thomas, ac si cęlestis Sponsus clangore buccinæ promulgari iubeat, vt Anima, quę Spõsa eius, & Amica esse cupiat, sit sicut Rosa inter spinas; hoc est, sit Anima quieta, longanimis, Anima patiẽtiæ studio in aduersis effulgens, & in medio persecutionis, mortificationis, vitæ asperitatis, & suimet contẽptus æstu trãquilla. Sic etiam Sponsa, vt in eodem Cantico ostendat, quàm seriò ac perfectẽ talem se reddere laborarit, qualem Sponsus desiderauit, Cant. 1. *Nigra sum*, inquit, *sed formosa, filiæ Ierusalem. Ideò dilexit me Rex &c.* Nigra sum, extrinsecus, exteriori humiliatione, humillima de me opinione, & meimet contemptu; nihiliominus tamẽ formosa sum in oculis mei Spõsi: quamobrem. *Nolite me considerare, quòd fusca sim, quia decolorauit me Sol.*

Nolite

Nolite intueri vel admirari nigredinẽ coloris mei, neque id quod patior, quia Sol iustitię IESVS CHRISTVS, Dominus meus, cuius amore mundum dereliqui, ac omnem pulchritudinem cõtempsi, hoc insuper in me effecit, vt omnis generis opprobrijs ludibrijs, contemptui, ignominiæ atque confusioni, & meimet annihilationi me libens exponere non formidarim. Ideò fidenter ei dico: *Veniat Dilectus meus in hortum suum, & colligat fructus pomorum suorum*: Veniat in hortum animæ meæ; ibi enim flores & fructus illos & illa lilia, quæ in medio spinarum quærit, est inuenturus.

DE MORTIFICATIONE.

CAPVT IV.



LTERVM quod requiritur, & necessariò supponendum, est diligens exercitiũ Mortificationis, & Abrenuntiationis suimet ipsius, omnium illecebrarum Naturæ, prauarum inclinationum in peccatum, ac omnium motuum inordinato-

dinatorum, omniumque irritamentorum sensualitatis, amoris proprij, ac quæsitionis sui-ipsius; ita, vt vbicunq; cogitationes, desideria, affectus, aut inclinationes deprehendantur aliò dirigi, quàm ad DEVM, aut ad seruitium ipsius, confestim conuertatur ac redeat cor ad DEVM, velut ad vnicum suum scopum, eliciendo in se actus interiores in contrarium, cũ magno animo, ac ꝓtestatione, eiusmodi malis ac vitiosis reb. porrò nõ ampliùs consentiendi. Alioquin enim, qui viam Perfectionis se profitetur amplecti, absque serio studio Mortificationis exercendę, nullum alium in exercitio Amoris Diuini fructum consequetur, quàm vt Amorem propriũ nutriat, imperfectionibus suis augendis fomitem addat, & nunquam ad frugem perueniat.

Sicut fontis aliqua scaturigo, in plures canales deriuata, non ita vbertim singulis aquas suas cõmunicare posset, ac vni soli; si cæteris omnibus excepto isto, obturatis, vndas suas Chrystallinas, in illius sinum immittere posset ita vt qui cursum vnius istorum canalium augeri vellet ac intumescere, ne-

cess-

cesse haberet cæterorum, qui ab eadem origine aquas suas mutuātur, ora claudere, atque sic impediret, ne aqua eius in tot diuersa loca amplius dilaberetur: ita planè animus noster, in tot diuersas affectiones, in tot prauas inclinationes distractus atque distributus, desiderio Amoris Diuini nec libere incumbere, nec plene vacare potest; sed prorsus necessarium est vt cordi nostro quoddam quasi obturamentum & epistomium inijciamus, vt scilicet omnibus inclinationibus prauis, omnique inordinato amore nostri-ipsorum, resectis ac detruncatis, maiori cum impetu affectionum suarum vndas, iam simul collectas, ad vnū ac solum omnis sui Boni, obiectum (quod est DEVS, ac Diuinus ipsius amor) propellere possit, *Humanum cor*, ait S. Thomas, *tantò intensiùs in aliquod vnum fertur, quantò magis à multis reuocatur.* *De perf. spir. vit. cap. 6.*

Ad consequendum igitur hunc Diuinum Amorē, inter principaliora media hoc minimè postremum est, vt homo omnes potentias animæ in seipso colligat, easque à diuersis obiectis, quibus poterunt esse affixæ, planè auocet,

vt eas ad DEVM attollere atque eleuare, ac in DEO collocare possit, exercendo eas die nocteque in omni eo, quod ad amãdum permouere ac incitare potest. Quamdiu enim intellectus noster, rerum terrestrium amore occupatus, nostraque voluntas, memoria, imaginationes, affectiones, omnes denique sensus, aut cogitationes nostræ, extra nos hinc inde dispersę exulabunt, nunquam pertingemus ad veram Introuersionem, neque ad vnitatem & simplificationem spiritus, quæ est immediata præsentiæ DEI in anima nostra dispositio. Atque ecce tibi ipsum subiectum nostrorũ Exercitiorum in palęstra Perfectionis, vt istæ corruptiones, deprauationes, ac Infirmitates spirituales, assidua, diligenti ac fideli vigilãtia nostra, in nobis corrigantur atque reformentur, cum auxilio tamen gratiæ Diuinæ, cuius ex multis præcipuus effectus est, vt hæ infirmitates in nobis sanentur. Vt igitur secundi huius Puncti necessitas pleniùs cognoscatur, sciendũ, plures esse partes in Anima nostra, videlicet, Spiritum, Rationem, ac Naturam inferiorem, cum Corpore, partes toto

toto cœlo discrepantes ab inuicem, quarum aliæ sursum, aliæ deorsum; hæ ad DEVM, illæ ad nosmetipsos nos inclinant. Quocirca, si veram animi pacem, quietem, ac tranquillitatem interiorem, veræ spirituali vitæ tantopere commẽdatam, velimus adipisci, necesse erit; vt spiritus, tanquam ceteris nobilior pars, suo dominio, suisque legibus, quicquid reliquum est, subijciat; vniuersam hãc paruam Rempublicã, tam iuxta legis Diuinæ, quàm Rationis, Exemplorum ac doctrinæ Sanctorum, nec non luminis interioris Diuini, directionem gubernando. Primùm igitur, quoad corporis & hominis exterioris compositionem attinet, cõuersatio nostra sit oportet modesta, grauis, humilis, mansueta, benigna, & placida; modestiam & maturitatem, quam vera deuotio interior causat, exteriùs quantum possibile, semper conseruans. Vbi paucis multa comprehendi volo. Nam si homo id assequi potuerit, vt spiritum Deuotionis & recollectionis, non solùm tempore actualis Orationis, sed toto quoq; diei residuo, vigentem conseruet, ambulando sem-

per spiritu maturitatis, ac sibimet præsentis, hæc simul & semel; omnes virtutes morales facillimè poterit exercere, tam coràm DEO intrinsecus, quàm exteriori sua conuersatione corã mundo. De cætero, necessitas omninò exigit, vt Corpus omnibus planè delitijs, blandimentis, ac omni mollitiæ priuetur; quin potiùs duris & asperis rebus exerceatur ac dometur, si vnquã ad delitias spiritus Diuini interius gustãdas, admitti velimus: scriptũ est enim, Sapientiam non inueniri in terra suauiter & molliter viuentium; & quòd illi, qui spirituali militiæ Crucis Christi Domini nomen dederunt, *crucifixerint carnem suam cum omnibus vitijs & concupiscentijs suis*. Huc quoque pertinet Mortificatio sensuum exteriorum, res quidem, vt videtur, leuis & exigua; sed quieti cordis, Deuotioni, & spiritui, quem in oratione cõcepimus, fouendo ac cõseruando pernecessaria; sunt enim hi sensus veluti fenestræ, per quas mors in animas ingredi solet. Vera autem Deuotio, & interior Recollectio, res est initiò adeò tenella ac delicata, tamque cito euanescens, vt non solùm

1.Cor 15. *In labore & ærumnâ, in Vigilijs multis, in frigore & nuditate.*

Iob. 28.

Galat. 5.

ſolùm peccata, ſed imagines quoque rerum externarum, bona ſæpè propoſita, & ſalutaria in Oratione concepta deſideria facillimè exſtinguant, & interioribus ſpeciebus, quas Deuotio ibi produxerat, exilium exitiumque afferant. Verùm inprimis cuſtodia linguæ cuiuis quàm commendatiſſima eſſe debet, quia; Scripturâ teſte, vita & mors ab eâ dependent: ſicut econtrario Silentium, Clauis eſt ac Cuſtos Deuotionis, innocentiæ, pudoris, caſtitatis, & conſcientiæ puritatis. Quantum ſæpenumero detrimẽti capit exoptatiſſim⁹ iſte ſpiritus Recollectionis ac Deuotionis, ab inani ac ſuperuacaneo colloquio, à verbis otioſis, ab oblocutionibus, detractionibus, murmurationibus, & mendacijs? *Sicut vrbs patens, & abſq; murorũ ambitu*, ait Scriptura, *ita vir, qui non poteſt in loquẽdo continere ſpiritũ ſuũ.* Ideo, *ſi quis putat ſe Religioſum eſſe* (id eſt ſpiritualẽ) *nõ refrenans linguã ſuam, huius vana eſt religio.* *Prou. 18.* *Pro. 26.* *Iacob. 1.*

Corpore cum omnibus ſuis exterioribus ſenſibus bene ac aptè diſpoſito, reſtat maxima, atque principaliſſima

huius negotij pars, bonus nimirum ordo, ac recta & concinna dispositio Animæ intra seipsam. Primò, ipsa Natura inferior, quę omnes affectiones ac motus naturales, sicut Amoris, Odij, Gaudij, Tristitiæ, Desiderij, Timoris, Spei, Iræ &c. complectitur. Hæc est illa inferior Natura, quæ pedibus nostris planè subijcienda, ac subiuganda, adeoq; penitus debellanda & exstirpanda, quantū fieri humanitus potest, eaque non solū, iuxta Rationis Naturalis, verum etiam spiritûs Diuini leges componenda & dirigenda. Hæc quippe inferior Natura, omnium malorum, nostrorum fons est, & vnica perditionis nostræ causa: ab hac omnes suum, tum Diabolus tum peccatum, robur, vires, & ad nos oppugnandos arma, mutuantur. Hæc est insuper illa, cum primæua nostra Matre Eua comparata, cuius persuasione ac inductione Adam noster, hoc est, Superior nostra volūtas pellicitur ad esum, pomi vetiti, dum voluptatibus ac delectationibus illicitis consentit. Hæc est denique, quæ subiectum, & campum latissimè patentem nobis offert, quo exerceamur in omni virtute morali, &

mortifi-

mortificatione, cum virtutum moraliũ potissima pars, in eo consistat, quòd feras illas, & crudeles naturalium passionum nostrarũ belluas refrenet, coërceat, ac domet. Hæc est vinea, in quâ nobis absque intermissione laborandum; & Hortus spiritualis, qui perpetuò nobis colendus, atque à sordibus expurgandus est. Hæ sunt plantæ perniciosæ, ac nociuæ herbæ, quæ stirpitus eradicandæ sunt, vt diuina gratia & semen in lætam segetem excrescere, ac fructũ ferre possit. Hic elucescit maximò præcipuum filiorum DEI exercitium, dum nimirum, non ampliùs affectiones carnis & sanguinis: sed in omnibus Spiritus DEI impulsum motumque sequatur, & ab eo se dirigi sinant; atq; in hoc homines carnales à spiritualibus, & mũdi sectatores à filijs DEI differunt, quod illi suis desiderijs, suoque appetitu in præceps ferantur; hi verò ductũ Rationis, ac Spiritûs DEI sequantur. Hæc est illa mortificatio, & hæc illa Myrrha, tot tantisque in sacra Scriptura passim encomijs celebrata. Hæc est illa mors & sepultura, ad quam toties Apostolus nos cohortatur, ac inuitat.

Hæc eſt denique Crux, & noſtrimet Abnegatio, quam Euangelium nobis inculcat, in cuius ſtudio indefeſſo omnes noſtri labores, omnes vires, & orationes noſtræ cum omnibus noſtris exercitijs ſunt impendendæ: atq; ad hoc inprimis requiritur, vt ſuam quiſq; conditionem naturalē probè rimari, ſuaſque Inclinationes diligenter pernoſſe ac perſcrutari laboret.

Poſt hanc ſequitur & Mortificatio partis Rationalis, videlicet Intellectûs, Memoriæ, & voluntatis. Intellectus, cum omnibus ſuis curioſis ſpeculationibus, cum propria ſapientia, prudentia naturali, ſuo Iudicio, opinione ac placitis. Memoria, cū omnibus Vanitatum, ineptiarum, aliarumq; id genus mundi nugarum reminiſcentijs. Voluntas deniq; cū omnibus ſuis velleitatibus & deſideriolis, quæ nō referuntur ad DEVM, ſed ad corpus & ſeipſam retorquentur.

Sed quia hanc materiam duodecim Mortificationes Harphij, Tractatus quoque R. P. Franciſci Arias de Mortificatione copiosè, perfectè ac dilucidè pertractant, Libri certè digni qui om-

nium

nium veræ pietatis, & solidi fundamẽti in structura Perfectionis spiritualis, amãtium, manibus quotidie terantur, ad eorum lectionẽ hic te remitto, moneoque vehementer, vt sedulò serioq; in illis te exerceas, eosque tibi perfamiliares quotidiano vsu reddas: breui tantum verborum periodo totius negotij summam, ac medullam omnium eorum quæ dici possunt, aperire ac declarare tibi nunc animus est, vt te ad id faciẽdum accingas, quod hoc loco necessarium factu existimo. Ante omnia ergo hanc tecum rationem seriò ineas oportet, quòd istam viam acquirendi Amoris Diuini iam ingresso, pedem referre vel subsistere minimè liceat, sed quòd confestim absque vlla mora, hæsitatione, vel inducijs impugnandum sit, & suo velut in ortu præfocandum, omne genus passionũ inordinatarum, quæ in anima nostra exoriuntur; & quæ tranquillitatem eius, ac libertatem cõturbant; quodque nec rationi, nec prætextui aut excusationi vel effugio vlli sit locus, nec quicquam per fas aut nefas vllum prętendi possit, quod ad illis vel leuiter inhærendum nos inducat:

secus qui faxit, nequaquam fideliter in hac via se procedere, sique ita perseuerarit, nullos prorsus in ea progressus se facturũ nórit. Ita, vt sicut passiones, quæ sedem suã in corde habent, sunt Amor & Odium, Spes, & Timor, Ira, Gaudiũ, Tristitia & cæt. ille, qui hanc Perfectionis viam inire, ac in eo cũ fructu progredi cupit, certò sibi persuadeat, militiæ, iam datum nomen, ac de libertate nunc esse conclamatum, pugnandum esse, vincendum aut occumbendum, atque eam ob rem in nullo alio obiecto, spẽ, solatium, præsidiumque porro sibi ponendum, nisi in solo DEO, & in præsolatione Diuini eius Amoris, in eo omne bonum, omnem Thesaurum, omnemq; suam quietẽ collocando. Quòd si præter ista, quæcunq; adhuc alia, gloriam nempè, aut fauorem humanum, solatium, aut satisfactionem suæ naturæ insequi & appetere præsumat; toto cœlo semet decipit; nec ambulat in Veritate. Omnis autem passio Amoris & Desiderij sic ad DEVM applicanda est, vt ille sit solus, qui eos impleat & occupet, sitque subiectum omnium hominis cogitationum, id omne fugiendo,

do, negligẽdo, ac deteſtando, quod huic rei repugnat, ſicut ſunt peccatum, vanitas, inclinationes & appetitus inordinati, ac minutiores appetitus naturę. Gaudium quoque & Triſtitia ea moderatione regantur, vt decenti hilaritate & alacritate ſeruitium DEI peragendo, interioribus & occultis Triſtitijs, quæ aliquando poſſunt irrepere, minimè locus relinquatur; ſed, cùm conſtet, Amorem Diuinum non eſſe, niſi pacem & gaudiũ in Spiritu ſancto, detur opera, vt omnes id genus triſtitię & melancholiæ paſſiones, in dulciſſimo Diuini Amoris flumine mergantur. Sed & adhibenda ſummopere diligentia eſt, ne vnquam lætemur in rebus vanis, ſed in ſolo DEO, & ſecundùm DEVM; in rebus, quæ eius honorem, ſeruitium Diuinum, gloriam ac Diuinã eius voluntatem concernunt, nec minori ſtudio atque cura euitandæ, ac profligandæ omnes cogitationes, quæ iracundiam, rancorem, melancholiam aut deſolationem generant; quia ſuo felle dulcedinem, & ſerenitatem ſpiritus corrumpunt, & hac inſuper via in melius nunquam proficiemus.

Et quicunq; in his rebus deficit, certum est etiam debitas fidelitatis, quæ ex parte nostra in hac via necessariò requiruntur, partes non explere. DEI quidẽ partes sunt, gratias, illuminationes, & Diuinas cognitiones suas, animis nostris infundere; nostræ verò, passiones istas moderari clauo moralium virtutum. Et quamquam res illæ numero & difficultate eminere videantur, gratia tamen diuina ea virtute pollet, vt ad quęuis ardua & salebrosa transcendenda, robur animumque nobis sit additura. Bonum illud, ceu finis vltimus quem spectamus, ita singularis & desiderabilis est, adeo rar⁹, adeò præclarus, adeoq; est expetẽdus, vt quamuis ad vsq; profusionem extremæ guttæ sanguinis isthoc in labore desudandum nobis esset, omnia tamen parui facere deberemus, tanti Boni consideratione, cuius possessio in itineris huius fine nos manet. Qui non laborat, nunquam ditabitur: & quod paruo constat, parui quoque fieri solet.

DE

DE AMORE DIVINO.

CAPVT V.



OGNITIONE ſui-ipſius, & Mortificationis ſtudio ita ſuppoſitis pro primo & ſecundo Monito, Tertium, quo cupio proueharis in viâ perfectionis, eſt ingens amor, deſiderium, confidentia & ſpes in DEO, innixa eius bonitati, miſericordiæ infinitæ, & meritis Domini ac Saluatoris noſtri IESV CHRISTI. quia enim inter omnes motus affectuoſos Amor in nobis principẽ locum obtinet, vnde poſtmodum omnia alia deſideria, ſpes, gaudium, delectatio &c. tanquam à fonte dimanant; plurimùm ſanè intereſt, bono loco amorẽ noſtrum collocari, propterea, quòd ſi DEVS ſolus eum occupet, & ſi ille ſolus in animâ noſtrâ locum habeat, ille quoque ſolus deſideriorum noſtrorum, ſpei, gaudij &c. ſubiectum erit. Deinde etiam, quandoquidem omnes in actionibus noſtris feramur amore vel deſiderio alicuius rei, quã appetim⁹, effectus & efficacia talis amoris vel deſi-

derij

derij à nobis postulat, vt minimè difficiles simus, ad amplectendum ac ferendum id omne, quod ad eius acquisitionem nos perducet. Homo mundanus stimulatur amore diuitiarum, vt trans mare currat; & nihilominus totū istud amarum, dulce illi videtur, modò ad intentum suum finem pertingat; Ambitiosus, desiderio gloriæ ac mundani honoris incitatus, nihil quantũuis durum & asperum recusat subire, dummodo ad sitim sedandā admittatur: Ita homo Spiritualis, amore ac desiderio DEI sui impulsus, omnia licet asperrima difficillimaque subeat necesse est, quæ, vt suo fine potiatur, necessaria illi erunt. Atq; huius amoris desiderio cōmotus, cetera omnia sua munia, orationum, mortificationū, & similium, peragat oportet: cum hic amor primū præcipuumq; eius exercitium esse debeat, cui⁹ medio reliqua omnia ei leuia sunt futura. Legibus & statutis huius viæ spiritualis sancitum est, necessariū esse, trāsire per āquam & ignem diuersarum perpessionum & mortificationum, omne gaudium existimare in abiectione, lætari in vituperijs, in contemptu, humiliatio-

miliationibus & reprehensionibus; vtque paratissimi simus ad innumeros corporis & spiritus, labores ferendos, in Vigilijs, Ieiunijs, Orationibus, & Meditationibus; deniq́ue vt in his & similibus alijs laboribus ac occupationibus sine fine, sine vllâ cessatione aut remissione constanter perseueremus. Si igitur hic finis verè nobis sit cordi, si seriò eum appetamus, summâ etiam alacritate impellemur ad amplectēda talia media, suo tempore; & cùm eis erit opus, delectando nos in eorum præsentiâ, eaq́; amantes velut viam, cuius ductu absq; errore perueniamus ad optatum finem. Hinc etiam eorum contraria, quę sunt, nihil pati aut sufferre, honorari, laudari, exaltari, in delitijs nutriri, somno & socordiâ tempus suum consumere, multa incipere, nihil perficere; hæc inquā omnia, nobis quàm iniucundissima erunt; odioq́ue extremo atque exsecratione ea prosequemur, ac velut animarum præsentissimam pestē omni studio fugiemus, idq́ue respectu desiderij & amoris, quo flagramus erga bonū finale, quod nos obtenturos speramus, isto amore vires animosq́ue nobis

bis adſpirãte, ac omnes difficultates leuiores & ſuauiores nobis efficiẽte. Certè, cum hoſtibus noſtris validæ ſint cum malitia vires, ſit robur infractũ, adeoq; penè inuictũ, cùm labor ſit omniũ moleſtiſſimus, ſeipſum perfectè vincere, in omni re ſibimet abrenũciare, & in hoc vitæ ſtatu, conſtantiſſimâ perſeuerãtiâ vitã finire, hę ſunt res adeò ſtupendę, & adeò pugnãtes cum naturâ corruptâ, vt ſoli⁹ ſit Amoris Diuini opus ſubminiſtrare nobis vires & animos, ad ſubeundũ prompto & hilari animo iugũ adeò durũ, onuſq; adeò graue. Ac niſi amara hęc abſynthij potio miſceretur nectare diuini amoris, impoſſibile foret, vt hoc vitæ genus quiſquã, vel ſuſciperet, vel in eo multo tẽpore perſiſteret, priuari omni ſolatio in hoc mundo; intercludi omni aditu bonorũ, diuitiarũ, dignitatum, & honorũ appetendorũ; quin cogi in abiectione, contẽptu, & reprehenſionib. exultare, paupertatẽ de facto profiteri, ſubmittere ſe totũ voluntati alterius, mundanis voluptatibus perpetuũ vale dicere, diuerſis macerationib. corporis oblectari, Vigilijs, precibus, ac prolixis orationibus libenti animo immorari,

morari, & alia Exercitia spiritualia obire, sicut Regulæ huius viæ, quæ ad Perfectionem ducit, euincunt. Soli Amori Diuino hoc totũ debetur, qui nos suauiter decipit, ac vi suauitatis suæ nos ad se pellectos captiuat, reddens nobis iugum Domini leue & dulce, ac cor nobis dilatans, vt facillimè sanctas eius vias curramus. Ioan. 14. *Si quis diligit me, sermonē meũ seruabit.* Psal. 16. *Propter verba labiorum tuorum ego custodiui vias duras.*

Tibi igitur, si ad felicem, tranquillam, & spiritualem vitam prouehi desideres, hæc inprimis cura incumbet, vt principale tuum exercitium sit Amor Diuinus; vtque in omnibus actionibus, motibus, ac desiderijs tuis, Amor DEI, sit primum tuum mouens; nec aliud concupiscas aut velis, quàm quod ad augmentum & plenariam eius possessionem refertur.

AMOR DIVINVS, ET AMARE DEVM, *quid sit.*

CVM Amor charitatis mutua & reciproca amicitia sit inter Deũ & hominem, fundata super communi-

municatione ſupernaturali gratiæ in hoc mundo,& gloriæ in altero,per quã anima aſcendens ad DEVM,ei bene cupit, delectatur, & lætatur in omni eius bono,ob amorem ſui-ipſius, ob dignitatem & bonitatem, quæ eſt in ipſo: & DEVS vice verſâ deſcendens ad animam,ei quàm optimè fauet,& ob hunc fauorem non ſolùm liberaliſſimâ manu impertitur illi ſuas diuitias, participem eam gratiarum ac fauorum ſuorum faciẽdo, verùm etiam ſemetipſum totum, & ἀυτοπρόσωπον ei donat; dico, amorẽ, qui in creaturâ inuenitur, nunquam meliùs clariuſque cognoſci, quam ſi conferatur & opponatur amori DEI erga Creaturam. Propterea ſicut immenſus ille DEVS, Angelorum gloria,corã quo tremunt columnæ cœli, inebriatus vino bonitatis ſuæ erga ſuam Creaturam, propendet in animã, ſicut ſponſus in ſponſam ſuam,delitias ſuas collocando in eius præſentiâ colloquio,& continuâ conuerſatione: ita amor, qui conſiſtit in creaturâ, eſt participatio eiuſdem bonitatis,ac inebriatio eiuſdem vis amoris ei communicati,quo vermiculus ille incenſus, ac ſuæ

parui-

paruitatis oblitus, audet non solùm istā bonitatem infinitam, istam tremendam Maiestatem intueri, tanquam DEVM suum, Regem, & Patrem suum, vt eum adoret, timeat ac veneretur, verùm etiam non veretur ei appropinquare, ac se cum illo, velut cū æquali & amico, immò cum dilectissimoSponso, ac intimo cordis sui coniungere & vnire, deniq; velut cū eo, qui sibi magis est intimus, quàm illa sibi-ipsi, &cui illa magis, quā sibimet ipsi viuit, desiderās perpetuam eius præsentiam, & cōtinuos amplexus, immo eiusmodi cōiunctionem intimam, quâ non sit nisi vnum cum eo, quantum fieri potest.

Amor igitur Creaturæ erga DEVM, est amicitia, & beneuolentia erga Diuinam eius Maiestatem, cum affectione vnionis cū eius infinità bonitate, vnicè eum desiderādo, ac in omnibus eius bonis, quæ in ipso conspicit, ita semet oblectando, ac si propriè ad ipsam spectarent, & quasi ille esset alter idem.

AmorDiuinus in Creatura, est redūdantia & effectus, siue exhalatio ignis diuini, de cœlo lapsi, & in animam infusi, qui eiusmodi spiraculo vitę, & tām feli-

felici principio gratię cor perfundit, vt diuinus ille motus, affectio illa & inclinatio, connaturali modo, & absque vlla molestia à tam iucundo concursu gratiæ proficiscitur.

Est intima aspiratio & agitatio in DEVM, veluti scopum omnis sui boni, & vnicum animæ suæ thesaurum, producens adhærentiam, amplexum, constrictionem, & colligationem adeò firmam & arctam, vt de duobus non efficiatur nisi vnus spiritus & vnus amor.

Est inflammatio cordis, & desideriũ voluntatis, promptum ad diligendum DEVM supra seipsum, & supra omne quod est, & vnquam erit, aut subsistet.

Amare DEVM, Est actus voluntatis erga DEVM, resultans ab eius efficacia, virtute auxilij diuini, eò tendens, vt DEVM aliquando possidere, & in intimis sui ipsius penetralibus constringere possit.

Amare DEVM, Est se coniungere cum DEO, per vinculum amicitiæ & beneuolentiæ, à Spiritu sancto procedens, qui in cor nostrum se diffundens, inclinat, eleuat, transportat & vnit nos cum DEO, summo nostro bono, per necessitu-

cessitudinem, & adhæsionem adeò arctam & strictam, adeò familiarem, intimamque, & adeò incredibilem, vt Sancti, & Doctores Theologi remittant nos ad experientiam, qua satis dignè id intelligere possimus.

MEDIA *Acquirendi huius Amoris Diuini.*

PRima res, cõsequendo Amori Diuino necessaria, est generosa, potens, & planè resoluta, quędam affectio, omnes difficultates superandi, omniaque obstacula perrumpendi, non desistendo donec, id quod sic intendimus insequi, planè fuerimus assecuti: Vel, Est, cor hoc diuino amore adeò succensum habere, vt semper inclinet, feratur, tẽdat, & aspiret ad eum obtinendum, ita, vt cæteras affectiones omnes eliminet, ad relinquendũ huic vni locum, velut illi, quam solam cordi habet.

Et vt Amor iste, firmus & incõcussus seruetur aduersus quemcumque impetum, qui possit ab aliquo accidenti obuenire, quantumuis etiam Amicus ipse frontem aliquando corrugare, & austeriorem vultum inducere videatur, necesse

cesse est, vt hic Amor sit Beneuolētiæ & Amicitiæ, non verò concupiscentiæ & proprietatis; vtque spiritus ęquè in tribulatione & paupertate, ac in lætitia & felicitate, æquè per mille aduersitatum senticeta, quàm in medio roseto suauitatis, deliciarum, & rerum omnium ad votum fluentium prosperitatis, in DEO oblectetur; amando eum, nō vllius boni, commoditatis, & iucunditatis gratia, quæ vel recipitur vel exspectatur; sed propter bonitatem, dignitatem, & merita eius, quia sic fieri vult, idque sic fieri nobis præcepit: DEVS *enim debet à nobis diligi* (dicūt Theologi) *propter se, tanquam propter vltimum finem rerum omnium; ita vt quamuis nō esset exspectanda beatitudo, vellet eum nihilominus amare, quia vult & dignus est*: discendo hoc modo, actum sui amoris perficere sub hac ratione, quia dignus est, & sic vult, sine qua eius voluntate, ac diuino præcepto, nunquam nobis liceret aspirare ad rem adeò sublimem, tractandi videlicet de amore & amicitia erga diuinā eius maiestatem. Et quantò puriùs anima hoc modo est ama-

Valent. in 2. 2. de Charitat.

a matura, tantò maius augmentum in participatione bonitatis & gratiæ diuinæ cõſequetur: ac nihilominus participatio illa non eſt propriè id, quod principaliter eam ad talem ſinceritatẽ amoris mouere debet.

D. Tho. opuſc. debeat.

Licet enim Amor noſter in DEVM, ſit Amor amicitiæ; fundeturque in cõmunicatione gratiæ in hoc mundo, & gloriæ in altero: Non tamen vllibi dicit quod ideò debeamus eum diligere, vt eius gratiã vel gloriam acquiramus: ſed promiſit quod cùm eum propter ſemetipſum dilexerimus, gratiam ſuam nobis ſit largiturus. hinc D. Bern. Non ſine præmio diligitur DEVS (inquit) etſi abſq; præmij intuitu diligendus ſit.

Lib. de diligẽdo DEO.

Itaque neceſſe eſt vt velimus amare, ac ſeruire DEO, etiamſi nos pro ſuis nollet agnoſcere, ſed æternum potiùs perire permitteret; nihilominus tamẽ debemus ipſum velle amare, atque illi toto corde ſeruitium noſtrum mancipare, reputantes eum in ſeipſo verè dignum omni honore, quo poſſet à nobis certatim cumulari: & propterea, deſiderandum nobis eſt, vt omnis honor, omnis amor & reuerentia, debito cultu

& obsequio ei à nobis & ab vniuerso mundo præstetur, vtque ab omnibus, tam in aduersis, quàm prosperis rebus, omni dilectione, omni honore & officio ornetur.

In quo consistat primum hoc medium. Primum igitur hoc medium in eo consistit, vt feruenti desiderio consequendi huius diuini amoris ardeamus, vtque in incepto cursu absque vllâ remorâ perpetuo progrediamur, quamuis carni nostræ ac sensibus multo labore multaque fatigatione, id constet, fremēte licèt mundo, & quicquid mundani possent obloqui. Documentū verè omnium propè maximè necessarium in hac viâ, quia absque eiusmodi generosâ resolutione anima ferè semper frigebit, nec multum in hoc tramite proficiet. At verò nihil penè DEO gratius esse potest, quàm anima sic comparata, cuius voluntas non est nisi merum desiderium, non nisi merus amor, & mera affectio diligendi DEVM suum, & ad eum totis viribus adspirandi.

Psal. 131 Cui consentaneum est, quod Regius Propheta de se dicit, quòd *iurarit Domino, & votum fecerit Deo Iacob, si introiero in tabernaculum domus meæ, si ascen-*

ascendero in lectum strati mei; si dedero somnum oculis meis, & palpebris meis dormitationem, donec inueniam locum Domino, tabernaculum DEO *Iacob.*

Secundum medium pertingendi ad Diuinum hunc Amorem, est conseruatio continua præsentiæ DEI in animâ suâ, hoc modo. Indubitatâ fide tenendum, quòd immensus ille DEVS, & supremus omnium Dominus in intimis spiritus nostri penetralib. habitet, nec sit opus vt quæratur in cœlo, cùm nunquam non ita propè nobis sit præsens vt perpetuò in abditissimâ ac intimâ nostri sede commoretur, in apice nimirum & culmine nostri spiritûs, in medullâ animæ nostræ, & in centro cordis nostri. Qui, velut aliorum omnium oblitus, non nisi solam nostri curam suscepisset, ita quemlibet nostrûm in particulari absq; intermissione cōsiderat & obseruat, in nostris motibus, cogitationibus atque desiderijs, aduertens, vnde veniat, vbi sit, quò vidat, & ad quod tendat noster spiritus; quæ sit radix omnium eorum, quæ producimus in lucem; immo quæ motrix intima nostrarum cogitationum, intē-

Præsentia DEI

tionum, ac desideriorum, numerando, librando, metiendo res omnes, vt suo tempore, bonum aut malum, secundùm merita nostra nobis retribuat. Hiere. 17. *Ego Dominus scrutans cor & probans renes, qui do vnicuiq; iuxta viam suã, & iuxta fructũ adinuẽtionum suarum.* Ita vt nobis semper quâm proximè, adsit & assistat, sitque in medio nostrûm, intra nos, magis nobis intimus, quàm nos-ipsi nobismet-ipsis simus, qui ab eo in intimis recessibus nostris ita penetramur, & tam arcta ei coniunctione affigimur & adglutinamur, vt sine ipso nec man⁹ nec pedes mouere possimus, cùm sit totum quod sumus, adeoq; primum principiũ nostræ vitæ, in quo sumus, viuimus & mouemur, tanquam pisciculi, in imměso diuinæ eius essentiæ pelago absorpti. Si igitur tanti boni cõsequendi, quale est fruitio & possessio huius infiniti boni, per operationem Amoris & Gratiæ eius Diuinæ in te, quem in finem omnes sumus creati, desiderio tenearis; profunda cõsideratione ac diligentia connitendum tibi erit, vt hanc veritatem exactè intelligas,

gas, eamque seriò in animo tuo tecum perpendas, immo millies & millies per diem in corde tuo rumines; & postquã cognoueris, DEVM adeò propè tibi adesse, assiduo studio cor tuũ in eius præsentia reuoca, & cum timore, reuerentia, humilitate atque amore eleua ad eũ spiritum tuum, teq; excita ad eum vnicè desiderandum & amãdum, & ad collocandum in eo omnem spem, omneq; præsidium tuum.

Huius Medij fructus.

Is, qui hoc modo per operationem gratiæ interioris omnia impedimenta penetrauit, ac DEVM intra se inuenit; ea naturali facilitate ipsum attendit & obseruat in anima sua, vt ipsum persentiscat & cognoscat semper præsentem, ac omnium actionum, cogitationum atq; desideriorum perpetuum testem, idque sæpenumero ea abstractione & alienatione ab vniuersa hac massa terrestri, vt sibi videatur, nihil quicquã vltrà super-esse in mundo, præter DEVM, & cor suũ ad eum amandum, atq; hoc modo intra seipsum magna tranquillitate, serenitate, & quiete animi, atque immunitate ab omni turbulento motu conuersatur.

Interior attentio ad Deũ vnde procedat. Verùm hîc notandum, quòd ista attentio, & hic interior intuitus procedere debeat ex parte amatiua, ceu forti & generosa voluntate interiori, actualiter mouente intellectum ad quærendam faciem ac præsentiam illius, quem concupiscit. Nec enim leuis error foret, si quis solâ visione vel aspectu interiori contentus: nõ simul quoque, omni studio suauiter collaboraret ad excitandam etiam volũtatem. quare vt hac *Nota bene.* ratione DEVM in summitate mentis possis inuenire, ad eum cor tuum eleuare, & in eius præsentiâ semper conuersari. Et vt cordis tui eleuatio non sit simplex duntaxat imaginatio, aut cogitatio, quædam frigida & inefficax, sed realis, intellectualis, ac de corde procedens, memineris, in his initijs, partem tuam amatiuam assiduè excitare, per frequentissima interiora ac sincera desideria, eum perquam vnicè amandi, eius amore perintimè potiundi, ei complacendi, ac te denique totum ei perpetuò deuouendi, ac mancipandi, hisce vel similibus colloquijs internis mediantibus.

Abyssus:

Abyssus bonitatis, fons misericordiæ, mare inexhaustum amoris, Amor infinite, immẽse, DEVS meus & Creator meus, coniunge me tibi per misericordiam tuam infinitam.

Reuertor ad te, ô felicissimum principium meum, dulcis origo mea, finis meus, & quies mea, esto posthac totum ac solùm cogitationum mearum subiectum.

Offero me tibi, tibi me consecro, totum me tibi dedico, ad te amandum & honorandum, tibiq; soli seruiendum.

Totum me tibi trado ac deuoueo, ô DEVS cordis mei, ô vita animæ meæ, te eligens pro parte meâ, & hereditate meâ in æternum, in sæcula sæculorum.

DEVS meus, ô mi dilectissime Domine, bonum meum, desiderium meũ, quæro ex animo, ex intimo corde meo præsentiam & faciem tuam in summitate spiritûs mei. Vbi habitas, ô DEVS Israël! vbi est locus mãsionis tuæ, ô vita animæ meę, Rex meus, ac DEVS meus.

Cor meum nil quærit, nisi vt te videat, nil desiderat, nisi vt te habeat, nec vnquam acquiescet, nisi omnino tibi fuerit vnitum.

Nunc faciem tuã desidero, mox gratiam tuam requiro, & postea ad amorẽ tuum suspiro; sed totum hoc in fine nihil est, si tu totus meus non fueris.

IESVS ergo mea sola spes, meũ refugium vnicum, adoro te, benedico tibi, & te diligo ex toto corde meo.

Aspiratio quomodo fieri debeat

Et sic eiusmodi, vel similes interni sermones iaculatorij, qui ex intimo voluntatis proficiscantur oportet, consideratione præsentiæ DEI in nobis, attestabũtur, quòd non nisi DEVM spiremus, quòd præter ipsum nihil quæramus, & quòd omni cõtentione verè laboremus eò aliquãdo euadere, vt ipsum possimus amare. Sunt autem illi exercendi non obiter & perfunctoriè, aut festinanter, sed maturâ serenitate spiritûs, cum interiori harmoniâ & consensu, vt reuerâ quis sentiat & cognoscat, se desiderare, quærere, ac velle DEVM inuenire in mente sua, vt eum adoret, ac totis viribus amet. Adnitere igitur omni studio, vt per similes adspirationes, per id genus amatoria desideria, & interna colloquia cum DEO, de omnibus tam spiritualibus, quàm temporalibus tuis necessitatibus, acquiras

Fructus aspirationis.

humi-

humilem conuerſationem, cum Diuinâ eius Maieſtate, ac confidentiâ amore plenam, agendo planiſſimmè cum eo intra te omne id, ad quod deuotio tua te ducet, nec quicquam morando regulas vel inſtructiones, modò poſſis multum amare, ſiue temetipſum ei offerre velis, ſiue in laudes eius, & gratiarum actionem erumpere libeat, ſiue magnitudinis ac immenſitatis eius conſideratione abripi, & interiori humiliatione ſub hac immensâ ac infinitâ altitudine proſternere te malis, ſiue miſericordiæ ipſius fores pulſare, aut amorē eius expetere, ſiue denique afflictiones tuas ac tribulationes ei repræſentare placeat, totū perinde eſt, modò in præſentiâ DEI tibi perpetuò præſens eſſe aſſueſcas, & cordi tuo nec concedas exſpatiandi libertatem; nec ſenſibus tuis hinc inde euagandi frænum laxes.

Hic omnis affectio deuota exerceatur.

Hoc tamen inprimis notandum venit, quòd in hac via diuini amoris & aſpirationis amplexandâ, omnes animi vires in id intendere, ſerioque animum obfirmare oporteat, ad quæcunque difficultatum præcipitia ſuperanda. Et quamuis imbecillitas aliqua, vel

Reſolutio firma valdè neceſſaria.

deuotionis frigus nonnunquam succedat, animus tamen despondendus non est, sed speranda subinde meliora, ac diligentissimè cauendum, ne cor nostrum posthac in re alia, quàm in solo DEO, & in exspectatione amoris ac præsentiæ eius in anima nostra conquiescat, subtrahēdo illi omnem gustum, omneque solatium, quod in quacunq; re alia collocare posset; sed vt, neglecta omnium aliarum rerum cura ac recordatione, in sola vnitate ac simplificatione desiderij erga præsentiā & amorem diuinum summo & continuo studio conseruetur. Quòd si hæc arcta captiuitas, hic Amoris carcer, hoc strictissimum recollectionis interioris ac perpetuum claustrum primis initijs nō nihil molestum ac difficile videatur, diuinæ tamen gratiæ auxilium, conatibus nostris haud dubiè adfuturum, omnia mox leuia nobis reddet, ac spes futuri boni adipiscendi maiores animos addet. Sicut enim eius acquisitio inæstimabilis pretij est, ita quoque labor ei annexus omninò beatus censeri debet.

Ezech. 31. *Modicum laborabimus, & inueniemus nobis magnam requiem.*

MO-

MONITA QVAEDAM.

CAPVT VI.



VARTVM, quod desidero, est cognitio & obseruatio sequentium Monitorum. Quia enim in secunda Parte huius Tractatus de tota via veræ orationis Mentalis differere constitui, cuius partes erunt Meditatio, Aspiratio, Eleuatio, præsentia DEI, & aliæ, quæ ibi fusiùs pertractabuntur, hæc Monita maius lumen cognitionis illi Materię, quæ eo loco declaranda erit, sunt allatura. Sciendum autem primò, quòd Meditatio sit fundamentum, basis, & fulcrum Adspirationis. Exercitium enim Aspirationis præsupponit satis iā maturam ac magnam mysteriorum fidei nostræ cognitionem, & obligationum, quibus sumus infinitis modis obstricti, vt Dominum DEVM nostrū amemus: estq; inprimis fundatū in volūtate eum amandi; voluntate, inquam, non qualicumque, sed omnino forti, generosæ, resolutæ, efficaci, & actu ipso desiderandi persecútionem inchoati negotij, quantocunq; etiam pretio illi constet.

Partes Orationis mentalis.

Meditatio est fundamentum Aaspirationis.

Id quod plerunq; nobis vsu venire solet à frequenti meditatione, & profunda consideratione mysteriorum vitæ CHRISTI Domini, siue aliorum mysteriorum fidei, vbi, quàm magna DEO simus obligatione deuincti, solemus edoceri. quamobrem illi, qui eò vsque nondum peruenerunt, vt talem scilicet in se sentiant generosam resolutioné: sed potius maximis difficultatibus inuolui se aduertent in persequendo exercitio Aspirationis, velut pro eorum gustu & captu nimiùm spiritualis ac sublimis, necesse habentes crassiori occupatione, cuius virtute se defendant, & præualeant aduersus malum, seque salutaribus actibus intrà seipsos occupent, ac distineant, & necessarias virtutes acquirant; id sanè possunt, immo & debent, necessitate sic postulante, exsequi, donec sufficiēti ac solidiori instru-ctione ad bonum & ad virtutē formati fuerint ac firmati. Illi verò, qui dictis exercitijs aliqua ex parte iam assueti, ad cætera quæ sequuntur ac restant, sese præparare, atq; progredi cupiunt, postquam bonam temporis partem in crassiori imaginatione sacrorum mysteriorum,

rum, iuxta primum Meditandi modum consumpserint, contendere omni conatu debent ad secundum modum Meditandi, deinde ad Eleuationem spiritualem ad DEVM, velut in summitate mentis præsentem, & tunc nunquam longiùs ab eiusmodi spirituali eleuatione abire, nisi, à multis occurrẽtibus malis rebus obruti, cogerẽtur quandoque ad sanctas istas imaginationes reuerti, vt sic bonarum auxilio aliæ prauę ac vitiosæ depellantur. Nihilominus tamẽ, hisce nebulis dispulsis, & serenitate ac trãquillitate reddita, ad interiorem illam intellectualem, & affectuosam eleuationem statim redeundũ est: quòd si verò essent, qui sacrum aliquod mysterium, pro subiecto suę aspirationis ruminandum sumere vellent, vt tantò meliùs commodiusq; possent occupari, perquam id etiam bonum & laudabile foret; quia hoc modo meditatio cum aspiratione coniungeretur, nexu planè salubri, vt hoc medio paullatim in totale exercitium aspirationis sese quis insinuare, & ita non pęnitendos facere progressus posset. Meditatio namque sine Aspiratione comite, frigi-

da, lenta, & omnis efficaciæ expers est; coniuncta verò ei Aspiratio, affectionum ac desideriorum igne totam eam inualescere facit ac ardere. Sic Aspiratio, absque exiguo & leui aliquo subiecto Meditandi, pro primis istis initijs, perdifficilis est, ac magni laboris, desinens aliquando in pigritiam & socordiam in illis, qui relicta Meditatione, & nihilominus in Aspirationis exercitio suo remissi ac minùs fideles, in nuda tandem arena, nudi exponuntur. Atque eam ob caussam hic modus coniungendi Meditationem suam cum Aspiratione obseruatu dignissimus est, eò vsque, donec quis voluntatẽ suam, desiderium, ac totum suum internum statũ satis legitimè dispositum sentiat ad amandum DEVM, cognoscatque satis facili ac præsenti recollectione se præditum in diuina eius præsentia, & ad diuinum eius amorem perpetuò adspirantem: tunc enim illæ sacrorum mysteriorum imaginationes, illæ crassiores meditationes liberrimè possunt omitti atque deseri, vt quis sibi præsentem, ac recollectum semper esse adeoq; faciem & præsentiam DEI, vlteriùs

versus

versus spiritum purè mentaliter quærere addiscat: iuxta illa quæ in cap. 4. & cap. 6. declarabuntur.

II. MONITVM.

QVANDO tam hic quā alibi crassiores sacrorum mysteriorū imaginationes relinquēdæ dicuntur, hoc non ita intelligendum, vt sic omittātur, quasi ingens beneficium Redemptionis nostræ vel negligatur, vel parui æstimetur; omnia enim super illo, & meritis, quæ inde ad nos deriuantur, sunt fundata: sed eam ob caussam, quia cùm imaginatio, vna sit ex infimis & crassissimis potētijs animæ nostræ, quæ ad Naturam inferiorem pertinent, & cùm nihilominus finis noster, & nostra perfectio cōsistat in operationibus potentiarum superiorum, quamdiu quis crassiori illi modo procedendi semper adhæret: nunquam ad totales operationes spiritus progredietur, vt mentaliter in DEVM prout in anima nostra realiter præsens est, euehatur; id quod tamen omnino necessarium est, si ad interiorem fruitionem DEI hic aliquando peruenire velimus.

Imaginationes deserere, quomodo intelligendū.

Et

Et ideo, postquam subsidio bonarum Meditationum super Sanctis istis mysterijs, & gratiæ diuinæ auxilio, Natura corrupta aliquo modo reformata est, passiones domitæ, & vitiosæ inclinationes refręnatæ sunt, & iam aliqua interiùs cum DEO acquisita recollectio, cum magno desiderio se mortificandi, ac sibimet abrenunciandi, cum firmissimâ resolutione, nihil ita vel appetendi vel quærendi atque DEVM in animâ suâ, ac totum illud, quod ad continuandam hãc viam requiritur, promptè exsequendi; tunc omninò operæ pretium est, vt eiusmodi homo necessariò ducatur saltem ad secundum modum meditãdi, hîc infrà descriptum. Et cum rursus hac ratione maiorem adhuc lucem & cognitionem rerum interiorum, solidius desiderium, ac firmiorem resolutionem, sequendi DEVM in omnib. acquisiuerit, nil quicquam illi restabit, nisi vt huic Eleuationi spirituali, hîc quoque infrà descriptæ, assuescat, neq; ampliùs ad operationes imaginationũ descendat, nisi necessitas aliud suadeat, vt nascẽtibus tentationibus occuratur. Nã hucusq; nostra cooperatio, vel potiùs

tiùs diſpoſitio ad gratiā ſeſe extendit, nec DEVS nobiſcū operabitur ampliùs (iuxta curſum ordinariū) niſi in quantum eius auxilio adiuti, noſmet hic diſpoſituri, & Exercitia aſſumpturi ſum⁹. Alios ſequentes ſtatus quod attinet, vt ſunt vera & realis præſentia DEI, ſtatus Priuationis &c. illi non ſunt in noſtrâ poteſtate, nec in eorum claſſe numerādi, qui à noſtris proprijs vel à nobiſmet aſſumptis exercitijs dependent, ſed ſolus eſt DEVS, qui nos hîc manuducit; noſtræ verò partes ſunt, vt, eum ſequentes, ſolummodo cooperemur: quia quando illæ operationes fiunt, homo totaliter eſt introuerſus, ac in DEI manibus, qui ſua operatione intantum hominem regit ac poſſidet, vt potiores iam partes in interiori ſtatu obtinuerit. Verùm in primis iſtis ſtatibus, qui adhuc aliud nil ſunt, quàm initium veræ introuerſionis, poſſumus immò & debemus, de noſtro aliquid adferre, & quidem ſic adferre, quod DEVS nō poterit ampliùs in nobis operari, quàm nos ipſi noſmet ad id diſpoſituri, & cōuenientia exercitia ſimus adhibituri; propterea, quia toti adhuc ſumus in nobiſ-

Cooperatio noſtra neceſſaria.

bis-ipsis,& DEVS cum suâ operatione diuinâ nondum nos possidet, vt per seipsum integrè ac totaliter nos conducere quocunque vult possit. Nunquam verò verbis, quæ vota mea requirunt, sat exprimam, quantopere sit necessarium, vt hoc probè ac penitus intelligatur; quia complures hac opinione imbutos video, quòd vltra sacrorũ Mysteriorum Meditationem, necesse sit, vt DEVS ad omne illud, quod reliquum est, nos quasi inuitos trahat, non verò, vt nos ipsi nostrâ spõte nos pro modulo iuuemus: & huic errori debetur, quòd tam pauci ad cognitionem, & experiẽtiam rerum vlteriorum prouehantur, & quia earum indagandarum cupiditate non moti, rebus exterioribus implicari ac inuolui sese permittant.

Nota bene.

III. MONITVM.

QVAMVIS, vt quis exercitio Adspirationis eò feliciùs se totũ applicare ac impendere possit, requiratur, vt ante omnia, per exercitia Meditationum, passiones ac inclinationes suas sopiat ac reprimat, verã mortificationem amoris proprij, (omnium

nium vitiorum fontis) & virtutes morales acquirendo, non tamen necesse est ad tantam perfectionem illarum peruenisse, vt quis incipere possit, quantã sibi aliqui imaginantur. Nam hoc modo vix quisquam idoneus foret, qui ad res vlteriores sese accingere, & sat dignè disponere posset, quia nullus est status perfectionis in hac vitâ (de nobis loquor) in quo reliquiæ aliquæ corruptæ naturæ frequenter non sentiantur, est in quo quis persæpe muneri suo hâc ea parte non desit; Deinde, licet hęc tam exacta perfectio non habeatur, Exercitium Adspirationis & Amoris erga DEVM nequaquã impedit, quo minùs ille, qui eis destituitur, ad eorum consecutionem peruenire, ac in praxin & effectum perducere nõ possit. Quinimmò plurimum id iuuat, & conducit, adeoq; omnis etiam virtus modo longè excellentiori exercetur, quia is, qui in exercitio acquirendi veri Amoris DEI, omnem operam & laborem impendit, ponẽdo in hoc Amore vnicum & principale suum Exercitium, ex cõsequenti etiã acerrimè stimulabitur à tali desiderio, quo ardet ad complacendum DEO,

Minores imperfectiones non obstãt principali.

Omnes virtutes exercere modo excellẽti.

DEO, nihil vt prætereat, quod ei gratum & acceptum esse nouerit, & in húc finem quacumque occasione, quæ se ei offeret vtetur, nullâ prorsus neglectâ, absque multo remorsu, quòd seruitio ac illustrãdæ gloriæ defuerit illius, cuius gratiam, amorem atque præsentiam in animâ suâ, tanto labore, ac studio requirit & exoptat; & ita exequitur ac perficit omnia sua opera, tanquam imperata, & velut effectus illius fortis voluntatis, sinceri amoris, ac ineffabilis desiderij, quo flagrat erga DEVM, sciens nimirum, quod ad id acquirendum, ad quod tam vehementis desiderij æstu rapitur, necesse sit, vt hoc vel illud faciat, in hoc vel illo sibimet vim inferat, omnia pro nihilo ducens, modo ad id quod sic prætendit peruenire possit, obliuione quadam sui, rerumque omnium neglectu, sese in Deum continuè extendens: facilè etiam quascumq; occurrentes difficultates superare potest. Et hic modus exercẽdę virtutis & Mortificationis per similem obliuionem, alienationem, ac insensibilitatem sui ipsius, vero profectui multò cõuenientior est, quàm qui per actus directos ac planè

planè formatos perficitur, quamuis nihilominus illis etiam non rarò sit insistendum: nam hi tales, quamuis boni & meritorij, te nihilominus intra te in partibus inferioribus semper relinquunt, neque sic immediatè, velut præcedentes, ad DEVM eleuent. D. Thom. *quia charitas habet pro obiecto vltimũ finem humanæ vitæ, scilicet beatitudinem æternam. Ideo extendit se ad actus totius humanæ vitæ, non quasi immediatè eliciens omnes actus virtutũ, sed per modum Imperij. Vnde Apost. 1. Cor. 13. Charitas patiens est, benigna est &c. & cap. vlt. Omnia opera vestra in charitate fiant.*

D. Tho. 2. 2. q. 23. a. 4.

IV. MONITVM.

DIstinguendi sunt igitur duo Modi exercendæ virtutis & Mortificationis: vnus per act⁹ omnino formatos in seipso, cum interiori omnino depicto ab eiusmodi actibus referendo tamen illos ad DEVM, ad amorẽ ipsius, siue ad omne id, quod volueris, per rectam intentionem; alter, per modum quendam quasi indirectum vel concomitan-

Duo modi notabiles exercendæ virtutis

[illegible] ; quod quis sic ni-
[illegible] desideriū amoris diuini ita ar-
[illegible] cordi suo impresserit, vt quærat
[illegible] semper; hocque ipsum de-
[illegible] sit efficax, & hominem sic
[illegible] ad interiora rapiat, vt, si verbi
[illegible] cum fortè contemni,
[illegible] aut exteriùs mor-
[illegible] antè, tranquillitate,
[illegible] ipsius, quasi nil quic-
[illegible] exercitium suū per-
[illegible] nec remoretur aut desistat ob
[illegible] prosperam, vel ad-
[illegible] mundo ei obuenire pos-
[illegible] insensibilem erga na-
[illegible] eiusmodi motum,
[illegible] & ita res omnes
[illegible] cum DEO
[illegible] Hic est il-
[illegible] DEVS imbuere ac infor-
[illegible] per humili-
[illegible] ac nihil morari iniurias,
[illegible] penitus non incum-
[illegible] diuino eius amo-
[illegible] hodierno die repe-
[illegible] amore proprio & cōmo-
[illegible] penitus irretiti, mul-
[illegible] immortificationis si-
gna,

gna, cùm se offert occasio, edunt, omnemq; mortificationem & contemptũ longè difficillimũ experiuntur ac crudo stomacho digerunt, nescientes in eiusmodi casibus formare actus virtutũ, qui si modò humore isto essent imbuti, nullo negotio talia superare possent. Quia enim toti sunt in seipsis & in natura absorpti, destituti hoc exercitio, & desiderio actuali erga DEVM, quid mirũ, si similes effectus producat corrupta eorum natura, & similes habeant labra lactucas? Illi ipsi, qui Perfectionis culmen conscenderunt, quando eis, (cùm operationibus diuinis sunt priuati,) accidere solet, vt penitus in seipsos in parte inferiori, relabantur, ita vt tendentiã illam, & eleuationem in DEVM actu exercere non possint, velis remisq; contendant oportet, ad reprimendam hanc naturam, ne fructus corruptioni suæ conformes progeneret: neque enim in seipsis, sed in DEO solo, cuius beneficio omnes virtutes possident, perfectionem suam constituunt. Alter igitur hic modus, ratio est exercendi omnes simul virtutes vno & eodem actu, & nil quicquam interim ac

ne

da, lenta, & omnis efficaciæ expers est; coniuncta verò ei Aspiratio, affectionum ac desideriorum igne totam eam inualescere facit ac ardere. Sic Aspiratio, absque exiguo & leui aliquo subiecto Meditandi, pro primis istis initijs, perdifficilis est, ac magni laboris, desinens aliquando in pigritiam & socordiam in illis, qui relicta Meditatione, & nihilominus in Aspirationis exercitio suo remissi ac minùs fideles, in nuda tandem arena, nudi exponuntur. Atque eam ob caussam hic modus coniungendi Meditationem suam cum Aspiratione obseruatu dignissimus est, eò vsque, donec quis voluntatē suam, desiderium, ac totum suum internum statū satis legitimè dispositum sentiat ad amandum DEVM, cognoscatque satis facili ac præsenti recollectione se præditum in diuina eius præsentia, & ad diuinum eius amorem perpetuò adspirantem: tunc enim illæ sacrorum mysteriorum imaginationes, illæ crassiores meditationes liberrimè possunt omitti atque deseri, vt quis sibi præsentem, ac recollectum semper esse adeoq; faciem & præsentiam DEI, vlterius versus

versus spiritum purè mentaliter quærere addiscat iuxta illa quæ in cap. 4. & cap. 6. declarabuntur.

II MONITVM.

QVANDO tam hîc quã alibi crassiores sacrorum mysteriorũ imaginationes relinquẽdæ dicuntur, hoc non ita intelligendum, vt sic omittatur, quasi ingens beneficium Redemptionis nostræ vel negligatur, vel parui æstimetur; omnia enim super illo, & meritis, quæ inde ad nos deriuantur, sunt fundata: sed eam ob caussam, quia cùm imaginatio, vna sit ex infimis & crassissimis potẽtijs animæ nostræ, quæ ad Naturam inferiorem pertinent, & cùm nihilominus finis noster, & nostra perfectio cõsistat in operationibus potentiarum superiorum, quamdiu quis crassiori illi modo procedendi semper adhæret, nunquam ad totales operationes spiritus progredietur, vt mentaliter in DEVM prout in anima nostra realiter præsens est, euehatur; id quod tamen omnino necessarium est, si ad interiorem fruitionem DEI hic aliquando peruenire velimus.

Imaginationes deserere, quomodo intelligendũ.

Et

Id quod plerunq; nobis vsu venire solet à frequenti meditatione, & profunda consideratione mysteriorum vitæ CHRISTI Domini, siue aliorum mysteriorum fidei, vbi, quàm magna DEO simus obligatione deuincti, solemus edoceri. quamobrem illi, qui eò vsque nondum peruenerunt, vt talem scilicet in se sentiant generosam resolutionē: sed potius maximis difficultatibus inuolui se aduertent in persequendo exercitio Aspirationis, velut pro eorum gustu & captu nimiùm spiritualis ac sublimis, necesse habentes crassiori occupatione, cuius virtute se defendant, & præualeant aduersus malum, seque salutaribus actibus intrà seipsos occupent, ac distineant, & necessarias virtutes acquirant; id sanè possunt, immo & debent, necessitate sic postulante, exsequi, donec sufficiēti ac solidiori instructione ad bonum & ad virtutē formati fuerint ac firmati. Illi verò, qui dictis exercitijs aliqua ex parte iam assueti, ad cætera quæ sequuntur ac restant, sese præparare, atq; progredi cupiunt, postquam bonam temporis partem in crassiori imaginatione sacrorum mysteriorum,

rum, iuxta primum Meditandi modum consumpserint, contendere omni conatu debent ad secundum modum Meditandi, deinde ad Eleuationem spiritualem ad DEVM, velut in summitate mentis præsentem, & tunc nunquam longiùs ab eiusmodi spirituali eleuatione abire, nisi, à multis occurrētibus malis rebus obruti, cogerētur quandoque ad sanctas istas imaginationes reuerti, vt sic bonarum auxilio aliæ prauę ac vitiosæ depellantur. Nihilominus tamē, hisce nebulis dispulsis, & serenitate ac trāquillitate reddita, ad interiorem illam intellectualem, & affectuosam eleuationem statim redeundū est: quòd si verò essent, qui sacrum aliquod mysterium, pro subiecto suę aspirationis ruminandum sumere vellent, vt tantò meliùs commodiusq; possent occupari, perquam id etiam bonum & laudabile foret; quia hoc modo meditatio cum aspiratione coniungeretur, nexu planè salubri, vt hoc medio paullatim in totale exercitium aspirationis sese quis insinuare, & ita non pęnitendos facere progressus posset. Meditatio namque sine Aspiratione comite, frigi-

da, lenta, & omnis efficaciæ expers est; coniuncta verò ei Aspiratio, affectionum ac desideriorum igne totam eam inualescere facit ac ardere. Sic Aspiratio, absque exiguo & leui aliquo subiecto Meditandi, pro primis istis initijs, perdifficilis est, ac magni laboris, desinens aliquando in pigritiam & socordiam in illis, qui relicta Meditatione, & nihilominus in Aspirationis exercitio suo remissi ac minùs fideles, in nuda tandem arena, nudi exponuntur. Atque eam ob caussam hic modus coniungendi Meditationem suam cum Aspiratione obseruatu dignissimus est, eò vsque, donec quis voluntatē suam, desiderium, ac totum suum internum statū satis legitimè dispositum sentiat, ad amandum DEVM, cognoscatque satis facili ac præsenti recollectione se præditum in diuina eius præsentia, & ad diuinum eius amorem perpetuò adspirantem: tunc enim illæ sacrorum mysteriorum imaginationes, illæ crassiores meditationes liberrimè possunt omitti atque deseri, vt quis sibi præsentem, ac recollectum semper esse adeoq; faciem & præsentiam DEI, vlteriùs

versus

versus spiritum purè mentaliter quærere addiscat iuxta illa quæ in cap. 4. & cap. 6. declarabuntur.

II. MONITVM.

QVANDO tam hîc quã alibi crassiores sacrorum mysteriorũ imaginationes relinquẽdæ dicuntur, hoc non ita intelligendum, vt sic omittãtur, quasi ingens beneficium Redemptionis nostræ vel negligatur, vel parui æstimetur; omnia enim super illo, & meritis, quæ inde ad nos deriuantur, sunt fundata: sed eam ob caussam, quia cùm imaginatio, vna sit ex infimis & crassissimis potẽtijs animæ nostræ, quæ ad Naturam inferiorem pertinent, & cùm nihilominus finis noster, & nostra perfectio cõsistat in operationibus potentiarum superiorum, quamdiu quis crassiori illi modo procedendi semper adhæret: nunquam ad totales operationes spiritus progredietur, vt mentaliter in DEVM prout in anima nostra realiter præsens est, euehatur; id quod tamen omnino necessarium est, si ad interiorem fruitionem DEI hic aliquando peruenire velimus. *Imaginationes deserere, quomodo intelligendũ.*

Et

Et ideo, postquam subsidio bonarum Meditationum super Sanctis istis mysterijs, & gratiæ diuinæ auxilio, Natura corrupta aliquo modo reformata est, passiones domitæ, & vitiosæ inclinationes refrenatæ sunt, & iam aliqua interiùs cum DEO acquisita recollectio, cum magno desiderio se mortificandi, ac sibimet abrenunciandi, cum firmissimâ resolutione, nihil ita vel appetendi vel quærendi atque DEVM in animâ suâ, ac totum illud, quod ad continuandam hâc viam requiritur, promptè exsequendi; tunc omninò operæ pretium est, vt eiusmodi homo necessariò ducatur saltem ad secundum modum meditãdi, hîc infrà descriptum. Et cum rursus hac ratione maiorem adhuc lucem & cognitionem rerum interiorum, solidius desiderium, ac firmiorem resolutionem, sequendi DEVM in omnib. acquisiuerit, nil quicquam illi restabit, nisi vt huic Eleuationi spirituali, hîc quoque infrà descriptæ, assuescat, neq; ampliùs ad operationes imaginationũ descendat, nisi necessitas aliud suadeat, vt nascẽtibus tentationibus occuratur. Nã hucusq; nostra cooperatio, vel potiùs

tiùs dispositio ad gratiã sese extendit, nec DEVS nobiscũ operabitur amplius (iuxta cursum ordinariũ) nisi in quantum eius auxilio adiuti, nosmet hic dispositori, & Exercitia assumpturi sum⁹. Alios sequentes status quod attinet, vt sunt vera & realis præsentia DEI, status Priuationis &c. illi non sunt in nostrâ potestate, nec in eorum classe numerãdi, qui à nostris proprijs vel à nobismet assumptis exercitijs dependent, sed solus est DEVS, qui nos hîc manuducit; nostræ verò partes sunt, vt, eum sequentes, solummodo cooperemur: quia quando illæ operationes fiunt, homo totaliter est introuersus, ac in DEI manibus, qui sua operatione intantum hominem regit ac possidet, vt potiores iam partes in interiori statu obtinuerit. Verùm in primis istis statibus, qui adhuc aliud nil sunt, quàm initium veræ introuersionis, possumus immò & debemus, de nostro aliquid adferre, & quidem sic adferre, quod DEVS nõ poterit ampliùs in nobis operari, quàm nos ipsi nosmet ad id dispositori, & cõuenientia exercitia simus adhibituri; propterea, quia toti adhuc sumus in nobis-

Cooperatio nostra necessaria.

bis-ipsis,& DEVS cum suâ operatione diuinâ nondum nos possidet, vt per seipsum integrè ac totaliter nos conducere quocunque vult possit. Nunquam verò verbis, quæ vota mea requirunt, sat exprimam, quantopere sit necessarium, vt hoc probè ac penitus intelligatur; quia complures hac opinione imbutos video, quòd vltra sacrorũ Mysteriorum Meditationem, necesse sit, vt DEVS ad omne illud, quod reliquum est, nos quasi inuitos trahat, non verò, vt nos ipsi nostrâ spôte nos pro modulo iuuemus: & huic errori debetur, quòd tam pauci ad cognitionem, & experiẽtiam rerum vlteriorum prouehantur, & quia earum indagandarum cupiditate non moti, rebus exterioribus implicari ac inuolui sese permittant.

Nota bene.

III. MONITVM.

QVAMVIS, vt quis exercitio Adspirationis eò feliciùs se totũ applicare ac impendere possit, requiratur, vt ante omnia, per exercitia Meditationum, passiones ac inclinationes suas sopiat ac reprimat, verã mortificationem amoris proprij, (omnium

nium vitiorum fontis) & virtutes morales acquirendo, non tamen necesse est ad tantam perfectionem illarum peruenisse, vt quis incipere possit, quantã sibi aliqui imaginantur. Nam hoc modo vix quisquam idoneus foret, qui ad res vlteriores sese accingere, & sat dignè disponere posset, quia nullus est status perfectionis in hac vitâ (de nobis loquor) in quo reliquiæ aliquæ corruptæ naturæ frequenter non sentiantur, est in quo quis persæpe muneri suo hâc ea parte non desit; Deinde, licet hęc tam exacta perfectio non habeatur, Exercitium Adspirationis & Amoris erga DEVM nequaquã impedit, quo minùs ille, qui eis destituitur, ad eorum consecutionem peruenire, ac in praxin & effectum perducere nõ possit. Quinimmò plurimum id iuuat, & conducit, adeoq; omnis etiam virtus modo longè excellentiori exercetur, quia is, qui in exercitio acquirendi veri Amoris DEI, omnem operam & laborem impendit, ponẽdo in hoc Amore vnicum & principale suum Exercitium, ex cõsequenti etiã acerrimè stimulabitur à tali desiderio, quo ardet ad complacendum DEO,

Minores imperfectiones non obstãt principali.

Omnes virtutes exercere modo excellẽti.

DEO, nihil vt prætereat, quod ei gratum & acceptum esse nouerit, & in hūc finem quacumque occasione, quæ se ei offeret vtetur, nullâ prorsus neglectâ, absque multo remorsu, quòd seruitio ac illustrādæ gloriæ defuerit illius, cuius gratiam, amorem atque præsentiam in animâ suâ, tanto labore, ac studio requirit & exoptat; & ita exequitur ac perficit omnia sua opera, tanquam imperata, & velut effectus illius fortis voluntatis, sinceri amoris, ac ineffabilis desiderij, quo flagrat erga DEVM, sciens nimirum, quod ad id acquirendum, ad quod tam vehementis desiderij æstu rapitur, necesse sit, vt hoc vel illud faciat, in hoc vel illo sibimet vim inferat, omnia pro nihilo ducens, modo ad id quod sic prætendit peruenire possit, obliuione quadam sui, rerumque omnium neglectu, sese in Deum continuè extendens: facilè etiam quascumq; occurrentes difficultates superare potest. Et hic modus exercēdę virtutis & Mortificationis per similem obliuionem, alienationem, ac insensibilitatem sui ipsius, vero profectui multò cōuenientior est, quàm qui per actus directos ac

planè.

planè formatos perficitur, quamuis nihilominus illis etiam non raro sit insistendum: nam hi tales, quamuis boni & meritorij, te nihilominus intra te in partibus inferioribus semper relinquunt, neque sic immediatè, velut præcedentes, ad DEVM eleuent. D.Thom. *quia charitas habet pro obiecto vltimũ finem humanæ vitæ, scilicet beatitudinem æternam. Ideo extendit se ad actus totius humanæ vitæ, non quasi immediatè eliciens omnes actus virtutũ, sed per modum Imperij. Vnde Apost. 1. Cor. 13. Charitas patiens est, benigna est &c. & cap. vlt. Omnia opera vestra in charitate fiant.* *D. Tho. 2. 2. q. 23. a. 4.*

IV. MONITVM.

DIstinguendi sunt igitur duo Modi exercendæ virtutis & Mortificationis: vnus per act⁹ omnino formatos in seipso, cum interiori omnino depicto ab eiusmodi actibus referendo tamen illos ad DEVM, ad amorẽ ipsius, siue ad omne id, quod volueris, per rectam intentionem; alter, per modum quendam quasi indirectum vel concomitan- *Duo modi notabiles exercendæ virtutis*

gna, cùm se offert occasio, edunt, omnemq; mortificationem & contemptũ longè difficillimũ experiuntur ac crudo stomacho digerunt, nescientes in eiusmodi casibus formare actus virtutũ, qui si modò humore isto essent imbuti, nullo negotio talia superare possent. Quia enim toti sunt in seipsis & in natura absorpti, destituti hoc exercitio, & desiderio actuali erga DEVM, quid mirũ, si similes effectus producat corrupta eorum natura, & similes habeant labra lactucas? Illi ipsi, qui Perfectionis culmen conscenderunt, quando eis, (cùm operationibus diuinis sunt priuati,) accidere solet, vt penitus in seipsos in parte inferiori, relabantur, ita vt tendentiã illam, & eleuationem in DEVM actu exercere non possint, velis remisq; contendant oportet, ad reprimendam hanc naturam, ne fructus corruptioni suæ conformes progeneret: neque enim in seipsis, sed in DEO solo, cuius beneficio omnes virtutes possident, perfectionem suam constituunt. Alter igitur hic modus, ratio est exercendi omnes simul virtutes vno & eodem actu, & nil quicquam interim ac ne

pore soli exercitio virtutum moralium & acquisitarũ adhærentes cernunt, frequenter eos arguẽtes tantæ inutilis adhærentiæ, quę caussa est, quòd ad cognitionem veri spiritus DEI, & internarũ semitarum diuini eius amoris nũquam perueniant. Norunt enim, quòd eiusmodi exercitijs virtutũ semper ita formatarum in seipsis, ætatem sint prius consumpturi, quàm in spiritu eleuẽtur, nisi per aliud exercitiũ quoddam, magis immediatum cum DEO, eò euehi laborent.

V. MONITVM.

NE quis tamẽ me arguat velim, neque in hãc cogitationem descendat, quasi ob suprà dictum illum loquendi modum, acquisitioni atque praxi virtutum moralium & acquisitarum vel minimum velim derogatum; nam in re ipsâ inter nos conuenit, videlicet, illas necessariò acquirendas, & fideliter in praxin deducendas esse, nec vlli dubitationi eâ de re locum dari: sed id, quod hîc vrgeo, & inculco, est modus procedendi, quo ad hanc acquisitionem, & facilimam praxin per-

ueniatur, & quo, nõ obſtante attentione ad iſtud, nemo in ſuo interiori progreſſu, quocunq; modo retardetur, certò ſibi perſuadens, huius modi obſeruationem plurimum conferre ad celerem & felicem in bene proficiẽdo ſucceſſum. Nam noſmetipſos imperfectionibus & defectibus in naturâ obnoxios eſſe deprehẽdemus, à quibus nunquã perfectè liberi eſſe poterimus, niſi tunc, cũ naturâ inferiori ad intrà proculcatâ, inueniemur eleuati, & operantes ſecũdùm potentias ſuperiores; tunc etiã exuendo hanc naturam, illius quoque inclinationum obliuiſci licebit. Et quamdiu Naturæ ita immerſi, exercitio eleuationis & amoris erga DEVM non incumbemus, à miſerijs, quæ eam inſeparabili quadam ſocietate ſemper comitari ſolent, nunquam expedire nos poterimus; cùm è contrario ſublimioris alicuius exercitij ope, abſq; magnâ difficultate, eam in ordinem redigere poſſemus; eſt enim ſuperius exercitiũ, quod acquirendis rebus inferioribus peridoneum ac perutile eſt. Verbi gratiâ: Nemo eſt qui ignoret, quòd Mortificatio ſenſuum exteriorum ſit res prima,

ma, quæ ad interiora illa exercitia requiratur, multis de caussis, quæ solent in medium afferri. Si quis iam hæc audiens, illa sibi in exercitium suum vellet assumere, omnemque attentionem ac diligentiam suam in eo ita collocare, vt, nisi illud acquisiuerit, cogitationes animumque ad res vlteriores conuertere nollet; hic modus & difficilis & quasi ridiculus foret, quamuis tamen etiam sit opus, vt quis omnino ad illa directè attendat: nihilominus certum est, optimum medium fore, vt bona & efficaci aliqua interiori occupatione, ita anima interius impedita distineretur, vt eorum, quæ extra sunt, oblita, curiositatem quoque & inclinationem se ad exteriora per dictos sensus diffundendi, quadam obliuione & incogitantiā simul deponeret.

Sic quoque res se habet cum virtutibus moralibus, quæ licet etiam directè & per actus suos formales exerceri debent, nunquā tamen melius perfecti iisque acquiri poterunt, quàm per exercitia sublimiora ijs, quæ in ipsa natura fiunt. Vt adhærentia naturæ in manducando, bibendo, dormiendo, & simili-

 bus,

bus, à quibus eximi, nonnulli impossibile esse arbitrantur, nisi plura exercitia mortificationum, macerationum, & abstinentiarum suscipiantur, vtpote qui nulla possunt imaginatione assequi eos, qui istis medijs nō vtuntur, ab eiusmodi appetitibus, adeò connaturalibus, & tam intrinsecis ac vicinis nostræ corruptioni, esse immunes: nunquam perfectiùs tamen hæc natura superari poterit ac expelli, nisi per alienationem ab id genus inclinationibus erga seipsum, quam exercitium eleuationis & amoris in DEVM gignit.

Hoc enim huiusmodi superiorū occupationū adminiculis ita planè suppressum est, & nil planè deuotionem siue profectum spiritualem impediens, vt illi alij, exterioribus suis exercitijs perpetuò immorantes & affixi, id non tantùm possibile, sed & tam facilè neglectu esse, nūquam sint credituri. Idem quoque de puris & castis cogitationibus, quæ adeò facili negotio inde sequuntur, ex hoc quod homo ad operationes spiritûs attollatur, est sentiendum.

(∴)

VI. MO-

VI. MONITVM.

EX ijs quæ dicta sunt, obseruandum venit, exercitium omnium bonorum operum, virtutis, mortificationis, & similium, non sufficere ad perfectionem cõsequendam, si ignoretur modus, relatio, quomodo & ad quem finem eà referantur; quia horũ ignorantia sæpissime inducimur, vt nimium æstimemus ea, quæ tanti à nobis fieri non deberent; cõtrà verò ea negligamus, quæ magnopere nobis deberent esse commendata. Certissimum enim est, quòd secretiora quæque viæ spiritualis, non tam consistant in arte virtutes morales acquirẽdi, quàm in bona directione exercitij sui immediati cum DEO, in quo si quis hallucinetur, etiamsi omni virtute acquisita quàm optimè sit instructus, adeoq; etiam summa promptitudine imbutus ad moriendum & abrenuntiandum sibi ipsi, nihilominus tamen humi perpetuò serpit, affixus naturæ, nec illi virtutes istę proderunt ad assequendum earum verum finem atque scopum, (qui est interior & experimentalis fruitio DEI,) quia scilicet, huius absconditæ sapientiæ adyta non penetrabit. Internum

num verò exercitium, quod immediatè nos ducit ad DEVM, & omnes alias virtutes ad verum suũ finem dirigit, nosq; tandem in vera DEI fruitione constituit, est continua actualis tendentia in DEVM, per actus amoris, desiderij, & affectionis, innitentes fidei, & inquisitioni immediatæ eius præsentiæ, in mente nostra. Solus enim amor charitatis directè tendit in DEVM, eumque immediatè attingit, prout est in seipso, & perfectè cum hoc exoptatissimo bono nos coniungit, trahitq; post se alias omnes virtutes, quas attollit, & multo splendore deorat, alioquin absque huius amoris alis humi perpetuò serpturas.

VII. MONITVM.

IS nihilominus, qui hoc exercitium Amoris & Aspirationis aggreditur, tanquam illius capax & idoneus, & tamen fidelitati suæ desit, nec serio studio veræ mortificationi sui ipsius incumbat, neque alacri animo persequatur id, ad quod semel manus admouit, sed propriarum commoditatum amore abripiatur, is inquam isto exercitio pla-

plane est indign⁹, & spiritualis viri nomẽ falsò sibimet adscribit, in hac classe minimè recensendus, & quia aliud non agit, nisi vt superbiam suam fouendo, & sub specioso pallio spiritûs eleuati, nutriendo amorẽ proprium mille periculis tristissimæ ruinæ se exponat. Similiter illi, qui sub prætextu exercendæ fidelitatis in isto procedendi modo, nõ æquo & alacri animo, nec prompta voluntate ad actuum exteriorum, charitatis videlicet, obedientiæ, aut aliorum officiorum erga proximum, siue etiam in communi, munia obeunda accedunt, eaque negligenter & infideliter exsequuntur: indiscreti sunt & pleni turbulenta cõfusione, ex eorum grege, qui nesciunt, cuius spiritus sint.

VIII. MONITVM.

QVAMVIS status Perfectionis, in quo à DEO vera fruitio spiritus & Amoris Diuini conceditur, sit gradus valdè sublimis, qui nisi totali mortificatione nõ acquiritur; nihilominus tamẽ alius adhuc mediocris quidam status datur, cui mox infrà, De *Præsentia* DEI titulus erit, quia qui eò

euehuntur, iam iam diuina præſentia fruuntur, vna cũ forti ac fruitiuo amore, licet imperfecto, ſi cum poſtremo conferatur: qui ſtatus mediocris ſat acquiſitu facilis eſt, modò quis animum ſeriò & aſſiduè velit intẽdere in recollectionem interiorem, mortificationẽ naturæ corruptæ, & abdicationem ſui ipſius & earum omnium vtilitatum ad quas captandas amoris proprij natura eſt inclinata; vt ſic ab omnibus expeditus, Amoris Diuini ſtudio ſeſe in DEVM eleuare poſſit. Et non pauci qui ſincera fidelitate huic ſtudio incubuerũt, breui temporis interuallo ad illum ſtatum ſe pertigiſſe inuenerunt, attamen ſingularis eſt gratia, atque auxilium ad omnes virtutes, conſequendas valde præſtans; Immò, hoc auſim aſſerere, illum iam extra omnem periculi metum in hac via eſſe conſtitutum, qui illum pertingere poteſt, quandoquidem iam mentis oculis intueri & experiri incipiat eum, ad quem aſpirare ſemper debeat ſcopum.

IX. MONITVM.

QVÒD attinet ad Status differentes, quos infrà diſtinxi in progreſſu

Tracta-

Tractatus Orationis Mentalis vt ordine & recta serie absque confusione procedere in intelligentia & elucidatione huius Microcosmi interioris, sciẽdum est, illos nõ contingere ad intra distinctione adeò manifesta ac euidenti, vt tã facilè possint animaduerti, ac ego illos ibi distingo. Etiamsi enim plurimum ab inuicem differant, & ingens in anima fiat mutatio; DEVS tamen nos trahit ab vno gradu ad alium, ita sensim ac pedetentim, & tali nostra cooperatione, ut transeantur absque multa aduersione, & nõnisi opere iam perfecto, cùm vno statu iam in possessionẽ adepto, prouehimur ad alium. Ideò qui has semitas ingressus, non nisi simplicem atque sinceriorem procedendi modum inuestigat, quo feliciùs progredi possit, videat ne propter illas distinctiones cognoscendas, semetipsum in interno suo statu multiplicet. Atq; adeò à simplici sua in DEVM tendentia recedat. Anima enim quæ viam eleuationis semel amplexa, aditum etiam ad veram introuersionem inuenit, eo ardore itineris sui cursum persequitur, vt neglectis omnibus, quæ retrò sunt, desiderij

sui vim semper & assiduè propellat ad res anteriores, fruitionem nempe diuini amoris, ad quem solum toto corde adspirat.

X. MONITVM.


QVòD si obiter scire cupias, quid tibi faciendum, vt tam præstans, totque votis exoptatum bonum consequaris, tribus verbis tibi declarabo. Exerce teipsum seriò & sedulò in desiderio diuini amoris, per feruentissimas aspirationes, & alios actus voluntatis, assumens vel constituens tibi subiectum primi ac principalis tui Exercitij interioris hunc ipsum Amorẽ, quo cor tuũ, imaginatio, amor & intellectus tuus ita sint imbuti ac perfusi, vt eius virtute & efficacia omnia alia facias perficiasque eius gratia & ope omnem amorem proprium, omnesq; naturæ illecebras funditus eradices, in id saltem vnicè connitendo, vt in veritate & ex toto corde tuo DEO complaceas, tuumque spiritum ad eum assiduè habeas intentum & eleuatum, à quibuscumque alijs siue affectionibus, siue occupationibus non necessarijs planè expeditus, animumque

que tuum interea accommodes ad tot diuersos casus & euentus, vitæ humanæ familiares, tam intra cum DEO, quàm extra te, fortiter excipiendos. Ecce tibi totum, quod petijsti, paucis verbis comprehensum. Quod verò plures alias minores particularitates concernit, quæ inopinatò contingere, & quarum siue extricationes, siue instructiones frequenter solent peti; impossibile est, eas posse omnes sigillatim recenseri, vel certè pro omnibus leges & præcepta statui, quia sæpenumero eæ aliud non sunt, nisi fortuita accidentia, quæ vel ab humore naturali, vel à statu & conditione personæ, vel alijs particularibus circumstantijs dependent, quæ & sua cuique experientia cum tempore declarabit, & internum lumen nos docebit, cum consilio prudentum Directorum.

Dionyſ. Chartuſ. cuidam Doctori Religioſæ vitæ æmulo ſcribens, ſic eum arguit.

O QVAM parum agnoſcis quid operetur Altiſſimus in veris ſolitarijs, quos abſcondit in abſcondito vultus ſui à cõturbatione hominum, & protegit eos à contradictione linguarum, quos ducit in ſolitudinem Vt loquatur ad cor eorum; quorum mentes præſtringit; & ducit eas ad gaudia ſilentij; ad diem qui eſt ſine tumultu, in Regionem lucis immenſæ, ad myſticas viſiones, & theoriæ contemplationis ſinceritatem, ita, vt in ſanctæ Deitatis, in æternæ veritatis abyſſum demerſi, ſupernaturales fidei veritates, & ordinem credendorum Eccleſiaſticæque hierarchiæ ineffabiliter clarius ac certius intueantur quam ex ſcholaſtica notitia conſpici queat. Nonne fortius eſt lumen gratiæ quam naturæ: illuminatio quam exercitatio: ſupernaturalis inſpiratio quam Scholaſtica diſputatio? &c. Non ergo deſpicias talium ſcripta ac monita. *Hæc Dionyſ.*

PARS




PARS SECVNDA.

SECRETARVM SEMITARVM AMORIS DIVINI.

Continens integram descriptionem & prosecutionem totius viæ orationis Mentalis, quâ itur ad DEVM, *& ad fruitionem Diuini eius Amoris peruenitur, cum gradibus, statibus, & operationibus, ibidem occurrentibus.*

PROOEMIVM.



IVERSO planè ac omnino dissimili modo DEVS vtitur in operationibus ac vijs suis, per quas ad perfectionẽ sui Amoris animas ducit. Experiẽtia quotidiana

Multi res magnas exterius faciunt; & tamẽ harũ rerũ nihil acquirere possũt

tidiana huius rei fidē nobis facit, quòd nonnulli omne tempus vitæ suæ incredibili studio labore, diligentia, tā mortificationi suæ naturæ, & corporis macerationi per diuersa austeritatum, & Pęnitentiæ operum flagella, quàm perpetuæ industriæ atq; sedulitati impendant, qua omni genere optimarum virtutum moralium, & acquisitarum seipsos cumulent & ornent, qui tamen cognitione experimentali veri spiritûs DEI, neque secretarum eius semitarũ, siue interiorum operationũ, quas perficit in animabus, quas elegit, nunquam digni habebuntur; vel certè si eò pertingant, id perquam serò, & post infinitos labores exhaustos contingat. Alij contrà vix pedem in via perfectionis posuerint, & gressum firmarint, quin ecce subitò post veram & sinceram præteritorum peccatorũ contritionem, DEVS, tanta eos donorum, gratiarum, & spiritualium illustrationũ affluentia perfundat, vt iam iam operationes nobilissimarum potentiarum eorum animarum ipsis patefaciat, ad ostēdendum illis, quò eos aliquando velit attractos. Et quod amplius est, sæpenumero vsu

Aliqui perquā tēpestiuè singularib. gratijs præueniuntur.

veni-

venire solet; quod vbi superabundauit peccatum, ibi etiã benignissimus DEVS multò liberaliori manu suorum fauorum communicationem effundere dignetur. Res profectò planè admiranda, atque stupenda, hæc inscrutabilia sapientiæ diuinæ secreta. quamobrem iure meritissimo ars artium perhibetur regimen animarum; & inprimis scientia atque discretio, eas in viam perfectionis ducendi. quia cum humorum & ingeniorum ingens diuersitas, & viarum Domini incredibilis differẽtia est, non exigua sanè ac vulgaris scientia prudẽtiaque, cumprimis verò propria experientia requiritur; qua animæ illæ in abstrusis & incognitis istis semitis cum fructu duci, & vt cuique pro qualitate humoris, & ingenij modulo, leges, regulæ, atque præcepta præscribi possint: quod si earum aliquæ opus habeant, vt à curiositate sua deterreantur, ne facilè sublimioribus rebus, quæ earum captũ excedunt, sese ingerant; plures etiam è contrario liceat inuenire, naturæ tranquillissimæ ac perbenignæ, singularium fauore gratiarum, etiam ab ipsis initijs, à DEO præuentas; & pro his damnum

Scientia & experientia necessaria ad docendũ alios.

ingens

ingens foret maximeq; deplorandum, si iuxta abundans illud, auxilium quo DEVS eas prosequitur, nõ etiam, congruenter promouerentur; deploratissimum verò omniũ, si penitus ab hac via reuocarentur. DEVS enim nec annorum curriculis, nec legibus aut præceptis, quæ è libris peti solent, est alligatus; sed quando ei placuerit, breui temporis spacio multa & magna perficere potest. Quantus, obsecro, deuotissimarum animarum numerus, quæ quia in directorum huiusce viæ imperitorum manus inciderunt, ad cognitionem & experientiam exoptatissimarum istarum diuini Amoris viarum nunquam perueniunt? cùm cæci illi duces earum cognitionem nunquam illis manifestarint, quia scilicet, earũ ignari, ipsimet fortassis eas terere non solent. Et quæ rursum earum series, quæ à multis iam annis conuersæ ad Dominum & Sancto eius seruitio dicatæ, consecratæ; nondum, adhuc prima rudiméta veræ orationis mentalis, neque aliarum interiorum exercitiorum animæ cum DEO, vel primis labris gustarunt, & consequenter primum in ea pedem nondum intu-

Deploratio multorum abusus.

intulerunt, ſed eis ſola Confeſſionis & Cõmunionis frequentatio ſemper ſuffecerit, & ſic ætatem omnẽ exe[illegible]int, abſq; vllâ pleniori informatione, quomodo longè excellentius adhuc quis DEVM glorificare poſſit, in animâ ſuâ, per id genus deſideratiſſima exercitia interiora. Res omnium abſurdiſſima, quòd à primo ſtatim die cõuerſionis ad DEVM, non fiat initium animo ſuo imprimendi atque imbibendi deſiderium & feruorem exercitij huius diuini, cùm ipſum ſit nutrimentum ſpirituale, conſeruans in ſuo eſſe vitam illam nouam, quam anima participat à DEO, in die conuerſionis ſuæ ad eum. Atque ſic toto vitæ curriculo, in tali ignorantiâ, tranſacto, quanto gratiarum, fauorum, ac benedictionum cœleſtium cumulo, quibus in huius viæ progreſſu potuiſſent vbertim locupletari, putas eas fuiſſe orbatas? Eſt enim felicitas cũ nullâ re ſub ſole comparanda, ſunt diuitiæ inæſtimabilis pretij, & fauores ſupra pretioſiſſima quæque expetendi, quos hoc ſanctum orationis mentalis exercitiũ in ſe continet, velut medium maximè idoneum ac bene proportionatũ

Oratio Mẽtalis primum exercitium ſpirituale eſſe debet.

Fructus Orationis mentalis.

acquiſi-

acquisitioni omnis verę virtutis, gratię diuinæ, & veri scopi deuotæ vel Religiosæ vitæ, incredibiliter confortans spiritum ad currendum viam mãdatorum DEI, & ad sui status, ac Regulæ suæ promissæ obseruãtiam, eius obligationes planissimè ob oculos illi ponens, ac perpetuos ei stimulos addens, secũdùm eius normam & præscriptum viuendi; habens denique in se, tanquam in caussâ dispositiuâ; conclusam absconditamque omnem veram felicitatem, quâ DEVS hominem in hoc mundo beare potest. Ita, vt summa rerum omnium prosperitas, quam amicorum dilectissimi apprecari vellem, esset verum donum & verus spiritus orationis! cùm non ignorem, quòd sit clauis, quâ fores nobis panduntur ad ingrediendum in potentias Domini, ac in sacrum diuini Amoris conclaue; quodq; in hoc solo Dono cõprehendatur summarium vel epitome omnium aliarum gratiarum, vtpotè cuius finis est, non quiescere, donec veram integramque possessionem supremi in cęlo & in terrâ Boni, DEVM, primum nostrum principium, & finem vltimum, fuerit consecu-

Donum Orationis est summariũ omnis Boni.

secutum. Hæc me ratio mouit, vt, parui tatis meæ oblitus, materiam huius Sancti exercitij tractādam susceperim, insinuans potius vel attingens aliquid diuitiarum & prosperitatum, quæ in quouis statu siue gradu inueniuntur, quàm, prout subiecti meritum postulabat, pleniori atque prolixiori sermonis filio diducens; sincerâ ante omnia simplicitate vbique vsus, & peritioribus, doctioribusque viris amplificandam & augendam hanc materiam, per alia limatiora ac politiora opera relinquens, quippe qui nil aliud hîc spectarim, quā vt rotundâ verborum simplicitate animi sensa promerem in explicatione rei illius, quæ tractare assumo. Et quamquā plures libri hodierno die inueniantur, qui de Oratione mentali & viâ perfectionis agunt; non possunt tamen tot diuersæ viæ, sicut & suprà dictum, nimiâ indagatione ac diligentiâ manifestari. Hoc enim medio quiuis non difficulter subsidium poterit inuenire in tanti momenti subiecto, & in tam multis ac molestis vijs, quæ aliquādo transiri debent; prout illi, quos experientia fecit doctos, huiusmodi vijs id esse perfamiliare.

Intentio Auctoris.

Diuersitas librorum spiritualiū illustrat loca molesta in via mystica.

familiare norunt. In quibus casibus non leue profectò solatium est, deprehendere conformitatem cum illis, qui de eâdē materia scripsêre, vel qui eosdem districtus transfretarunt, & bonas vtilesque animaduersiones aliquas post se reliquerunt. Deinde diuersæ illæ viæ patefactę, ac tot differẽtes semitæ detectæ, non possunt non hoc iter spirituale ad DEVM, nobis quàm facillimum reddere. quare intentio mea est, totam viam orationis mentalis, cum gradibus, statibus, & operationibus internis, quę ibi occurrunt, inprimis succincta & rotunda perspicuitate quanta fieri poterit, diducere & explanare; & primum quidem in genere, quid sit Oratio mentalis, & quid per eam prætẽdamus.

DECLARATIO GENERALIS *totius viæ orationis Mentalis.*

CAPVT I.

Quòd Deus sit in spiritu nostro



EVS est bonum infinitũ, origo, & fons omnis Boni, in anima nostra, in apice mentis intimè pręsens, vbi sacram suã imaginem

ginem impressit, constituens ibi suam habitationem, tanquam in suo Templo, Throno, & Palatio terrestri. Et quamquam admirabili sua prouidentia, moderetur, regat & gubernet totum hoc vniuersum; ea tamen attentione ac sollicitudine, bonum & salutem cuiuscunq; nostrum particulatim curat & procurat, ac si verè aliorum omnium oblitus, non haberet, nisi nos solos, quibus prouideret. Instar enim vigilantissimæ speculæ in spiritu nostro positæ, nos obseruat, notat, & intuetur in omnibus nostris motibus, cogitationibus, ac desiderijs, aduertens, vbi sit, vnde veniat, & quò vadat cor nostrum, quò tendat, & ad quid aspiret, quæ sit radix omnium nostrorum operum & intentionum, sicut etiam suprà dictum est, ita vt non sit opus, DEVM procul à nobis quæri, cùm in fastigio nostri spiritûs nobis semper sit præsens, cum admirabili desiderio per infusionem suarum gratiarum semet nobis communicãdi. quod cùm ita se habeat, maximum nunc nostrum malum, in quod per peccatum incidimus, est, amissio fruitionis summi huius Boni, & auersio

Infortuniũ nostrũ est, perdidisse Deum

&c auersio spiritûs à DEO, vt eum ad creaturas cõuerteremur, ita, vt tam nobile ac desiderabile Bonũ, quamuis intimè nobis præsens, remanserit nobis tamen omninò incognitum absconditumque, nec plus percipiens, ac persentiscens, de tam immediata eius pręsentia in anima nostra, ac si reuera longissimè omnium inde esset remotum. Sicut, vice versa, maximum præstantissimumq; Bonum, quod iam nobis acquirere possemus est, spiritũ nostrum denuò coniungere, rursum vnire & colligare cum DEO, per cognitionem amorem, & affectionem; recuperando hoc medio experimentalem scientiam siue sentimentum præsentię eius diuinę, ita vt in omni loco, & omni tẽpore quantum fieri potest, verum hocce testimoniũ in interiori nostro habeamus, quòd cor nostrum, cogitationes, desideria, & nos ipsi tanti quanti verè simus coram DEO, & quòd in omni re nos videat, consideret, notet, atque sine intermissione obseruet, omnium intima & abditissima animæ nostræ secreta penetrando. Ad quam vnitionem & cõiunctionem vt iteratò reuertamur, tanta & tam

Felicitas nostra est, Deũ denuò reperire.

tam immensa dignatio DEI est, vt quãuis infinitè beatus sit in seipso, & satis dignè exaltetur, glorificetur, & honoretur ab Angelis in cœlo, ita vt nec nobis, nec nostro in his terris seruitio indigeat; quasi tamen omnis gloriæ suæ oblitus, nihil ita cordi haberet ac proprium nostrum bonum, adeò se beneuolum promptumq; ostendit, ad communicãdum animabus, quæ eum in veritate ex toto suo corde quærunt, sua dona, suas gratias, immò seipsum, vt vi bonitatis suæ excelsiuæ asserat, quòd ipsæ deliciæ suæ sint, esse nobiscum; & quòd stet ad ostium cordis nostri, exspectans, si quis illi aperire velit, vt suis eum fauoribus cumulare possit, ita vt hinc certissimi esse possimus, media summi huius Boni potiundi: & infiniti huius amoris acquirendæ fruitionis, eumque in animæ nostræ intimis aliquando possidendi, nobis reliqua esse, quia ille ipse, quem hoc negotium cõcernit, tantopere desiderat & instat, vt liber ei accessus & ingressus ad nos cõcedatur, ita vt felicitatem nostram nihil impedire possit, nisi nos ipsi, quorum est, vt nullis laboribus, diligentiæ & vigi-

Deus se nobis manifestare & communicare cupit.

& vigilantiæ nulli hac in re parcamus. Et ecce tibi originem & substantiam orationis mentalis: videlicet, Exercitium interius, per quod fruitionẽ DEI, summi nostri Boni, in anima nostra quærimus, molestissimè ferẽdo absentiam & perditionem eius, ac maiori insuper feruore præsentiam & recuperationẽ illius desiderando. Vel sic: Oratio mentalis est eleuatio cordis sui versus supremum fastigium spiritus ad DEVM, constituens se indesinenter in eius præsentia, vt omnes suas cogitationes & intentiones, omniaq; sua desideria ad eum dirigat; referens ad solam eius gloriam omne id, quod faciẽdum vel patiendum, ac sufferendum sibi incũbit, nil aliud per id omne quicquid est quærens vel prætendens, quàm vt diuinæ eius præsentiæ acquisita certitudine & experientia, eum in spiritu & veritate adorare, eum verè cognoscere, & toto corde amare possit: ita, vt Oratio mentalis sit via spiritualis ad DEVM, in summitate montis spiritûs nostri, sit reditus & conuersio suæ affectionis (quæ ad res mundanas dilapsa erat) ad DEVM, vt deinceps quiescat,

Oratio mentalis quid sit.

quiescat, & tota immergatur in eius amore.

Quamuis autem verũ sit, quòd Oratio mentalis propriè loquendo, consistat in similibus actionibus spiritualibus, quæ tendunt ad DEVM, omninò spiritualiter in anima conceptum; quia tamen omnes illi, qui hanc interiorem viam ingredi incipiunt, sunt crassiori adhuc humore perfusi, perquam corporales, pleni imaginibus rerum mundanarum, diuersis frequẽter passionibus, lætitiæ, Tristitiæ, Impatientiæ, & similium agitati, proni adhuc & vergentes ad solatia naturæ, ad desideria rerum terrestrium, malarum suarum inclinationum pondere deiecti, & eam ob rem minimè adhuc idonei rebus adeò spiritualibus atque sublimibus comprehendendis, quæ animam inprimis maturam, tranquillam, & planè in sese recollectam, quæ passiones suas moderari, prauas inclinationes refrenare, & vitiosam suam naturam subiugare nórit, requirunt: ideoque omninò necesse est, vt hæc Orationis via inchoëtur à deuota meditatione & consideratione mysteriorum nostræ Fidei, siue de Mor-

Dispositio requisita ad perfectã Orationẽ mentalem.

Quare Oratio à Meditatione incipiat.

te, de Iudicio, de Inferno, de Paradiso, siue etiam de vita & Passione Domini nostri IESV CHRISTI. Ille enim, qui hanc Orationis viam auspicatur, quantauis licet sapientia & doctrina secundùm sæculũ emineat, nihilominus purum & merum adhuc idiotam sese deprehendet, ac planissimè rudem in studio Secretorum huius viæ, quæ nisi humilibus, paruulis, & simplicibus corde non reuelantur. Meditatio igitur planè nouam cognitionem, aliamque multo quàm antè suauiorem istorũ mysteriorũ intelligentiam primò ei conciliabit, quæ ordinem habeat & relationem, ad voluntatem efficacius mouendam. Secundò excitabit in eo affectionem ad res spirituales, & profundam omnium aliarum mundanarũ obliuionem. Tertiò incipiet per eam spiritus delitias suas inuenire in oratione, oblectando se in admiratione mirabilium operum DEI, quę in istis mysterijs sese offerũt, vel etiam aliarum rerum, quas DEVS illi, durante eius Meditatione, communicare potest, vt loco tot malarum ac perniciosarum cogitationum, imaginationum, recordationum & affectionum,

Fructus Meditationis.

num,

num, quę à mundo & eius caussa sugge-
ri possunt, alijs sanctiorib' ac salubrio-
ribus animus possit occupari. Intelle-
ctus quoque illuminatur, voluntas ac-
cenditur & inflammatur, stabilitur &
confirmatur magis magisque in serui-
tio DEI, plures bonæ affectiones erga
DEVM, amoris scil. laudum, gratiarum
actionum, & similiū inde exoriuntur.
Frequenter etiam euenire solet, vt vir-
tute bonę meditationis homo commo-
ueatur ad offerendum semet DEO, ad
cōcipiendum subinde proficiendi pro-
positum, & à multis imperfectionibus
sese abdicandi. Vlterius: quia per pec-
catum non modò nosmet ab alienaui-
mus à DEO, verum etiam dispersimus
distraximusque cor nostrum in tot par-
tes, quot res diuersę nobis sese exterius
offerebant; vt cum fructu sanctis medi-
tationibus animum adijcere possimus,
necessitas prorsus nunc exigit, vt seriò
exerceamur in mortificatione sensuum
exteriorū, Visûs, Auditûs, linguæ, Gu-
stûs & Saporis rerum terrestriū, vt cœ-
lestes ac diuinas promereri possimus,
ita vt cæci, surdi & muti, quantum pos-
sibile fuerit, & cuiusuis status patietur,

Mortificatio sensuū exteriorū ad quid necessaria.

 fiamus

ſiamus ſit neceſſe. Nam in hoc negotio feliciſſimus ille eſt, qui aliud non agit, quàm vt in pace in ſeipſo permaneat; & vice versâ fruſtra is progreſſum in oratione mentali ſibi promittet, qui primò omnium ab ijs rebus, quæ ad ſe non attinent, ſeſe extricare non laborabit.

Hoc igitur modo contractis omnibus in ſummam, quoad viam perfectionis, & orationis Mentalis attinet, ecce tibi ordinē rerum, vt prima præcipuaq; cura ſit, diligenter obſerrare hos quinq; ſenſus exteriores, has portas, per quas olim mors ſpiritualis, peccati ſcilicet, intrauit: deinde, omni ſtudio per medium deuotæ meditationis conniti, vt ad notitiam obligationis noſtræ erga DEVM perueniamus: poſtea, bonis & ſalutaribus imaginibus ac impreſſionibus animum ita implere ac munire, vt prauæ, vitioſæ ac mundanæ omnes eijciatur: deniq;, ſedulam operam dare moderandis ſuis paſſionibus, abrenuntiandæ voluntati propriæ, vitioſis inclinationibus, quæ ſapiunt res terrenas reprimendis, vt toto hoc interiori tumultu, quem peſſimum iſtud germen in animâ noſtrâ excitat, compreſſo ac

ſedato,

sedato, liberrimè vacare detur veræ orationi mentali, siue veræ eleuationi spiritûs ad DEVM, quæ, sicut antè dixi, desiderat animam sedatam, tranquillã, & omnium rerum exteriorum curâ exutam, vt tantò liberiùs intentioni suæ incumbere possit: & postremò, iterum se vnire & coniungere cum DEO per amorem, tanquam scopum finalem eorum omnium, quæ per Orationem prætendimus. En tibi compendiosam hanc totius viæ orationis Mentalis delineationem: restat nunc vt magis particulatè explicetur. Et primùm.

DE MEDITATIONE, *Quid sit, & quomodo ea instituenda.*

CAPVT II.



VMVLVS totius nostræ felicitatis, scop⁹ noster finalis, & vltima meta omnium nostrorum exercitiorum, cõsistit, sicut paulò antè dixi, in amando DEVM, nos cum eo iterum coniungendo, velut *Cap.II.*

cum nostro primo principio, origine nostrâ, & vltimo fine, per fruitionē diuini ipsius Amoris, cùm totius viæ curriculum, aliud non sit, quàm Amor cœlestis & nostri cordis, desiderij, voluntatis, adeoq; totius illius, quod sumus, copulatio cum DEO. Sic quoque principium omnis Boni, est vera cognitio Diuinæ eius Maiestatis, cùm impossibile sit, eum amare absque eius cognitione: ergo qualemcunque sumus habituri cognitionem, talis etiam erit amor, quo eum sumus complexuri. Si nostra cognitio non sit nisi naturalis, amor quoque erit idem: si fuerit supernaturalis, idem erit quoq; noster amor. Verùm quia in hac mortali vita DEVS in propriâ suâ essentiâ & naturâ cognosci à nobis non potest, laborandum erit, vt per opera & effectus ipsius eū comprehendamus. Atque hinc principium suum sortita est Meditatio, quę est exercitium spirituale, per quod homo profundâ & fixâ cogitatione, ac cum proposito deliberato, occupatur in aliquo opere vel effectu bonitatis diuinæ, ad excitādum hoc medio cor suum ad bonam aliquam affectionem siue amoris, siue,

Principiū omnis Boni est cognitio Dei.

Meditatio quid sit.

ſiue laudis, aut admirationis, vel recognitionis, ſiue etiam ad acquirendas ſibi virtutes; pro ſubiecto, cuiuſque Meditationis. Quicunque enim ad DEVM reuerti, eique ſe felici copulâ iterùm conglutinare, vel certè gratias huic rei neceſſarias acquirere cupit, neceſſe eſt, faciat à parte ſuâ quod poteſt, exercendo ſe in omni bono, in omni virtute, animum bonis exercitijs, & ſalutarib. conſiderationibus occupando ac paſcendo, denique amplectendo omne id, quod conformitatem habet ac relationem, & quod ſubſidia ſubminiſtrat ad acquirendum optatum finem. Res adeò neceſſaria, vt qui id facere neglexerit, nunquam ſperandum illi ſit, quòd vel pedem ſit illaturus ad ſanctum veræ orationis Mentalis montem: *Quis aſcendet*, inquit Pſaltes, *in montẽ Domini, aut quis ſtabit in loco Sancto eius?* reſpondet, *Innocens manibus & mundo corde, qui non accepit in vano animam ſuam*, ſuum eſſe, ſuam vitam, neque potentias animę ſuæ. Et alibi BEATVM illũ pronuntiat, *qui nocte & die meditatur in lege Domini*; pro-

Vt ad Deum perueniatur, faciendũ quicquid fieri poteſt.

pterea quia *erit tanquam lignum quod plantatum est, secus decursus aquarum, quod fructum suũ dabit in tempore suo.*

Meditari igitur, est profundè se applicare exactissimo examini alicuius rei, considerando & perscrutando eam spiritu admodũ maturo, firmo, & præsenti, ad excerpendum inde fructum. Et quanto excellentiora erunt opera DEI, quæ meditanda sumus aggressuri, tanto quoque illustriorem cognitionẽ, præclariusque testimonium sui Autoris nobis sunt communicatura. Et cùm mysteria Incarnationis, Natiuitatis, Vitæ & Passionis Domini nostri IESV CHRISTI, inter alia DEI opera, sint omnium admirabilissima; inter grata & accepta, omnium suauissima; inter beneficia diuina, omnium suprema; inter opera gratiæ, omnium maxima; inter denique sacra mysteria, omniũ profundissima; nullum datur Meditationis genus, quæ faciliorẽ nobis aperiat aditum ad sacrũ diuini pectoris sanctuarium, qua mirabilia ipsius amoris erga nos cognoscãtur, quam sacrorum mysteriorum istorum meditatio. Hinc Saluator noster, *Ego sum*, inquit, *via, veritas*

Vita & Passio Saluatoris nostri principalis materia Meditãdi sunt.

ritas & vita, per me si quis introierit, pascua inueniet, & salutem. Id quod & Ecclesia attestatur, dum cantat, quòd verè dignum ac salutare sit, nos DEO infinitas gratias agere, quia per incarnati verbi mysterium noua mentis nostræ oculis lux diuinæ claritatis infulsit, vt dum visibiliter DEVM cognoscimus per eius sacram Humanitatem in inuisibilium Diuinitatis eius amorem rapiamur.

Passio Domini liber est omnibus cõmunis

Huc quadrat quod omnes pij ac deuoti homines asserunt, sanctissimã vitam, & amarissimam Passionem Christi, esse instar magni voluminis sapiẽtię eius diuinę, adeò ampli, adeò simplicis & perspicui, vt simplicissimus idiota æquè ac doctissimus quisque omne genus materiæ, salutem suam concernentis inde possit haurire. Si magnitudinẽ iniuriæ, quæ DEO per peccatum mortale infertur, nosse desideres, faciliori viâ ad hanc cognitionẽ non peruenies, quàm si propius tecũ perpenderis, quæ & quanta, Diuinâ suâ Maiestate indigna, Saluatorem nostrum pati oportuerit, vt illã iniuriã expiaret. Si certior esse velis, vtrũ æterna damnatio, res sit

Quid è crudelissimus tormẽtis

 adeò

Domini in oratione sit colligēdo

adeò horrenda ac tremēda, prout sacra pulpita nos docēt, vndè meliùs id colligere poteris, quàm si æquâ lance pensitaris extrema quæque, quæ Saluator, vt ab eâ nos liberaret, in hoc mūdo voluit sustinere? nam, sicut filiabus Ierusalem dicebat *Si in viridi ligno hac faciunt*, id est, si necesse est, vt ego, qui sum lignū viride, Filius DEI, sine maculâ, sine culpa, sine peccato, propterea, quia humani saltem generis peccata expianda in meos humeros suscepi, tanta & tam exquisita tormenta, quæ vestram compassionem, vestras lachrymas meritò prouocant, subeam patiarque, ad iram Patris mei placandam; *In arido quid fiet?* Ac si diceret: Quantis cruciatibus ac tormentis in inferno subijciētur illi, qui onusti propriorum peccatorum mole, dolorosæ Passionis meæ fructus nihilominus non reddentur participes? Rursum, si nobilitatem & excellentiam animæ tuæ, & quàm pretiosa sit coram DEO, perpendere libeat, considera, quo & quanto pretio sit redempta, & inde pone calculum, num æquum sit, vt infimo & abiectissimo lucro exiguę vanitatis alicuius libertatis, & tur-

& turpissimæ voluptatis, quas peccatum gignit, cum Diabolo tradas. Eodē modo etiam alia, quæ salutem concernunt æternam, in sacris istis mysterijs perpendere solent ij, qui in eorum assidua meditatione sese exercent.

Quod attinet ad docēdum modum, quo omnes istiusmodi salutares fruct⁹ è Meditatione percipi queant, consulendi sunt libri summa pietate scripti de hoc eodem subiecto, de præceptis, legibus, & methodis, in hoc deuotionis genere obseruandis. Practica Bellintani, Tractatus orationis mentalis P. Ariæ, & Balbanus de flagellatione (libri tam notissimi, quàm cuiuis vero orationis Mentalis amatori maximè necessarij) ita exactè ac perspicuè de hac materia scripserunt, vt necesse non sit quicquam addi: sufficiat hîc aliqua saltem puncta obiter attigisse. Primum, supposito, quòd quis duos tréſue libros quibus mysteria Incarnationis, vitæ & Passionis Christi sint explicata, vel etiam quibus aliæ similes materiæ, Meditationi idoneæ, declarētur, penes se habeat; hic ordo seruetur, vt certum quotidie mysterium eligatur, facto initio,

Auctor se refert ad alios scriptores, qui tractant de Meditatione, quò citius ad via mystica descriptionē transire possit.

Ordo in materia Meditationis obseruandus.

tio, verbi gratia, à Natiuitate, vsque ad Passionem & Resurrectionẽ; & vt paulo antè Orationem accedatur ad lectionem librorum, qui de hoc mysterio, cuius ordo & sequela aduenerit, declarãdo agunt; vtq; diligẽter in hac lectione attendatur, quid Saluator hîc aut ibi fecerit, aut sustinuerit; neque tunc aliorum mysteriorũ lectio suscipiatur, sed potiùs vnius & alterius libri, qui idem mysterium pertractant, ad comparandam sibi materiam Meditationi sufficientem. Hoc præceptum materiæ ad Meditationem præparandæ, obseruatu necessarium est ab initio vsque eò, dum omnia mysteria memoriæ fuerint exactè commissa: alioquin enim spiritus hinc inde vagabitur, à re vnâ transiliens ad aliam, nec certo alicui loco fixus inhærebit.

Quare hic ordo necessarius.

Hora igitur Orationis adueniente, auspicabitur Exercitandus historiam sui mysterij, lenissimo ac suauissimo modo, quo possibile fuerit, ne vel capiti vel imaginationi torquendæ obsit. Ante omnia verò, Orationis initio diligenter cauendũ, ne tristitia aliquã, vel grauedine aut ægritudine animi præuentus,

Puncta initio Meditationis obseruãda

uentus, ex consideratione laboris, ibi sufferendi, eam aggrediatur, quin potiùs adlaborandum, vt magnam hilaritatem, magnumq; interius desiderium concipiat, quòd hoc medio rei adeò iucundæ vacare, & cum Domino DEO ita familiariter conuersari possit, sicut in Oratione fieri solet, aperiendo ei intima quæque arcana cordis sui; cum hac expressa cautela ne tam sanctum exercitium abijciat, aut ad illud minus afficiatur; si enim simili modo non fuerit dispositus, exiguum quoq; fructum inde feret. Deinde, hoc modo introductus, omnē in progressu dabit operam, ne vel affectionē vel cogitationes suas ad alia, quàm mysterium suæ Meditationis dilabi, ac intentas esse patiatur, semperque cogitet, se loqui cum maximo totius vniuersi Domino, qui infinito honore atque cultu sit dignus, & cū eo agere de negotio permaximi sub sole momenti, nimirum de rebus, quæ ad nostram salutē, ac diuinum eius amorē pertinent. Et vt cogitationes nostræ intra septa contineantur, ne aliò euagentur, hac imaginatione coërcendæ erūt, quòd Saluator noster infinita mul-

In progressu quid obseruandum.

titudine Angelorum stipatus cinctusq; sit, qui honore, gloria, atq; reuerentia, qua Dominum veneramur, cumprimis oblectetur; sed & vehementer doleant, cùm nos frigidè, lentè, atq; temerariè, absque honore & attentione, hinc inde vagantes ac discursitantes diuersis cogitationibus Creaturarũ, derelinquendo supremum earum Dominum, vt rebus adeò friuolis, inanibus & caducis delectemur, cultus nostri officium obire cernunt. Ab alia parte nihilominus etiam requiritur Attentionis moderatio, ne videlicet caput debilitetur, & homo in limine statim efficiatur inutilis, sicut frequenter indiscretis ac minus expertis accidere solet, qui violenta imaginatione mysterij attentionem acquirendam esse arbitrantur, omnem in eo laborem & animi contentionem insumendo. Nequaquam certè: nõ enim sola est Imaginatio, in qua huius negotij cardo vertatur; sed longè potius bona affectio, qua quis ad sanctũ hoc Exercitium sese applicet, ac cor suum ab aliarum affectione cogitationum auocet, idque ad capiendam è diuinis & cęlestibus rebus voluptatem pelliciat ac in-

Nõnullorum indiscretio.

Quis sit bona intẽtionis caussa.

inclinet. Officio enim Imaginationis solùm incumbit, vt in quiete, silentio, & trãquillitate repræsentet nobis mysterium, quod nobismet proposuimus: quòd si illa sit vagabunda ac distracta, culpa non tam ab eâ, quàm à cordis instabilitate pendet, quod tum actualem suum affectũ non exercet; vbi enim est cor, ibi confestim cæteræ omnes potẽtiæ inueniuntur. Ergo si cor ibi non sit, facilè capiti vis inferetur; & omnia in vanum ibunt. Loco igitur Imaginationis tantâ vi extorquendæ, collòca potius industriam tuam in corde inducendo & affectione tuâ, ad percipiendam è tam sancto Orationis exercitio delectationem, siue demulcendo, siue arguendo, teque ipsum reprehẽdendo ob exiguam affectionem, quâ res diuinas complecteris, siue alio quocunque studio, quod feliciter impendere poteris in hunc finem.

Porrò, quoad mysteria Passionis Domini, ad eliciendum ex eorum Meditatione fructum, summopere necessaria est singularis & exactissima notitia nobilitatis, excellentiæ, magnitudinis, ac dignitatis Domini ac Saluatoris nostri, *Circũstantiæ in Meditatione cogitandæ.*

ſtri, qui tot opprobria, tot ignominias, confuſiones, & crudelitates, à viliſſimis, & proiectiſſimæ conditionis hominibus ſuſtinendas accepit. Ac vice verſa multùm quoque conferret penitiſſima conſideratio noſtræ vilitatis, paruitatis & indignitatis, cum immenſitate Saluatoris noſtri collatæ; ac diligentiſſima inueſtigatio cauſſæ, propter quam Saluator tot indigna acerbaque pertulit, videlicet propter nos in particulari, & pro vniuerſo mundo, vt recuperatâ nobis gratiâ DEI Patris ſui, ab æterna damnatione nos redimeret. Denique accedat accuratiſſimum Examen, quanto ardore ac amore accenſus quãta ſalutis noſtræ ſiti ſtimulatus hoc totum pro nobis ſubierit feceritque, à nullo mortalium inductus, neque vllius commodi vel vtilitatis ſuæ cauſſa incitatus, quia nec noſtri, nec vllius rei eget, ipſe, qui viua eſt origo omnis boni: ſed merâ, & liberaliſſimâ bonitate, pietate ac miſericordia ſua, abſque vlla coactione vel obligatione, permotus. Et dum ſpiritus hoc modo occupatur, ruminando ac ſedulo trutinando ac perueſtigando omnes circumſtãtias, gra-

gratia diuina superueniens, & hos nostros humanos conatus adiuuãs, ac benedictionis suæ imbre hunc exigui laboris agellum perpluens, facit, vt gustum ac saporem in mysterio, quod meditamur, percipiamus, colligit, ac fixas firmasque tenet nostras cogitationes, ne aliò peregrinatum eant, instillat animis nostris complures suauissimas affectiones siue amoris, siue spei in diuina eius misericordia erigendæ, siue metus Iudicij Diuini, infundit odium peccati, despectionem ac contemptum Mundi, aliasque similes affectiones, prout DEO eas nobis placet impertiri. Semperque opera danda est, vt virtute ac efficacia bonæ Meditationis, sanctarum eiusmodi affectionum aliqua producatur; hic enin solus Meditationis ac vnicus fructus est, & nullo alio fine, nisi ad semet excitandum, suscipi exercitia solent.

Si ex me quæras, quibus affectionibus vel materijs cum maiori fructu in meditationibus, sit immorandum, respondeo, eos, qui ad initia meditandi se accingunt, quàm optimè fundatos esse debere in Meditatione Mortis, Iudicij, *Se fundare in timore Dei.*

Infer-

Inferni & Paradisi, ad hauriendum inde verum timorem Iudiciorum DEI, odium ac detestationem peccati, notitiam, quâti nobis intersit nostra salus, & vel bonum, vel futurum malum, vt tempore tentationum vehementiorum rudioribus istis armis, rudiores quoque impetus hostium repelli possint. Quia enim in primordijs istis; homo adhuc est rudis & impolitus, spiritus eius absque vigore, è contra verò hostiles impetus nonnunquam violentiores, nisi eiusmodi sensibilibus atque palpabilibus motiuis sit instruct⁹, facillimè prosterni poterit, atque tētationi succumbere. Atque hæc talia bona fundamenta Meditationum super crassioribus materijs timoris DEI, non tantùm hisce initijs, sed etiam toti residio huius vitæ insignes vtilitates adferent, quia quamdiu hanc lucem aspiciemus, ab id genus incursionibus hostilibus nunquam planè erimus immunes, nec quisquam exemptionem ac libertatem sibi promittere poterit, quamdiu hoc corpus terrestre, spiritûs nostri desideria aggrauabit.

Rursum, Tyronum nostrorum est, im-

imperfectiones suas probè notare, & aduertere, quà re potissimùm opus habeant; & quid eis in sua vocatione plus laboris ac molestiæ facessat. Si commoda, libertates ac vanitates mundi memoriæ eorum adhuc obrepant; eosque mœrore animi impleant, excitent se meditationum suarum ope, ad concipiendum odium ac despectum erga huiusmodi canum, veluti suæ saluti perniciosissimorum latratus; atq; eorum loco, omni studio diligentiaque acquirant sibi firmissimam voluntatẽ libenti animo aliquid amore DEI patiendi, in talionem eorum laborum, quos pro nobis pertulit. quòd si insuper res illis difficillima superatu videatur, & iam eos patientia destituat, cùm vident se humiliari, mortificari, durè & asperè tractari, contemni, aut non magni ab alijs fieri, excitent sese in suis meditationibus ad semet in præsentia Domini ac Saluatoris nostri confundendos, cùm vident eum, qui Rex erat Angelorũ, ac totius vniuersi Dominus, ad tantam pro ipsis humilitatem descendisse, se verò, abiectissimos terræ vermiculos, tanto studio honorem & nominis exi-

Quid incipientibus sit animaduertẽdũ.

existimationem semper aucupari: & hoc modo in omnib. suis imperfectionibus procedant oportet, quod eis haud dubiè reportandæ victoriæ infallibile medium erit.

Quòd si mihi obijcias, te in omni meditatione omnes ingenij animique neruos intendere, summamque industriam ac diligentiam adhibere, nihilominus tamen bonas istas affectiones, quas summopere desideres, è corde tuo elicere non posse: respondeo. Primò, quòd nemo tam citò in hac arte bene orandi omnibus numeris magister absolutus euadere possit; quin contentus sit oporteat industria sua, quam impendit, maximè possibili, coniuncta cum profunda humilitate, implorando auxilium diuinum, absq; quo omnes nostri conatus ac labores, irriti, vani, inutiles, & absque fructu forent. Ante omnia verò, qui in hoc negotio omnium simplicissimè, humilimè, atq; profundissima reuerentia & cultu se gerit erga Deum, hic erit ille, cui, tanquā aptiori atque commodiori medio, sese est inprimis, communicaturus.

Secundò respondeo: Quòd hoc loco ma-

maturimè veniat animaduertendum, quanti referat primum feruorem, siue auxilium diuinæ gratiæ, quam DEVS ordinariè sub initia Conuersionis ad Sanctum suum seruitium communicare solet, persequi ac continuare. Quia enim istæ gratiæ sunt efficaces, & cuiuis materiæ possunt applicari, si homo sit sollicitus, & industrius, ac modum norit, quo eas sibi accommodet, vt efficaciter in hoc sanctum exercitium introducatur, antè quàm hæc auxilia diuina disparuerint, iā praxin inde hauserit, & à sanctis affectionibus, quas istorum auxiliorum abundantia in eo excitauerit; cū è contrario ij, qui hanc occasionē negligunt, ea spe ducti, quòd ista affluentia auxilij diuini, hæc bona dispositio, & ad quoduis bonum promptitudo perpetuò sit illis duratura, attoniti cōturbantur, cùm se subitò conspiciunt viribus destitutos, hisce gratijs priuatos, & nihilominus omni bonarum habitudinū in hoc sancto Orationis exercitio, supellectili exutos, ignaros planè, qua via denuò accessum vel ingressum eò aperire sibi debeant.

Tertiò respondeo: Quòd magna cura at-

ra atque sollicitudine sit opus, ad conseruandum cor omnis peccati, & affectionis terrenæ purum, ad custodiēdos etiam suos sensus, suasque cogitationes in se ipso recollectas & obseratas, & nunquam non sanctarum eiusmodi Meditationum aliqua suauiter occupatas, nec illis permittendam vllam vanam libertatem, neque etiam tempus inutilium & exigui momenti rerū studio insumēdum, sed vt primum ab impedimentis quis se expediuerit confestim recurrendum ad Orationem, velut ad id, quod inprimis cordi habet.

Quartò respondeo: quòd recta intentio super omnia etiam, requiratur in applicatione ad hoc sanctum exercitium, id amplectendo, non vt consolationem, quis saltem in eo inueniat, sed multò potius, vt voluntati diuinæ obsequatur, vt honoret DEVM, ac illi seruiat, vt discat, in omni euentu resignare se totum dispositioni diuinæ, ita vt quamuis durante sua Oratione, nullam illustrationem, nullumque deuotionis gustum percipiat, quocunque etiam conatu eum prouocare studuerit, hoc nihilominus ei solatij loco sit, quòd quæ-

quæsiuerit, feceritq; voluntatem DEI, in qua conquiescendum cuiuis est.

Ad illos quod attinet, qui in hoc Meditationis exercitio plurimùm profecerunt, omni contentione laborabunt, vt animos suos excitent, inflammentq; ad amorem diuinum, ac motibus affectuosis in sese vigorem concilient, vt hoc modo ad sequētem statum amplectendum siue percurrendum transire commodiùs possint.

Hi etiam, qui natura simplices, & profundarum meditationū studio minùs habiles ac idonei, cogitationibus suis in re vna tamdiu inhærere nequeunt, magno tamen desiderio flagrantes ad placendum DEO, proni ac prompti ad quoduis bonum opus, & ad quamuis virtutem acquirendam, parati ad abrenuntiandum sibi-ipsis, ac in domandis passionibus, alacres atq; generosi, non quærunt nisi conuenientissimum modum semet in suo interiori exercendi, & ad perfectionem contendendi, periculum, facere poterunt, num secundus modus meditandi, vel ipsum quoque Exercitium Aspirationis efficacius in eis sit futurum, vt salutari occupatione cum DEO familiarius conuersentur.

SECVNDVS MODVS MEDITAtionis, conueniens illis, qui inprimo exercitati, viam Perfectionis persequi desiderant.

CAPVT III.

Quis sit finis Meditationis.



PERMAGNI inprimis momēti arcanū, quod hoc initio viæ spiritualis obseruandū venit, hoc est, vt quis exercitium suum meditationis eo successu prosequi nórit, vt tandem hominem omninò in seipsum ingredi feliciter efficiat, per suppressionem omnium prauorum desideriorum, vitiosarum inclinationū, passionum, imaginationum, & aliorum inordinatorum motuum; neque hîc saltem diligentia subsistat, sed, in quo totius felicitatis cardo vertitur, vt etiam vlterius hominem perducere sciat, vsque ad actus voluntatis immediatè applicatos DEO, planè spiritualiter concepto, vt per eos ad diuinum eius amorem continuo desiderio aspiret. Omnis autem difficultas, quantum ad Intelle-
ctum,

ctum, in eo consistit, vt crassioribus sacrorum mysteriorum imaginationibus valere iussis, eatur ad intelligẽtias spirituales, & ab istis vlterius adhuc pergatur ad certam quãdam simplicem & nudam cogitationem de DEO, huiusmodi planè, quam sunt assecuti omnes ij, qui verè sunt introuersi, ac diuinâ eius præsentiâ in animâ suâ fruuntur: omnis inquã difficultas in isto felici diuortio consistit, quia hæ sunt illę syrtes, quibus penè innumeri inhęrẽt, qui ad Exercitia quidẽ in eiusmodi bonarum meditationum campo pertingunt, & ad plurimarum optimarumq; virtutum moralium adeptionem, quæ eorum vitam conuersationemque verè exemplarẽ, & magnæ sæpenumero existimationis coram mundo reddunt; sed de cętero, omnem vitam exigunt ignari aliarum interiorum, ac longè subliminum operationum DEI, quæ adhuc reliquæ sunt; omneque seruitium, quod DEO in animâ suâ exhibent, non longiùs, quam ad bonas istas meditationes extẽditur, quas deinde ad exteriora boni exempli, & virtutum moralium, vel acquisitarum opera referunt, in eo fundati,

In quo arcanũ veri profectus cõsistat.

Multorũ subliminum

dati, quòd amor nunquam debeat esse otiosus, & qui hoc modo nihil magni atq; pręclari operetur, non multo quoque amore sit imbutus; interpretantes ita crassioris genij sui modulo ea, quæ aliam longè spiritualiorem sublimioremque intelligentiam requirunt, allegantes insuper exempla Sanctorum, sinistrè tamen accepta ac intellecta, penetraturi haud dubię has ignorantiæ nebulas, si ad superiorum spiritûs operationum solem, euehi & attolli aliquando possent; ita vt hoc loco sit lapis offensionis, ad quem infiniti propemodum impingunt, & quod mirandum, ex eorum etiam classe, qui ad actus mortificationis, & optimi exempli promptissimos alacerrimosque se exhibent, sed qui eadē de caussa difficiliores sunt persuasu, vt defectus suos agnoscant, manentque hac ratione per omnem vitam destituti cognitione & experientia tot mirabilium, quæ inter DEVM & animas, quæ ad intimum conclaue diuinæ gazæ admittuntur, intercedunt. Vt igitur his & similibus erroribus te liberem, modū tibi aperiam, quo crassioris fili meditationem tuam paullatim

tim in aliam multò faciliorem efficacioremq; ac deinde in Eleuationes spirituales mutare possis, donec ad plenā & totalem abdicationem omnium imaginationum, discursum & conceptum naturalium, progrediendo ita & ascēdendo gradatim vsque ad verā ac realem præsentiam DEI. Primùm igitur agemus de hoc secundo Modo Meditationis.

Cognitio DEI, quod iamiam dixi, omnis nostri spiritualis Boni principium est. Quia verò DEVS per propriā essentiam suam à nobis in hoc mundo cognosci non potest, ab operibus & effectibus ipsius cognitionem istam hauriamus necesse est. Iam autē inter opera DEI, alia sunt facta extra nos in hoc mundo, alia verò fiunt intra nos in nostro interiori. Inter illa quæ sunt extra nos, alia & maiori admiratione digna, & profundiora, efficacioraque ad nos magno lumine cognitionis diuinæ perfundendos darè non liceat, quā mysteria Incarnationis, vitæ & Passionis Christi, sicut paulò antè dicebam: quibus innixi pij Scriptores multa præclara documenta Meditationum collegē- *Distinctio operū Dei.* *Regula Meditationum valde vtiles.*

runt, eaque compluribus regulis, legibus & præceptis firmata ac munita, quę tanquam certissimam bene agendi proficiendique normam sequamur, nobis tradiderunt. Institutum profectò vtilissimum, valdeq; necessarium, ac magni auxilij ferax, eorum præsertim bono, qui ad spiritualem illam vitam, & Orationis exercitia contendunt. Etsi enim gratia diuina minimè in artē redigi, & à nullo humano artificio vel exspectari vel cōferri possit, oēs tamen eiusmodi bonæ instructiōes, & informationes, omnia salubria ista cōsilia monitaq;, huius gratiæ instrumēta sunt & adiumēta. Nihilominus tamē; quia hic modus meditandi, prout Auctores cōmuniter eū describunt, est longa via, & parū cōducens Animæ feruenti, quæ iā bonæ volūtatis est plena, eo quod multū temporis absumat, cū exiguo fructu; sciendū est, præter externa DEI opera in hoc vniuerso, alia esse adhuc reliqua, quæ facit intra nos, & quæ ipsi quotidie experimur, operationem nimirum diuinæ gratiæ suæ in animâ nostrâ, sentiendam & gustandam nobis præbens propriâ experientiâ bonitatem, miseri-

Meditatio, longa via.

Sunt opera, quæ Deus facit in nobis.

cordiam,

cordiam, liberalitatem, ac immensam suam erga nos dignationem. Atque ista DEI cognitio sic in nobis firmata atq; stabilita, quia ipsa in nobis experientiâ, non auditu solùm roborata, est in summo certitudinis gradu posita, post Fidem, medium est eum multò perfectiùs multò solidiùs certiusque omniũ cognoscendi, cùm in hoc consistat finalis & extrema cognitio DEI ex operibus eius. Quique hoc modo (illo, qui fit per Fidem, excepto) eum non cognoscit, hic nulla vera & certa DEI cognitione, sed solummodo ex auditu, à relatione & experientia aliorum petita, est imbutus. Si igitur veram & experientiâ comprobatam DEI cognitionem assequi velimus, necesse est vt multa in nobis operetur, vtque ad id cognoscendum ac animaduertendum, multo vsu simus instructi. quantò in nobis plus est operaturus, tantò eum ampliori cognitione comprehendemus, & consequenter feruentiori amore complectemur. quod cùm ita se habeat, fateamur necesse est, hunc Orationis modum esse omnium perfectissimum, qui scilicet hominem optimè disponat, vt DEVS

Cognitio Dei experimentalis quomodo acquiratur.

Qua oratio sit perfectissima.

in eo multùm poſſit operari: neque noſtram cooperationē, à nobiſ-ipſis profectam, & vires, quas omni ſtudio & labore in eâ intēdimus, ſufficere, niſi eas ita applicemus, vt ad operationem diuinā nos diſponant. Hinc inſuper alia quædam reuera conſideratu digniſſimā oriuntur, quòd nimirum non pauci in viâ orationis poſt decem, quindecim, & viginti annorum decurſum, in cognitione & experientia veri ſpiritûs DEI, ac diuinarum eius operationū interiorū acquirenda, vix alios progreſſus feciſſe deprehendantur, ac primo die, quo iſtud iter ſunt ingreſſi; idq; eâ de cauſſa, quòd nec agant, nec cordi habeant aliud, quàm vt ipſi ſoli multùm operētur, & omnes regulas, leges, ac præcepta bonæ meditationis ad vnguem obſeruent; nec vmquam ſcire ac nôſſe laborent, quod ad veram orationē vltra hunc modum operationis ſit progrediendum, quæ à propria induſtria ſua procedit, & ab illâ repleri, quæ primam & principalem ſuam originē habet Infuſionem Diuinam: & ita intra limites virtutis moralis & acquiſitæ perpetuò manent incluſi, nec ad infu-

Animaduerſio notabilis

ſas

ſas & ſupernaturales vnquam pertingunt. Et quamuis eiuſmodi homines cunctationem ſuam non animaduertant, rati eos eſſe raros qui citius ad altiora promouentur: qui tamen oculos in ſuũ progreſſum intentos habent, ac ſpiritum interiori lumine illuſtratum, defectum eorum & culpam nullo negotio ſtatim deprehendunt, cernuntq́; eos notitia veræ viæ interioris eſſe priuatos. Quanquam enim bonis illis Meditationum exercitijs inſtructi, quibus tamdiu immorantur, & quæ frigidè exercent, nunquam non anhelent ad bonum, & ad omnem virtutem, tempuſque laudabiliter inſumant, omnia etiam, minora maioraque peccata pro viribus euitent ac deteſtentur; hoc totum tamen nihili æſtimandũ, reſpectu eius, quod in hac via perfectionis adhuc reſtat arandum. Aliud enim eſt hoc facere, & aliud, in veri Spiritus DEI acquiſitione, quam illi ignorant, proficere, & de die in diem non pœnitendos facere progreſſus.

Inuenire licet etiã alios, qui in meditationibus ſuis magis ſe exercentes in elicienda compunctione, contritio-

ne ac dolore peccatorũ, quàm in amore atque confidentia erga DEVM acquirenda, ad tantam ſpiritus grauedinem atque depreſſionem tandem deijciuntur, vt incredibili triſtitia interiori, mœrore, ſcrupulis, & ſimilibus confuſionibus obruti, pro eo, quòd ſpiritu amoris alis ad DEVM erecto, & filialis confidentiæ in eius bonitate, eleuari deberent (quod in omnib. exercitijs, quæ ſuſcipi poſſunt, factu opus eſt) quotidie magis & magis ab eo lõgè recedũt, effecti plane terreſtres, deiecti, mœrore & melãcholia onuſti, verbo, humore perfuſi prorſus cõtrario vero Spiritui DEI, qui non eſt, niſi iuſtitia, pax & gaudium in Spiritu ſancto. Ad euitanda igitur omnia iſthæc incommoda, operæ pretium eſt hîc me tractare de ſecũdo modo Meditationis, medio inter craſſiorem, de quo ſuprà, & ſpiritualem Eleuationem ad DEVM, de qua mox infrà agetur, qui de ambobus aliquid ſibi vẽdicat, & ita paullatim ad res vlteriores animam diſponit. Neque enim gratia DEI deſunt animæ, quæ optimarũ ſuarum meditationum auxilio, ea fidelitate & aſſiduitate recollectioni atq; Mortificatio-

tificationi incubuere, vt in ſeſe perſentiſcant incredibilem promptitudinem offerendi atque conſecrandi DEO omne id, quod à diuina eius volũtate profectum eſſe ſcirent, & abſque vlla morula ſibi-ipſis abrenuntiandi in omnibus & vbique, vbi proprij commodi ſui cauſſam agi noſſent; à quibus Mortificatio, Cõfuſio, Humiliatio, Deſpectus atque Contemptus, & ſimiles ſuimet abnegationes non vnius ęſtimantur aſſis adeò non laborioſæ ac moleſtæ illis videntur: quid igitur his animabus fiet? vt in eadem ſemper longarum Meditationum tela pertexenda, in perpetua obſeruatione omnium meditationis partium, regularũ & legum diſtineantur, non maiori ardore cor earum inflãmabitur, quàm qui iam antè eas occupauerat. Damnum igitur n õmediocre foret, longis eiuſmodi, frigidis, ac lentiuſculis meditationibus tempus illis diutius perire; itaque ſecundus hic Modus iungendus, ac probè obſeruandus venit: Vt nimirum quis ſibi ſacrum aliquod myſterium, ſicut in altero, quidem repræſentet, verùm hoc diſcrimine, quòd longiores diſcurſus hîc locum

Frigida meditatio, temporis iactura.

Secũdus modus Meditationis.

non habent, sed affectio vna cum imaginatione mysterij pari simul gressu continuò procedit, consumens totum tempus in perpetua sermocinatione ad DEVM, in mysterio, quod Meditationis est subiectum, coniectâ omni curâ ac sollicitudine, non in verborum ornatum ac splendorem, sed vt quam plurimum ac feruétissimè amet, vt seriò amorem eius desideret, & cor suum totum illi donet. Exempli gratia: Propones tibi mysterium Natiuitatis Domini, & ab habitu, quem iam tibi acquisiuisti, repræsentabis tibi per facilem imaginationem, Saluatorem iam in præsepi reclinatum, mox inter sanctissima brachia gloriosæ Virginis Matris quiescentem; & pro eo, quòd in primo Meditandi modo lentus fit progressus, examinando omnes circumstantias & particularitates huius mysterij, multumque propterea temporis consumendo, hoc secundo Modo, relictis his talibus, id vnum agitur, vt animus vehementer excitetur ad se totum dissoluendum in amorem ac deuotionem, dum intuetur forma habituque paruuli infantuli, eum, qui Rex est Angelo-

gelorum, Gloria Cœli, & ſupremus Dominus totius vniuerſi; qui ob immenſum amorem, quo erga nos ardebat, ad nos deſcendit, inque recognitionem tanti Beneficij, aliud à nobis non petit, niſi vt feruentiſſimâ affectione eum viciſſim diligamus & ad eum ſolum deſideria noſtra dirigamus: atque ſumptâ hinc fiduciâ & certâ confidentia ad eum accedendi & diuinum eius amorem ſollicitandi animus non ceſſet ad eum inceſſanter aſpirare, & corde hos aut ſimiles affectus mouere: *Mi Domine* DEVS, *mi* IESV, *qui tot & tanta mirabilia mei cauſſa operatus es, qui pro omni retributione aliud à me nõ exigis, niſi vt te verè toto corde meo diligam: da mihi & effice, vt te perfectè amem, vt te intimis animæ meæ, & totius affectionis meæ brachijs amplectar & cõſtringam. Mi* IESV, *dulcedo mea, cõſolatio mea, vita mea, amor meus, deſiderium meum, diuitiæ meæ, Theſaurus meus, & omne bonum meum!*

Aliquando etiam exerceri poſſunt in interiori ſpiritu infiniti actus humilitatis, paruitatis, & annihilationis vel

exinanitionis sui-ipsius coram DEO, ad flectendum eum, vt oculis misericordiæ suæ in nos respiciat, & ad exaudiendum nos se inclinet. Alio die ob oculos tibi pones Adorationem trium Regum, & vnà, cum illis adorabis quoque in spiritu recens natum Regem Iudęorum, offerendo ei cor tuum, tuam affectionē, ac teipsum totum, nec quicquam aliud magis ab eo petendo, atque gratiam eum amandi in veritate diligendi; & ita in eius præsentia innumeris honoris, & cultûs, amoris & reuerentiæ titulis eum ornabis.

Affectio principaliter excitanda & exercēda est.

Et vt vno verbo omnia complectar, omne mysterium, quod cōsiderandum tibi sumes, ad nihil aliud magis conuertes, nisi vt quia CHRISTVS Dominus in hoc mysterio præsens est, affectionem tuam indesinenter erga eum excitare possis, ita, vt affectus tuus in continua actione versetur, nec opus sit multo discursu, de puncto ad punctum singula perlustrare, in quolibet mysterio, sed succincta breuitate; hæcque potissima cura te stimulet, vt exerceas affectionem, subsidio mille aliarum industriarum, quibuscum, hunc modum con-

continuare possis absque læsione valetudinis, cùm hæc res non tam viribus & violentia, quàm ingeniosa industria perficiatur. Et ecce tibi discrimen inter hunc & alium præcedentem Modū, quibus ab Authoribus communiter hæ partes assignantur, quòd illi conueniat sollicita diligentia omnes particularitates, circumstantias, & similia adiuncta sedulò peruestigare ac perlustrare; hic verò, cùm iam fat frequentem vsum meditandi super hæc mysteria, & sufficientem cognitionem eorum, quæ Saluator ibi fecit pertulitque sibi comparauerit, neglecta omni particulari ista cura, immediatè se cōuertat ad DEVM, cum magno ardore affectionem suam indesinenter excitandi ad eius desiderium & amorem, ac si illi diceret: DEVS meus, Saluator meus, Non ignoro, ac libens fateor, quòd pro mea salute mirabilia multa feceris, quòd hoc nomine infinitis obligationibus tui amandi sim obstrictus, sed & me tibi totum donandi, teque in æternum collaudandi; agnosco inquam hanc meam obligationem, & si in excutiendis omnibus particularitatibus mirabilium istorum myste-

Quare à primo modo Meditationis transeatur ad hunc secundum

mysteriorum, quæ operatus es pro me, animus occupari vellet, nec plura, nec maiora, quàm quæ iam mihi impressa firmiter inhærent, ad notitiam meam tum peruenire possent, quia idem me desiderium, is hoc momento tui amandi ardor stimulat, qui me tunc ad tui amorem esset accensurus. Neque enim obligationis meæ sum nescius, neque voluntas me deficit, sed omnis culpa in eo consistit, quòd magnitudo amoris mei erga te, voto meo ac desiderio ardentissimo non respondet. Relictâ igitur omni longiori Intellectûs inuestigatione, hæc me vnica in posterum cura torquebit, vt in tui amore me sedulò ac indefesso studio exerceam, pro gratiâ tuâ obtinẽdâ tibi perpetuò supplex fiam, offeram tibi voluntatem meam, consecrem tibi cor meum, meam tibi affectionem dedicem, denique non nisi in tui vnius amore posthac spiritũ ducam. Et ecce quomodo eiusmodi anima orationis suæ tempore sese exerceat, quæ nunquã languescit, sed potiùs subinde magis magisque inflammata, iam cum DEO, iam secum ipsâ sermocinatur, vt cor suum, quando per distractionem

nem à se illud abire animaduertit, ad se reuocet, semet de lubricitate ac instabilitate suâ, & exiguâ affectione accusando: neque solùm se exerceat tempore Orationi ordinariæ destinato, verùm etiam toto die, inter medias occupationes vitæ humanæ. Nec enim quicquã impedire nos potest, quin hoc modo cor nostrum DEO absque intermissione offeramus, ac de eo, totâ nostrâ affectione perpetuò cogitemus. Si quamcumque creaturam in mundo, singulari amore aliquando es prosecutus, cogita, quàm iucunda tibi fuerit eius recordatio, quomodo cor tuum eò transtuleris, quomodo ab eius amore nihil auocare te potuerit, ac vehementer temet confunde, quòd Dominus DEVS tuus nil tale hactenus à te obtinuerit, quod olim Creaturæ vltrò donabas. Hoc modo temet incipies exercere, vt integer dies, immò tota vita tua, continua tibi oratio sit futura, perseuerando videlicet in continuo motu recordationis amoris & desiderij erga DEVM, omni momento, omni horâ, omni tempore, & omni loco. Et quamuis id initio nonnihil fortasse difficilius alicui videbitur

Quomodo ad cõtinuam orationẽ perueniatur.

tur

tur si modò, tamẽ ille industriosè absq; vlla violentia sese iuuandi, & ad DEVM inclinandi cor suum didicerit, facilimè tandem diuinâ fauente gratiâ, huic labori assuescet. Et nota, si vnquam, siue tempori, siue serò, verum spiritum orationis, fruitionem præsentiæ diuinæ, ac verum DEI amorem consequi desideres, necesse esse, vt continuam illam ac suauem attentionẽ interiorem ad DEVM, cum affectu, qui semper aspiret ad diuinum eius amorem, omni tempore & loco, acquiras, quia Oratio mentalis iter est ad DEVM, & duo nostri pedes, quibus in itinere illo progredimur, sunt cognitio & affectio erga DEVM. Quando igitur cogitatio atque desiderium non mouentur, in hac viâ nõ procedimus. Et hæc est ratio, cur secundus iste modus Meditationis, viam & breuiorem & faciliorem leuioremq; reddat, quia in eo & cogitatio & affectio erga DEVM perpetuò mouentur, & sic plus spatij vno die, quàm iuxta præcedentẽ modũ integro mense conficitur.

Nota.

Quomodo eatur ad Deũ.

Animaduerte etiam, quòd secundùm huius Modi præscriptum conuersaturus cum Domino DEO, considerare eũ

poterit

poterit non tantùm in his sacris mysterijs ipsius Humanitatis, verùm nonnunquam etiam in quibusdam sublimioribus cognitionibus diuinarum eius perfectionum, videlicet, magnitudinis, immensitatis, infinitatis, æternitatis, & similium, sobriè tamen & cautè, ac eò vsque solummodo, quantū necesse erit ad exprimendos actus affectionis, & ad veram apprehensionem magnitudinis DEI excitandam, vt debitus illi honor & cultus semper conseruetur.

Ante omnia verò faciēdum initium est concipiendi DEI, non tanquam in supremo cœlo regnātis, & longè à nobis remoti, sed in animâ nostrâ, in summitate spiritûs nostri Præsentis; idque tum præcipuè, cum voluntate bene excitata, Anima omninò in se recollecta, à sensibus & imaginationibus alienatam se sentit & abstractam: tunc enim recordetur necesse est immediatæ huius præsentiæ DEI apud illam, vt, hac veritate cognita, eiusmodi imaginationibus & infinitis repræsentationibus DEI extra se, distrahi se nō patiatur. Et ita seipsā paulatim disponet ad statū sequentem. *Concipere Deum in suo spiritu.*

DE-

DE VERA ELEVATIONE MENTIS in DEVM per Negationem & spoliationem omnium Imaginationum, & Discursuum Intellectualium: vbi explicatur ordo & progressus huius cœlestis Ascensus.

CAPVT IV.



INTELLECTVS noster in Oratione mẽtali duo genera operationũ continet: Vnum, quando ei operãdum est, vt voluntati subiectum & Rationem volendi, vel amandi subministret, proponendo ei mouentia & caussas; Et de hoc modo hactenus egimus huc vsque, fuitque necessarium, eum sic diduci vsque ad hos præsentes status, Intellectu semper præcedente, ad suggerendum voluntati mouentia, eamque inducendam, vt ad bonas affectiones se excitet, permota ipse reuertitur, vt pressiori examine eadem mouentia iterum ponderet, ac in motib. suis ea continuet, vtque vires ac vigorem illis addat.

dat. Et cum hoc explicandi modo conueniunt omnes alij, qui de functionibus intellectûs loquuntur. Alterum genus operationum tunc perficitur, cùm voluntas in se recollecta, iamque velle in manu sua habens, cum firmissima resolutione, quòd velit amare DEVM, prout iam de facto robur aliquod, & actualem voluntatem acquisiuit, cum cæterarum potentiarum omnium auxiliari consensu, pergit vlteriùs ac desiderat faciem & præsentiam illius, quē amat. Psal. 26. *Tibi dixit cor meũ, exquisiuit te facies mea: faciem tuam Domine requiram.* Hic Intellectus reducitur in actum, in intuitũ scilicet quendam internum & eleuationem versus apicem mentis, non quidem per sublimes conceptus diuinarum perfectionum, vt subiectum habeat excitandæ ac permouendæ voluntatis ad amandum; sed in firma & humillima immediatæ præsentię diuinę certitudine fundatus, admirabili solummodo simplicitate, & nudo aspectu in fastigiũ spiritûs, procedit, vt id exequatur, quod voluntas (actualiter in desiderando occupata) vult, desiderat, ac prætendit, vt nimirũ

faciem

faciem ac præsentiam quærat & inueniat eius, quem, quantum humanitus possibile, super omnia desiderat amare, adorare, reuereri.

Secreta mystica incipiũt. Et animaduerte, quod deinceps vnà cum initijs vitæ mysticæ pariter etiam ordiantur harum interiorum semitarũ secreta. Nam loco quod nonnulli per bonas meditationes, aut alia Diuina motiua in animabus suis permoti ad quiduis bonum sanctumque efficaciter appetẽdum, omnem huiusmodi inspirationem referunt ad res exteriores, vt hoc vel illud exteriùs faciãt, in eo fundati, quòd amor eorum vim suam per præclara opera exteriora exserere debeat; loco inquam huius agendi modi, sciendum, vt quis veræ vitæ mysticæ idoneus sectator euãdat, requiri, vt discat secum omninò manere intra seipsum, cũ actibus & conatibus suis immanentibus, qui non habent relationem ad res externas, sed ad DEVM solùm, ad quem toto corde in vertice spiritûs est adspirandũ. Eam ob rem, postquam homo naturam suam inferiorem aliquo modo reformauit, ac virtutes morales acquisitas, summo studio in

pra-

praxin & effectum, cum per occasionẽ licet, referre laborat, cum iam alio desiderio, quàm terendi viam virtutis & mortificationis & absque vllo defectu, DEO & suæ vocationi pro virili satisfaciendi non agatur; post hæc, inquam, si vlteriùs progredi cupiat, negotia sua spiritualia disponat necesse est, ac primùm quidem exteriorem suum hominem ad iustam mẽsuram ac proportionem viribus suis ac statui congruentem moderetur atque cõformet: quo facto, ac perfecto, cuius etiam curam omnem ille posthac est subiecturus, cogitationes suas animumque planè eò conuertat oportet, vt intelligat, quid sibi in interiori suo cum Deo agendum, id quod inprimis magni momenti documẽtum est, vtpotè sine quo ad Secretarum istarum semitarum cognitionẽ nemo vnquam sit penetraturus.

Via mystica fundata est in negatione & abstractione spiritus ab omni eo, quod nõ est Deus.

Huius igitur exordium est ista inuestigatio DEI in anima, per fidem robustissimam, ac simplicem visum, eleuatum versus supremum culmẽ spiritûs, negando, reijciendo, seque abstrahendo à re omni cuiuscunq; nominis, scilicet meditatione, imaginatione, speculatio-

latione, discursibus sublimibus de DEO conceptionibus, & similibus (nisi inquantum vel à DEO immediatè infunderentur, vel ab aliâ quâdam superueniente caussa suaderentur,) vt ita per viam negatiuam naturalis & humani modi per imaginationes, & crassiores conceptiones operandi, perueniatur ad denudationem omnium potentiarum, & ad simplicem vnitatem, visus, & attentionis ad DEVM, qui per huiusmodi negationē, abstractionem & humilem reiectionem omnium aliarum rerum toto corde desideratur; Requiritque hic modus, vt voluntas actualiter sit recollecta, & imperium obtineat in interiori, vt in quiete & sentimētō ipsius retineri possit, vtpote quæ actuali desiderio veri & puri amoris diuini flagret, quia aliàs intuitus ille interior ad quærendum DEVM, non satis foret efficax & fortis pertingendi ad scopum præfixum, sed frigidus, tardus, & tātùm non otiosus.

Pacifica recollectio necessaria pro fundamento requisitionis Diuinæ præsentiæ in spiritu.

Ad quod actuale desiderium voluntatis vt perueniatur, egim⁹ primo modo Meditationis, quomodo Intellectus præcedens, voluntati mouentia, caussas,

ſas, & rationes aperire ac oſtendere debeat: ſecundus deinde modus docuit initia moderandi hunc Intellectum, & maiorem tribuendi locum voluntati, quam continuò actus ſuos producere iuſſit, vt magis magiſque confirmaretur, ac reuiuiſceret, & cæteris potentijs omnibus ſuperior euaderet. Nunc ſupereſt iſte modus, vt voluntas ſic viuificata, in habitum perducta, ac egregiè confortata, extremo ad DEVM ardore rapta, actualiter volens & amãs, ſicut amori nõ ſatisfit, niſi fruatur præſentiâ & ſocietate illius quem amat, nõ ſolùm depictâ, vel per imaginationem oculis ſubiectâ, ſed reali & verâ, quantum quidem fieri poteſt, abſtrahat & remoueat ſe ab omni aliâ imaginatione exteriori, à quibuſcunque conceptionibus aut ſpeculationibus interioribus, vt intimè perquirat & recipiat aliquam aliam, per realem infuſionem, & communicationem, quam de ſeipſo DEVS præſtat, quamquã obſcurè in hac vita, & *per ſpeculum in ænigmate.*

Et ecce tibi nodum Gordianum illum, difficillimum ſolutu! Hinc enim exſurgit illa Quæſtio tanto-

Quæritur: vtrū quis possit ex se ipso denudationem imaginationum & discursuum amplecti

tantopere discussa, & ventilata, vtrùm liceat hoc facere ex seipso, & ita omnē meditationē vel imaginationem abijcere, ad applicandum se totum requisitioni DEI spiritualiter in spiritu, nisi quis à gratiæ, & operationis diuinæ abundantia, interiùs sit inuitatus? Maior pars tuetur Negatiuam, & quòd mera sit impostura, eiusmodi doctrinā amplecti ac sequi. Hinc illud deinde malum nascitur, quòd plurimi in hoc luto hærentes, nunquam, vel certè post longissimum saltem tempus, pedē promoueant, ac vlterius progrediantur, cùm vltrò sese ipsi ad res vlteriores ingerere vereantur. Quod igitur attinet ad eos, qui dicunt, exspectandum esse, donec nos DEVS quasi vi trahat ad res altiores, quā sit consideratio mysteriorum humanitatis Saluatoris nostri; & ita nemini licere, vt in hanc messem, suam vltrò falcem, nemine iubente vel dirigente mittat. Hi tales audiēdi sunt ea discretione, vt omnis quidem præsumptio euitetur, ac planè exulet, sed ne cooperatio, quam cum diuinis gratijs coniungamus necesse est, propterea non excludatur. Res est extra omnem dubita-

dubitationis aleam posita, quòd infusio huius diuini spiritûs, hic amor, siue hęc præsentia diuina, cuius tanto desiderio ardes, & ad quam die nocteque indesinenter aspiras, in naturali potestate vel possibilitate tua eam acquirendi non sit sita, quocunque etiam labore ac studio, quacunque industriâ & arte humanâ in eâ adipiscendâ sis laboraturus, sed reuerâ à solâ diuinâ liberalitate dependeat, eam infundere, quando & quibus ei placuerit; atque hîc locum habet illud, quòd tractio diuina sit exspectanda: At verò, quod diligentiâ, fidelitate, industriâ, & cooperatione nostrâ per gratiam præuenientem nosmet disponere non possimus, nullo modo sustinere potest ac defendi. Nam & meditatio, & mortificatio, & omnes virtutes morales, cum omnibus alijs documentis, quæ ex libris haurimus, quid quæso aliud sunt, quàm dispositiones remotiores, quibus nos cupiunt instructos, vt ad percipiendum diuinum amorem eò magis idonei reddamur? quid igitur, vt propiùs propiusque semper appropinquemus, nos inhibeat, imò quid necessitate postulante nos non alliciat,

Disponi oportet ad gratiam & amorem Dei.

quò minùs eiuſmodi medijs vtamur, quæ immediatè nos eò diſponere poſſint? Maximarũ vna eſt orbi notiſſima, quòd omnis forma requirat diſpoſitionē in materiâ, vt introducatur: ita certiſſimum eſt, DEVM cuiq; gratiam ſuã iuſtificantem, ſpiritum ſuum, vel amorem diuinum impertiri, prout quiſquè ſe præparauerit ac diſpoſuerit; eſtque DEO perfamiliare, quòd nobiſcũ operetur modo cõuenienti exercitijs, quæ nobis ad manum, ſiue illis, quæ vitam actiuã, ſiue alijs interioribus, quæ Amorem concernunt; neque miraculis nobiſcum agere ſolet, vi nos, & velut reluctantes trahendo, ſed vult noſtrũ ſibi liberum arbitrium permitti, vt meritũ penes nos maneat: ac propterea nos trahit ita ſuauiter, ac motus ſuos in ordinem noſtrę cooperationis ita leniter redigere ſolet, vt eos noſtris opinionibus, vel cõtrario procedendi modo facilimè obſcurare ac reijcere poſſimus. Ideoque ſi verum amorem ac Spiritum DEI aliquando adipiſci cupiamus, neceſsè eſt, vt gradatim modos agẽdi tam aptos & conuenientes capiamus, vt diuerſitati ſtatuum internorum noſmet con-

Deus nõ ſemper miracula patrat

conformantes, DEO supernaturaliter operandi locum concedamus. Hæc igitur ratio est, cur præter statum præcedentem, magis magisque semper progrediendo, agamus oporteat vlteriùs, de quadã dispositione magis adhuc immediatâ quàm præcedentes, vt ad fruitionem præsentiæ diuinæ, ac operationis diuini eius amoris perueniamus, nimirum de Eleuatione planè spirituali, per quam anima, iam abstracta in seipsâ, altiùs eleuare se conatur ad DEVM supra seipsam, nõ quidem imaginatione, discursu, aut sublimi aliqua conceptione interiori, sed abnegatione rerũ omnium, immò & sui-ipsius, vt DEO tandem potiri possit, prout realiter, essentialiter, & per seipsum cuique nostrum præsens est, cupiens se nobis cõmunicare in summitate spiritûs nostri, per gratiarum suarũ infusionem: hoc, inquam, sic credendo, & cor suum eò inclinando, tãquam ad bonum aliquod supremè bonum & amabile, ac omnibus desiderandi numeris absolutissimum, quieta hoc modo, firma, fixaque quàm maximè fieri potest, hæret, stimulando interim seipsam ad desiderium

Eleuatio explicatur.

diuini amoris ope internę alicuius sermocinationis, quæ eã, in pręsentia DEI sic recollectam, & cum diuina eius Maiestate conuersantem, in sui-ipsius sentimento continet. Quia enim hoc illud est, ad quod omnes animę, profectûs sui cupidæ, adspirant, videlicet vt ad perpetuam occupationẽ spiritus sui cum DEO, ad continuam directionem suorum desideriorum, intentionum atque cogitationum in eum, in quo omne suum bonum, omnem Thesaurum, omnesque diuitias suas collocarunt, perueniát, si eiusmodi anima proficere cupiat, omnem operam dabit, vt memorię suæ certum numerum paruarum & breuium, sed pietate plenarum eiaculationum & adspirationum impressum habeat, quarum medio exercere possit refluxum siue tendentiam amabilem, & actualem aliquam amore flagrãtem, & filialem conuersionem ad DEVM, fœlicissimũ suum principium, originem suam, & finem suum tam desiderabilẽ, de nulla re magis sollicita, quàm vt ei quam maximè placeat, diuinę eius dispositioni se totam committens, suimet & omnium eorum, quę mundi sunt oblita,

Aspirationes sunt necessaria in hoc statu Eleuationis.

Vide suprà prima parte Aspirationũ.

lita, ad meditationes, vel alias imaginarias occupationes amplius non descendens, nisi aliorum mediorum defe-ctu adacta. Etiamsi enim salutares illæ meditationes, ad cognitionem sui acquirẽdam, permagnam ei operam præstiterint, ad exstirpandas etiam & sepeliendas omnes malas impressiones ac recordationes rerum quæ sunt in mundo, ad superandas ac deprimendas suas passiones, aliosque infiniti propè numeri percipiendos fructus, multum ei adiumenti contulerint, nihilominus tamen, cum de progressu ac dispositione ad res vlteriores ordinanda nũc agitur, alijs Regulis, alijs porrò legibus erit illi viuendum. In vita interiori sæpenumero vsu venire solet, vt quod initio vitã attulit, mortem paulò pòst conciliare possit, hoc est, magnam retardationem, si quis, instar testudinis, suæ testæ perpetuò velit esse adfixus. In vitæ spiritualis crepusculo, omnia, etiam ipsa Creaturarum, & exteriorum mysteriorum diuinorum consideratio, ad excitãdum cor suum ad DEVM, pro subiecto Meditationum inseruire solebant, quia maximus, ac propemodum

Primi modi Imaginarij deserendi.

vnicus, qui tūc percipi poterat, fructus erat, sentire cor suum commotum ad desideria rerum diuinarū, nulla adhuc habita Introuersione, nullo visu interiori, aut cognitione vnitatis spiritûs exploratâ, (longè profectò aliâ, & perquam cōtraria omnibus istis multiplicitatibus potentiarum inferiorum) hîc verò, postquam præcedentium exercitiorum medio cor hominis non tātùm verè ad DEVM conuersum & inclinatum est, verùm initium quoque factum experiundæ istius vnitatis spiritûs superioris, istius Introuersionis, & visus interioris, ad cuius ductum interior via dirigi solet, res postulat, vt hunc spiritualem & mysticum modum persequēdo, alter crassior & Imaginarius negligatur tamquàm possibile erit, ad semet verè cōfirmandum & corrobandum in tali modo purè Interno, & Immanente, assiduè se eleuando versus apicē spiritûs, per actus desiderij ac inquisitionis realis & experimentalis præsentiæ DEI, secundùm has potentias superiores, humi relicta Natura Inferiori, cum tota cohorte Passionum, tumultuum, & mutationum, omnemq; operam ac industriam

In eleuatione Natura cū omni sua sequela humi linquitur.

dustriam impendendo, vt medium inter naturam & spiritum, semper teneatur, ad suauiter se reddendum Insensibilem, erga omne id, quod inferius est, & ad feliciter se attollendū ad DEVM, in fastigio spiritûs, qui sic oculo fidei in hac obscura caligine huius mystici modi quæri solet.

Tunc enim, cū præter industriæ propriæ conatus, qui per DEI gratiam adhibiti fuêre, efficax & experimentalis diuina motio superuenit, tunc, inquā, eleuatio versus spiritum per fortem quandam compressionem totius inferioris ita cōfirmatur in anima, vt semper ad eiusmodi vnitatem, quam per hanc attractionem diuinam, vt desideraret, fuit edocta, adspiranti: omnis illa inferiorum potentiarum multiplicitas permolesta sit futura; id quod bonum, ac desideratu dignum est. Noster enim profectus in eo consistit, vt pœnitissimè interni euadamus, ac operantes secundùm spiritum, intimiùs multò recollecti, quàm omnes sensus exteriores & interiores, per negationem scilicet omnium, quæ extra, & non-adhærentiam rei vlli, quæ intra nos, nisi

Attractio erga vnitate spiritus, & alienatio sensuum desideranda.

post operationem internam & efficacē DEI, quæ exspectatur, desideratur, & quæritur, per attentionem continuam, & suauem vigilantiam in suo interiori; nil quicquam de toto genimine inferiori ampliùs sentientes, quàm partem amātem (quæ totius istius Inferioris congeriem in se continet) à diuina affectione suauiter tactam. Quodq; ad ipsam cognitionem attinet, neque retinetur, neque in praxin deducitur alia, quàm simplex quædam, sed certa tamē fides, & apprehēsio illius præsentiæ diuinæ, ad submittendum se diuinæ eius influentiæ, & ad experimētalem manifestationē sanctæ eius operationis præstolandam.

Quæ cognitio in via mystica retineatur

Non quidem quòd interiùs velut otiosis nobis esse liceat, exspectando, vt DEVS ipse solus omnia operetur, iam enim antea diximus, quid ex parte nostra requiratur: sed quod magis magisque ad DEVM accedendo, medio auxilij, quo conatus animę frequenter prouehere solet, alium infundit amorem, aliamque operationem nostra longè intimiorem & efficaciorem. Et cum sic eum propria experientia cognoscimus: tunc

Vide antè in 1. parte ca. 5. p. 102. & seq.

tunc ipsius Intellectus viuacitas: quæ alioqui ad diuersas bonas cōsiderationes applicari solebat, iam restringitur ad certas interiores obscuras species, non quidem imaginatione conceptas, aut formatas, sed ab experientia, diuinæ operationis reliquas. Tunc non amplius, quàm affectuosè, in magna pace & quiete progrediēdo, omni studio captiuatur Intellectus, quantum ad eius discursus, cogitationes, aut intelligentias quarumlibet rerum, nil quicquam retinendo, quàm certas species interiores, vestigia, impressiones, ænigmata vel ideas experiētiæ diuini huius amoris, quarum subsidio & adminiculis voluntas, siue pars affectiua, adiuta, producit actus suos, vt omnibus his terrenis & inferioribus relictis hilari, & amoris plena alacritate, leuissimaq; agilitate visum suum interiorem eleuet ad DEVM, quem oculo fidei inuestigat & quærit hoc modo, per ænigmata, ideas, aut species internas, in spiritus obscuritate, sub cōceptibus summi sui Boni, Amoris, vitæ suæ, & aliorum titulorū aut epithetorum amoris, qui eum, velut supremo omnium desiderio appe-

Experientia diuinæ operationis causat in anima aliqua vestigia & impressiones, quæ magis ei seruiunt ac discursus & Imaginationes.

tendum Bonum illi repræsentant, ita, vt tã profundè se immergat in hac via amoris & desiderij erga DEVM, in pace & silentio, ac si in vniuerso mundo, præter hoc, nihil esset agendum.

Non quod omnibus hisce amoris & amatiuæ partis vocabulis, sensibilem & inferioris partis amorem, inculcare aut fouere velim, procul enim nimis à meo proposito hoc est, cum iam satis superque dixerimus, quod omni studio & diligentia enitendum sit, vt natura inferior forti conatu mentis supprimatur, & infra in insensibilitate relinquatur.

Sed ideo inducitur hic anima ad viã amoris sectandam, ratione fruitiui & experimentalis amoris, quo etiamnum à primis & inferioribus hisce gradibus digna efficitur, interim dum proprio conatu & industria actibus aspirationis, & in DEVM desiderij, omni sinceritate & fidelitate vacat. Sicut enim omnes animæ potentiæ, simul vnitæ & collectæ, ad productionem talis fruitiui amoris, iuxta capacitatem horũ primorum graduum cõcurrunt: sic etiam; ex relictis à tali experientia vestigijs,

eru-

eruditur ad sic in omnibus suis aspirationis, desiderij, & attentionis actibus procedendum, adeò quod etiamsi seipsam in initio quibusdam rationibus, considerationibus & vrgentibus causis iuuare se debuerit, progressu tamen tẽporis frequens reiteratio talis experimentalis amoris efficit, vt relicto omni discursu & motiuo humano, quasi cæco modo iuxta solũ illius experientiæ diuinæ instinctũ, in hac obscuritate mysticæ introuersionis procedat.

Sed nec etiam quod in ea sim opinione, quòd omnes meditationes ac bonæ repræsentationes sacrorum mysteriorum stirpitus euelli, & tam citò planè excludi possint; frequenter enim ab vnâ ad aliam vicissitudinẽ itur, & anima initio nondum sic disposita est ad mysticum hunc modum, vt hos puros actus Eleuationis spiritualis semper cõtinuare possit; quia enim status ipsius nondum valdè abstractus, & à sensibus est alienatus, facilè accidere potest, vt nonnunquam recurrendũ illi sit ad aliquos discursus & Imaginationes, sobriè tamen vtendas, nec frequentiùs, quàm necessitate cogatur, donec me-

 liorem

liorem habitum acquisiuerit, ac præcedentium crassiorum modorum memoriam abiecerit. Nam licèt nonnulli diuina præuentione fortiùs tacti, multo labore opus non habeant, nisi vt constantem eleuationem retineant in dulcissimis suis, & merum amorē spirantibus colloquijs cum DEO, qui sat materiæ ipsis suggerit ad continuandam hāc sanctam negotiationem internam; alij tamen multas difficultates, ariditatem spiritûs, ac tentationes experiūtur, cùm eorū conatus & eleuatio non tam facilè præueniantur & adiuuentur à gratia diuina singulari & actuali, sed magis sibi relinquantur experientes, suam naturalē vacuitatē, cui sicut nullo modo est indormiendum, ita omnis adhibenda diligentia est, vt inde emergatur, suauiter ac moderatè sua efficacia propria vtendo, nec vnquam tamen ab hoc modo eleuationis mysticæ longiùs abeundo.

Nōnulli ariditate ducūtur.

Explicaturus igitur substantiam, ordinem, initium & progressum huius status, dico, quòd si quis accuratè animum aduertat, iam perspicuè intelliget, hanc negotiationem internam ni-

hil

hil esse aliud in substantia, quàm praxin & fidelem exercitationem trium superiorum potentiarum, per tres virtutes Theologicas, Fidẽ, Spem & Charitatem. Fides per certam ac indubitatam persuasionem præsentiæ diuinæ in nobis, cuius effectus sunt, inquisitio, desiderium, & aspiratio, qua erga illam fertur; Charitas per actuale desideriũ, & sincerã affectionẽ; quam huius eleuationis fundamentũ esse volo, spes verò per confidentiã in DEO accipitur, quæ planè de eius bonitate concipienda est, ita, vt hæc vigorẽ animi ac solatia subministret, animumq; in tot molestijs ac laborib. harũ semitarũ subeũdis erigat.

Substãtia huius eleuationis est exercere tres virtutes Theologicas.

Ordo verò huius eleuationis est, quod cognitione mysteriorum nostræ fidei suppositâ per exercitia meditationum, ineffabili etiam Amore Saluatoris nostri erga nos benè discusso; qui quia, aliâ quacunque solutione repudiatâ, solâ Amoris monetâ necessariò satisfactũ sibi cupit, Anima probè edocta, haud dubiè deliberauerit, DEO dare id, quod tam vehementer dari sibi postulat, cùm pace & quiete suâ frui nõ possit, nisi id exsoluerit, ad quod tot se-

Ordo huius eleuationis.

se nominib. agnoscit obstrictam, quod est amare DEVM toto corde, totis suis viribus &c. & ecce mihi desiderium, quod cùm nō debeat esse mortuum, debile, lentum, aut frigidum, sed viuum, robustum, animosum vel alacre, & inprimis ardens, sicut iam aliquoties supponendū esse diximus; ab alia verò parte, considerata nihilominus rei grauitate ac difficultate, quoad se, quę tamen quoad DEVM, cuius bonitas ac liberalitas est infinita, & à quo omnis sapientia, omneque singulare donum gratiæ in nos dimanat, leuissima facillimaque sit futura, dat locum spei, qua animatâ, confidit se votis aliquando potituram. Et quia Spes illa non dirigitur ad bonū aliquod, cuius possessionē propria industria proprijsque viribus, & non potius gratiæ diuinæ auxilio se consecuturam confidat, ideo spem suam non in viribus humanis, nō in proprio suo studio, sed in solo DEO constituit, neque id bonum à proprio ingenio, propriaq; industria, sed ab infusione diuinæ gratiæ exspectat; & propterea non animo elato, arroganti, ac superbo ad DEVM accedit, sicut rebellis ille spiritus Esai.

14.

14. *In cœlum conſcendam, ſuper aſtra cœli exaltabo ſolium meum: ſimilis ero Altiſſimo*; ſed in ſpiritu humilitatis, & animo contrito deuotiſſimè ac feruenter orat, obſecrat, ſuſpirat, aſpirat ac deſiderat gratiæ ac illius boni donũ, cuius amore rapitur, eoque humili precum & aſpirationis exercitio continuò ſubmittit ſe influẽtiæ huius diuinæ bonitatis, vt eius diffuſiua cõmunicatione tantò digniorem ſe reddat; nũquam abſtrahendo vel auocando, quantum ſibi factu poſſibile eſt, attentionem cordis ab eo, quod deſiderat, quia præter illũd, nihil æquè curę & cordi in mundo habet. Incipienſque concipere DEVM, non per imaginationes, nec ſublimes cõceptiones perfectionum diuinarum, Aeternitatis, Infinitatis, aut ſimilium, ſed ipſamet omnes eiuſmodi formales conceptus deuitans, cùm non ignoret, omne id, quod concipere aut formare poſſit, reſpectu DEI nil quicquam eſſe, collocans in eum amando omnem ſollicitudinem & curam ſuam, nil ſibi reſeruat in negotio cognitionis, quã ſimplicem quendam interiorem aſpectum ad præſentiã realem, hoc eſt cognitionem *Initium*

nem actualem, non quidem apprehensam, vel à seipsa formatã, sed infusam, quam DEVS ipse illi instillare velit, quòd nil penitus determinati ex se cõcipere ac formare cupiat, nisi, quod antè dictũ, sub epithetis amoris, pro obiecto voluntatis, eleuando & attollendo se per hunc interiorem visum ad infinitam quandam abyssum Immensitatis supra omnem captum ac intellectũ suum, absq; aliâ particulariori cognitione expressâ (quantum quidem ex se) cùm sufficiat ipsi hoc vnum, quod vocula DEI simpliciter in se continet, nil magis habens in votis, quàm vt perrũpendo omnia obstacula, omnesq; tenebras & obscuritates spiritûs intimè penetrando, perueniat ad sacrum mansionis ipsius in se conclaue. Initio igitur huius modi adspirantis ita constituto,

Progressus. Progressus hic est, quòd, cùm in huiusmodi interiori duo inueniantur, videlicet pars amatiua, siue desideriũ, forte & actuale, & visus per Intellectum, totum fundamentum istius status consistit in dicto affectu vel forti voluntate, actu desiderante & amante DEVM, Ad quod desideriũ in se cõseruandum,

vel

vel etiam ad primò ipsum producendū, initiò, sicut dictum est, nonnullis exiguis subsidijs aspirationum, ac sermocinationum cum DEO in seipso est opus, quarū medio quis eiusmodi actuali desiderio se sentiat esse occupatum; vel etiam suam attentionem in spiritu ad DEVM, ijs durantibus, possit continuare, cùm aliàs plus sæpè recollectionis nō habeat, quàm ab auxilio hoc durante ei suppeditetur. Secundò, DEVS opem & gratiam suam subministrans, infundit occupationem sufficiētem & facilitatem, & ita eiusmodi sermocinationum aspirantium ope, visu interiori semper magis magisq; penetrante, crescit in tali anima Entitas istius interioris introuersionis, ita vt paullò pòst similes sermones, vel aspirationes formatæ, parùm ei necessariæ sint futuræ, cū vna vel altera occupationi ac negotiationi eius internę sufficere possit, nec sit opus, aspirationes suas toties nō sine labore reiterare. Tertiò, Interius ea sumit incrementa in animâ, vt intimis saltem ac secretissimis verbis, à seipsâ profectis, secundum pręsentem suā dispositionem, Introuersionem suam per-

persequatur, seque sufficienter occupatam agnoscat absque aliena imploranda ope ad conciliandam sibi attentionem ad DEVM, diuinis eius influentijs & infusionibus percipiendis prona atque prompta, sicut in sequenti statu sumus dicturi, si tamen gradus & scalas cœlestis illius ascensionis aliquantò ampliùs fusiusq; priùs explicuerimus, & ante omnia, nonnullos errores, & auias quasdam semitas, quæ in hoc itinere solent incurri, detexerimus.

DE NONNVLLIS ERRORIBVS, qui in via huius Eleuationis, & inquisitionis Dei in Animam irrepunt.

CAPVT V.



NIMA hoc modo ad sentimentum & collectionē partis suæ amatiuæ, & fortis voluntatis perducta, quæ basis, cētrum, ac fulcrum est totius huius negotiationis internæ, vnà cum visu & desiderio actuali erga faciem & præsentiam spiritûs diuini, quā inquirit oculo fidei,

fidei, in caligine huius mystici modi, expediens se, quantum fieri potest, ab omni imaginatione, phantasia, speculatione, & discursu naturali, vt exspectationi ac desiderio realis manifestationis amoris & Spiritus DEI, omni submissione, resignatione, & suimet abnegatione, eò liberiùs vacare possit; incipiet porrò comprehendere & effectui dare ad litteram id, quod S. Dionysius Areopagita suo Timotheo in simili occasione faciendum suasit: *Tu autē, ô Timothee ad hoc quod capax fias mysticarum complationum, quas in hoc libro doccre intendo; sic cooperare radio diuino: Relinque sensus, & sensibilia exercitia, & etiam intellectuales operationes, & omnia sensibilia, & intelligibilia, & omnia exsistentia, & non exsistentia, forti conatu mentis hæc comprimente: & sicut est tibi possibile, consurge ignotè & supersubstantialiter ad vnitionem DEI, quæ est super omnem substantiam & cognitionem. Cùm enim te ipsum & omnia per mentis excessum nullo inferiori retinaculo præpeditus transcenderis, ab omni*

S. Diony. Areopag. ad Timoth. de Mystica Theologia.

omni concupiſcentia & cura abſolutus & purgatus, tum tandem ſic cuncta auferens & ab omnibus expeditus, ſurſum ageris ad ſuperſubſtantialem radiũ diuinæ incomprehenſibilitatis.

Hæc præteritio ſenſuũ & rerum ſenſibilium, intellectûs & omnium rerum intellectualium, res alia non eſt, quàm abſtractio & ablatio craſſiorum imaginationum, propriorum conceptuum, & naturalium diſcurſuum, ad reſtringendum ſpiritum ſuum ad illum ſimplicem intuitum internæ requiſitionis Spiritus DEI, de quo, toto hoc Capite Eleuationis, nobis ſermo. Tunc enim, cùm in tali negatione omnium imaginationum, ſpeculationum, & naturalium diſcurſuum, qui alioqui animam pacifica ſua recollectione poſſent ſpoliare, præter induſtriæ propriæ conatum, diuina manus efficaci & experimentali ſuo motu accedit, tunc inquam Anima per fortem quandam compreſſionem totius Inferioris verè ſupra omnes ſuas potentias eleuatur ad vnionem DEI.

Quamuis verò, vt perueniatur ad DEVM, & interno viſu & affectione mini-

minimè sit inhærendum vlli sensibili aut intelligibili, quod animā detineat re vllâ minore quàm DEVS ipse, & sancta eius operatio infusa : nihilominus tamen, cùm quælibet res sensum suum ac debitam conuenientemque intelligentiam habeat, culpa sinistræ interpretationis, & rerum malè acceptarū, accidere quandoque solet, vt nonnulli, dum huic spirituali eleuationi in praxin deducendæ sunt intenti, multis erroribus & incōuenientijs inuoluantur.

Et primùm quidem inuenias, qui sua quiete, silentio, siue statu tranquillo, cuius Authores mystici copiosam faciunt mentionem, abutantur. Nam sicut suprà diximus, quod sit magnus error, magnumque impedimentum, pedicas inijciens animabus, quò minus adyta huius viæ mysticæ ingrediantur, primis suis exercitijs pertinaci & nimis indiscretâ morâ velle perpetuò esse affixas, nec propria se industria propellere ac iuuare, vt eleuentur ad DEVM in summitate spiritûs, per hanc viam negationis & ablationis omnium rerum: ita aliud quoddam non minoris momenti inconueniens est, in quod aliqui

Malè intellecta quies & tranquillitas interior, magni damni caussa.

qui

qui incidunt eorũ, qui crassiora & imaginaria sua exercitia deferunt, quod tranquillitatem, silentium, quietem, vel otium, cuius Authores mystici meminerunt, malè interpretentur. Sicut enim ijs animabus, quæ multùm iam profecerunt, nihil magis conuenit, atque hoc ipsum, si dextrè intelligatur: ita alijs adhuc in limine constitutis, quæ errore inductæ, similes status internos nimis tempestiuè amplectuntur, nihil certiorem maioremque perniciem adferre solet. Ideoque si cui minùs probè sit exploratus status illius, cum quo agit, & nisi à mutuo discursu cognouerit ipsius profectum, in prosecutionem huiusmodi interioris otiosi facilè consentiendum non erit. Ratio est, quia multi inueniuntur, qui licèt perfectionis percupidi, in lectione & eius exercitijs frequentes & assidui, hanc tamen à DEO gratiam nondum sunt adepti, vt veram, realem, & experimentalem Introuersionem, quam internæ infusæ operationes spiritus conciliant, sint experti, sed etiam num cum proprio suo conatu cõmercia habeant, & in suo naturali esse, ac

Nota bene.

intra

intra limites intelligentię humanę cõclusi hæreant, & tota eorum spiritualitas in cogitationibus potiùs & speculationibus proprijs, quàm in veritate Infusionis diuinæ cõsistat: qui nihilominus, cùm se videant multos iam annos inuestigationi, lectioni, ruminationi, discussioni, atque tractatiõni rerum internarum sedulò impendisse, transeunt ad status maximè sublimes, quos inueniunt descriptos, & quibus amplectendis sese dignos ac idoneos æstimant, attribuentes sibi regularum ac præceptorum obseruationem, quæ pro eiusmodi statibus sublimioribus præscripta sunt & sancita, in quibus sicut nihil nisi per cogitationes ac speculationes nôrunt, ita nihil etiam pertinet ad ipsos ex omnibus illis, quæ in istis materijs tractãtur. Inde etiam fit, quod frequenter nequeant comprehendere, quomodo res referantur ad inuicem, sed replent mundũ quæstionibus & dubijs, cùm nesciant, quî hoc vel illud sit intelligendum. Estque hoc in particulari silentium quoddam, & quietem internam amplecti, exspectando diuinam fruitionem ab alto, nec tamẽ congruè

gruè ac debitè cooperando cum officio partis affectiuæ. Huiusmodi interior status eâ saltē parte bonus est, quâ hominem desiderio rerum cœlestium flagrantem, & ad eas adspirantem sustinet; sed reuera periculi plenus, quia, præterquam quòd sit æstimationis propriæ, & perniciosi otij subiectus, detinet hominem instabili iudicio vagantem in perquisitione rerum, quæ statibus captum eius longè excedentibus proprię sunt. Maturo igitur iudicio intelligenda sunt hæc loca Otij, Silentij, & Tranquillitatis, ac probè discernendum, vel, vtrùm resultet ab interiori, quod in operationibus spiritûs cōsuetudine firmatum est; vel etiam, num ab anima saltem formetur, quę seipsam & nimis quidem tempestiuè in talem statum intrudit. Neque enim in hoc initio adhuc eò peruentum, vbi hæ res locum habent; sed & nihil perniciosius quoque foret, quam, si priusquam veniatur ad operationes spiritûs, quis vellet suū interius formare, velut passiuum aut otiosum, cum frigidâ quadam duntaxat attentione ad DEVM, num vel quando cum sanctâ operatione suâ sit venturus.

Vera quies pertinet ad operationes spiritus.

Nam

Nam certo certius eſt, quòd in hoc ſtatu, quicunque eleuari vult ad DEVM, maximopere cooperetur, ſeque ipſum omni viriũ conatu iuuet oporteat, tam in parte affectiua, formando aſpirationes (ſicut ſuprà dictum) quàm in atētione ad ſpiritum, vt paullatim operationibus ſpiritus aptum ſeſe efficiat. Id quod aduerto, præmoneoque tantò diligētiùs, quia vidi euenire, quòd hoc ſtatu cum altero de Priuatione confuſo, qui infrà cap. 10. deſcribitur, (qui cũ ſit denuò repetitum initium, ſicut ibi declaratur, totius viæ ad DEVM, & pręparatio quædam ad ſtatum vnitiuũ, ſicut hic eſt pro ſtatu contemplatiuo, aliquam inter ſe habent ſimilitudinē) anſa fuerit nonnullis data, tempus ſuum inutili labore terendi, inculcando eis euitationem omnium craſſiorum iſtorũ conatuum, ne DEVM eiuſmodi anxiâ operatione propriâ impedirent, ſed ſuauiter ſaltem attentionem pręberent ad omne id, quod DEVS eſſet operaturus, eumq; ſequerentur. Hic quidē modus eſt cæterorum ſtatuum poſt iſtum, quibus proceditur tantùm per ſimplicem attentionem, non verò per conatum,

In hoc initio quiſque ſeipſum ſummè iuuare debet.

K

tum, vel operationem crassiorem, quã-tum ad partem affectiuam. Verùm huic initio, quo anima vi quasi cor suum ab adhæsione ad res terrenas abstrahere ac auellere cogitur, idque addiscere, vt in re nulla, nisi in solo DEO sibi placeat, hæc doctrina tantum detrimentum, ac impedimẽtum esset allatura, quàm cæteris alioqui statibus necessaria & vtilis est. Caussa verò istius differentiæ hæc est, quòd in sequentibus statibus, etiam in illo de Priuatione, cor siue affectio planissimè sit in manibus DEI, in ordine diuini amoris, & diuino radio quasi affixa, per tot sinceros actus productos, tot excessus & motus anagogicos experientiâ compertos (quamuis dictæ Priuationis tempore, sine sensu, sine vsu, propter priuationem subsidij diuini, cuius virtute possint formari actus) hîc verò tale nihil adhuc accidat, corde etiamnum in plenâ suâ libertate constituto, à diuino sensu procul remoto, & facilè languescenti, nisi diligens opera detur, ad illud à quibusuis impedimentis auocandum, adque exercendum perpetuò cum DEO in omni diligenti recollectione. Quæ differentia vt eò me-

Differentiæ caussa.

liùs

lius faciliusque comprehendatur, & vt necessitas tàm assidui laboris in hoc primò ingressu Eleuationis insumendi, quàm è contrario quietis ac tranquillitatis, quæ postea in progressu necessaria erit, intelligatur, sciendum: quamuis interior homo negotians cum DEO secundùm hanc viam mysticã, magnam quietem, silentium internum, & pacificam recollectionẽ inueniat, quia desertis exercitijs crassioribus, & omni modo proprietario abdicato, resignat se in manus DEI, patiturq; se quacunque duci, & ita transcensâ omni multiplicitate sensuum, imaginationum & intelligentiarum, stabilit ac firmat se in vnitate spiritûs, singulari abstractione omnium tumultuum inferiorum; eiusmodi pax tamen & quies acquiritur per excessum & transcensionẽ omnis proprij, crassioris, & naturalis sui conatus, videlicet per appropinquationem & vicinitatem nimiam spiritûs; & non per purum defectum omnis operationis, qui animam in naturali quadam vacuitate, adhærentem naturę inferiori, detineat. Nam, verè loquendo, status animæ spiritualis, si bene seipsam ca-

Explicatio amplior.

Vera quies excessu fit, & non defectu.

piat, eſt, vt nequaquam in otio, aut in puro ſilentio, abſque vllâ operatione, tempus trāſigat; ſed vt verè in ſincerâ & continuâ actione ſit, ſiue à DEO actualiter infusâ, ſiue à ſeipſa pro viribus ſuis producta ſecundùm ſtatus ſui exigentiam, eſtque infirmitati vitæ noſtræ humanæ aſcribendum quod tam freq̄uētes in ea defectus reperiantur. Alioqui, ſicut beati cęlites in continuâ ſuaui actione ſunt amoris & fruitionis glorioſæ, ſic eadem planè noſtra felicitas foret in hac vitâ gratiæ, ſi viuacitas noſtri ſpiritus à grauitate & mole corporis non deprimeretur. Ideò quò nudiori, ſimpliciori, puriori, & à concretione terreſtri magis abſtracto ſpiritu quis ad DEVM accedit, eò facilior, frequentior, & ſubtilior eſt reiteratio, cōtinuatio, extenſio, & dilatatio actuum, deſideriorum, & negotiationum internarum cum DEO. Non quidem, vt aliæ ſuper alias abſq; diſcrimine multiplicentur, ſed quod ſpiritus à diuina infuſione illuſtratus, & affectio magis magiſque ſincerè mota, hominem aſſiduis quaſi ſtimulis excitet ad producendos actus ſuos ſiue deſideriorum, ſiue recollectio-

Anima ſemper eſt, actiua, ſed diuerſimodè.

collectionis & fruitionis in animâ, donec ad verticẽ spiritûs in supremâ portione animæ euectus, perfectam inueniat quietem in DEO, in certâ quadam plenitudine essendi ac vera possessione DEI, & sui ipsius in illâ regione Deiformi, de quo infrà loquemur. Hoc solummodo tenendum quòd isthoc initio viæ ad DEVM, anima mori debeat secundum illud esse proprium & naturale quod extra DEVM per cõuersionem ad Creaturas acquisiuit & in quo huc vsque vixit, vt vitam illam quæ secundum spiritum est discat, vbi DEVS primo & principali regimine, totum internum statum cum sanctâ suâ operatione occupet, ita vt naturalis operandi modus, crassior, discursiuis & imaginarius omitti, cessare ac preteriri debeat, vt ad hunc alium cooperandi modum veniatur, qui attractionibus, motionibus, & statibus internis, quos spiritus diuinus cum sanctâ suâ operatione in anima disponit, de quo Cap.8.agemus omninò sit subordinatus.

Differentia bona & mala introuersionis.

Ideò veræ & realis, ac putatiuæ & imaginariæ Introuersionis differẽtiam hîc explicando, assero, quòd anima verè,

rè, & non tantùm speculatiuè spiritualis, est illa, quę verá & experimentalem diuinam operationem spiritûs sit experta, & cui huius experientiæ impressio cum vera inclinatione interna erga vnitatem spiritûs, æquè sit connaturalis, ac incipientib. posset esse status imaginarius erga obiecta crassiora bonarum meditationum. Anima enim, operationes spiritûs superioris experta, eodem modo conatur recuperare statũ & modũ conuersandi cum DEO, quando illò excidit, quo anima deuota incipiens, confugere solet ad imaginationes bonarum meditationum, vt ad recollectionem suam, à qua abierat, reuertatur; ita vt ratio, cur anima proficiens à crassiorum imaginationum vsu abstinere incipiat, sit hæc, quia motiones & experimẽtales operationes DEI in nobis, quę ab omni Inferiori nos abstrahunt, vim habent longè fortiorem atque efficaciorem attrahendi nostram attentionem, ac omnes nostræ diuinorum mysteriorum exteriorum propriæ imaginationes siue considerationes. Et quemadmodum istæ experimentales operationes DEI detegunt, & reuiuiscere se-

Experimentales ope-

re secundùm DEVM faciunt potentias superiores, ita eædem fores nobis aperiunt ad veram & realem introuersionem, suntque vitæ internæ fundamentum ipsum, quocunque eos in via faciente progressus, prout ab illis præuentus & eleuatus est; alioquin anima semper est in seipsa, in sua natura, in suo proprio esse, & imaginationibus siue speculationibus à se ipsa conceptis occupatur, ignara quid sit vera spiritualitas, quãuis litterali doctrina optimè imbuta, omnium eorum, quæ ex libris hauriri solet, cognitionem sit assecuta. Diuinæ autem illæ operationes sunt expergefactiones & actualisationes supremi illius quod est in anima, quæ eam excitant ad productionem quorundam actuum internorum inter DEVM & seipsam, qui inmanentes dici possunt, quia relationem non habent ad res externas, sed ad DEVM, iuxta hunc modum mysticum, hoc est, in obscuritate spiritûs; incognitum, & quem ipsa scrutari non vult, aut penetrare quid ipse sit, sed in id tantum incumbit, vt ad omne inferius se reddat insensibilem, & summo conatu in eum

rationes Dei veram introuersione efficiunt.

ſe totum transformet, reſeruatâ ampliori cognitione vſq; ad ſtatus poſtremos quorum tunc meliùs intellectorum melior ratio reddi poteſt.

Hoc igitur initio Eleuationis ad DEVM, vbi ab operatione naturali & proprietariâ, hoc eſt, proueniente principaliter à craſſiore eius modo, tranſeundum eſt ad eam, quæ regimini interiori, quod DEVS paullatim huius animæ cauſſa ſuſcipit, ſubordinata eſſe debet, antequam propriâ experientiâ cognoſcatur hæc veritas, & hæc differentia probè exploretur, perdifficile eſt in hoc triuio inuenire medium, cùm alij craſsè nimis imaginarijs ſuis modis affixi hæreant; alij nimiùm ſcrupuloſè, omnem propriam operationem damno ſibi futuram putent; alij denique, vt antè dictum, immaturo nimis conſilio res aliorum lōgè ſublimiorum ſtatuū ſibi ipſis attribuant, diſcurrēdo de ijs, erronū more, tumultuariè & confuſè, prout quemq; ſua phātaſia docuerit, regularum quoq; & præceptorum, quæ nō niſi ſuperiorib. illis ſtatibus propriè conueniunt, obſeruatione ſibi vendicata; non cōſiderantes, omne id, quod hactenus

Errores qui initiò committi ſolent.

ctenus in interiori suo fuêre experti, nondū fuisse verā supereminētem manifestationē spiritûs diuini, qua supra nos ipsos euehimur; sed quicquid vel vident, vel sentiunt in seipsis, non esse nisi Ideam, imaginē, & propriā conceptionē illius, in latitudine proprij eorū esse, & intra limites operationis propriæ, diuinâ motione illi inprimis opitulāte: ac propterea nō animaduertētes quoq;, se ad primū adhuc & incipiētem statum, non verò ad alios qui sequūtur, esse referendos; vnde etiā hęc saltē pręcepta, quæ in eo tradūtur, illis obseruāda & alijs generosiorib. animabus cedenda ac relinquēda ea, quę in reliquis sublimioribus statibus tractātur. Is igitur qui actiones suas ad normam huius status verè dirigere cupit, hoc saltem efficiet, vt primò omnium modum mysticè procedendi animo suo inculcet, qui consistit in quærendo DEO in summitate spiritûs, producendo actus desiderij, amoris & affectionis omni sinceritate, non quidem formando cōceptus directos affirmatiuos de DEO, sed negatiuos de supereminentia, quod ipse est illud supremū ESSE, incomprehen-

ſibile, immẽſum, ineffabile, infinitum, inexplicabile, tranſcendens omnem noſtrum intellectum, negãdo id omne, quod ſpiritui noſtro de eo poſſet offerri p r affirmationem, ad ſubtrahẽdum ſe ſic ab omni propria imaginatione, conceptione & intelligentia à ſe formata vel expreſſa de DEO; deinde vtendo quacunque re cuiuſuis tituli, quæ affectionem eius in conuerſatione & mentali occupatione cum DEO fouere poſſit, & nil quicquam excludendo, quod prodeſſe illi queat ad excitandum in ſe & confouendum, hunc affectionis diuinæ ſentimentum; referẽdo eò omnia ſua deſideria, omnes intentiones, & labores, vniendo & ſimplificãdo in hoc vnico & ſolo ſcopo, quicquid exteriùs & interius in ſua poteſtate eſt ita vt hæc duo in eius interiori inueniãtur, Aſpiratio verſus ſpiritum ad DEVM ita negatiuè & ſimpliciſſimè requiſitum, & Affectio, quæ ſemper reducitur in actionem. Et quò ſimpliciori, ſinceriori, & fideliori modo in hac re ſe geret, eò maiorem ſpem votis breui potiundi cõcipiet. Hîc igitur non ſatis eſt, gelidum & concretum frigore ſangui-

Duæ res in interiori incipiente inueniuntur.

ſanguinem, ſed planè feruentem. habere; neque ſimplici quodam & otioſo intuitu interno contentum eſſe oportet, ſed neceſſarium planè eſt, mille modos omni induſtria inueniri, qui excitandæ affectioni conueniant. Negatio enim omnis conceptus, de quo ſuprà, intelligitur ſolùm de modo cõcipiendi DEI, non vt infinitæ induſtriæ, velut adminicula quædam DEVM amandi ac deſiderandi non excogitentur, quia cùm affectio vigorem ſuum nondum acceperit, niſi quòd à diligenti cõtinuatione ſui motus rediuiua ſpiritum denuo hauſerit, non niſi vi aliquâ, vel certè ſanctâ quâdã induſtriâ, à terrâ auferri & abripi poterit vt actualiter euehatur ad DEVM: ac deinde viſus iſte, qui hoc primo gradu intendi potuit in apicem ſpiritûs, non eſt ille ſimplex & eminens viſus ſpiritûs ſuperioris, & cordis purificati, qui poſſit videre DEVM; ſed aliquod ſaltem adhuc initium eſt, aliqua ſimilitudo & imago illius, quod appetitus etiamnum ſenſitiuus animæ deſiderantis in his inferioribus ſtatibus habere poteſt, qui propterea perimbecillis, adhuc, & infirmus, ad-

Negatio omnis cõceptus quomodo intelligenda?

eoq; sine vita est, cùm supremus ille planè viuus sit & penetrans: vnde & suprema eleuatio quæ per visum illum eminentem cordis purificati exercetur, sicut valdè est immaterialis quædam, & benè defœcata actio, ab Imaginationibus abstracta, ita vera & realis esse non potest, nisi præuiâ præuentione gratiæ, quæ ad eam capacitatem nos eleuet, vt ad tam eminentem & intimam, operationem ostium nobis pandat; nam quicquid à proprio Marte, à proprijs & naturalibus viribus nostris proficiscitur, non nisi crassa ac indigesta moles, ac phantasijs siue imaginibus intellectualibus permista est. Item hæc gratia præueniens nunquam ad hos actus simplicis intelligentię nos eleuabit, nisi priùs ab omni inferiori naturæ & proprij esse nos euexerit, toto quasi in fasciculum collecto, & humi relicto, vt magnâ suppressione ac subactione istius inferioris colluuiei, imò forti quâdā compressione, & abolitione totius genimimis, eminentem illam ac supernaturalem eleuationem spiritûs sentire possimus. Tunc enim, deuictis tot mōstris, liberrimè ac verè licet operari secun-

Vera eleuatio venit à Deo.

dùm ſpiritum ſuperiorem, cùm aliàs omnis viſus & eleuatio, ſolis limitibus proprij eſſe, & operationis naturalis concludatur, & conſequentur aliud eſſe nòn poſſit, ac Imaginatio vel ſpecies à ſeipſo formata. Et complures in eam opinionem inducuntur, vt ſibi perſuadeant, ſe in ſuâ eleuatione proximè cōiunctos eſſe cùm DEO, ac ſecūdùm ſpiritum ſuperiorem operari, adeò vt eis non niſi infuſio diuina deſit; qui inde tamen adhuc ſunt remoti, in eo, quòd potentia interna, quacum operantur & eleuantur ad DEVM, adhuc nil eſt niſi imaginatio, vel, vt plurimum cōcedam, intellectus naturalis, & non ſimplex intelligētia, à diuinâ præuentione mota. Fruſtra verò eleuabimus noſtram imaginationem, ſiue intellectum naturalem; neque enim vel hic vel illa ſcopum attingent, ſed manebunt, vt ante, imagines, ac proprij conceptus; porrigent tamen manus ad eleuandos nos in ſublime, & à rebus terrenis auocādos; vnde & de facto hoc ipſum eſt, quod propriâ induſtriâ, hoc præſenti initio, faciendum nobis incumbit. Et hic eſt modus operandi, qui ab initio haberi

 poteſt,

potest, modò hoc quoque comprehendatur, quòd hoc omne ad propriam operationem adhuc pertineat, & quòd, antequam desiderio liceat potiri, eò vsque sit proficiendum, vt hic visus deprimatur, & tanquam infra à tergo relinquatur cum omni inferiori animæ, ad intelligendum tunc, quomodo supra talem modum naturalem & proprium, possit quis operari secundum spiritum superiorem. Hoc verò difficulter ille sibi persuadebit, qui nondum alium realem & diuinum modum expertus est, Eleuationem scilicet illam, & visum internum, non esse nisi imaginem, phantasiam, vel speciem intellectualem, non vero adhuc simplicem intelligentiam à verâ realitate informatam. Qui enim res illas spirituales leui aliquo conceptu formare nouit, statim sibi persuadet, se eas iam assecutum, vel certè ijs esse proximum, neque aliud præter diuinam infusioné deesse; quam propterea in silentio & directâ attentione præstolatur, nec distinguit, quòd vera realitas rerum non sit ita propria operatio. Non quòd animam velim inducere

Origo magnorum errorum.

ad

ad non operandum; hinc enim solent errores exoriri: sed quòd pro viribus operando si non tantum proficiat, vt omnes vires suas in simul, ad similitudinem fruitiui amoris colligat, omniaque inferiora prætergrediatur: vt sic tandem eleuari possit ad operandum secundum spiritum, nondum ad immediatam dispositionem diuini spiritus peruenerit; ita tamen vt omnis propria operatio transcendatur, & excedatur, non verò vt in vacuitate & inani carentia, semet quis constituere debeat.

Propria operatio debet excedi.

In hoc tamen statu tyrocinij, silentio & cuidam internæ quieti locus etiam esse potest. Homo enim ab operatione sensuũ paulò liberior, etiam solius naturalis sui luminis ductu, ad vltimum quendam gradum naturalis sui conat⁹ potest peruenire, nesciens quid vltrà sit ei faciendũ, nisi vt in tali quiete animum attendat erigatq; in altum, & ita præsentiam diuinam exspectet. Hoc ipsum quoque ordinarium esse solet, pluresque opinantur, quòd eiusmodi directa attentio, siue exspectatio in silentio, absque operando quicquam, sit im-

In hoc statu silentium internũ inuenitur.

immediata dispositio ad recipiendum gratias infusas à DEO. Sed dico illis, quòd *Non venit regnum* DEI *cum tali obseruatione*; & quòd hæc non sit gleba, quæ mereatur hoc semen desiderati fructûs sibi committi: non quòd hunc modũ repudiem; nam anima verè se ibi inuenit, ac necesse est, vt hoc initio interdum ad eiusmodi interiorem dispositionem sese accommodet: hoc saltem eam moneo, reliquum esse adhuc alium longè meliorem, ac propinquiorem modum, qui insisti possit, secundùm quem homo ducatur in exspectationem veræ & realis præsentiæ diuinæ, cũ sanctâ eius operatione, quod tamẽ eiusmodi directâ, formali, & passiuâ attentione non perficitur, sed illa transcensa, & tanquam humi neglecta, exercet vlteriùs in suâ abstractione ac spoliatione ordinatiâ omnium aliarũ rerum, leuem quandam, hilarem & serenam operationem gaudij & tranquillitatis in præsenti suo statu, velut in eo collaudans DEVM, non quidem eius desideriũ habens, sed hoc alacri & agili modo, se disponens ad percipiendam diuinam, & multò meliorem appli-

applicationem, quæ ſequi debet. Ac ſicuti iſta altera exſpectatio, extremum eſt conatûs naturalis, ita hæc, primum aliquod veſtigium, ſiue quoddam præambulum eſt Modi diuini; atque ob id magis immediata ad eum diſpoſitio. Hoc enim reuera eſt aſſimilare verum modum diuini amoris in centro, quod ſuperiorem manifeſtationem ſpiritûs præcedere ſolet: quem modum quando DEVS infundit, totum interius cõuertit in ſerenam & iucundam actionem, verùm multò nobiliùs, ſinceriùs, & efficaciùs, quàm quæ proprio conatu acquiritur; tunc enim actus in omni pace à diuinâ præuentione profluunt. Et verè loquendo, nec amor DEI in centro, nec præſentia DEI in ſpiritu, alia res eſt, qùam operatio quædam diuina in nobis, quæ proprias potentias noſtras internas in actionẽ reducit, ità vt ſimplex attentio interior in mero ſilentio & exſpectatione, non poſſit eſſe niſi defectus quidam, vel priuatio diuinæ realis infuſionis: ideò quando quis nõ ſentit ſe à diuinâ præuentione motum, vt operetur ſecundùm eam, argumento eſt eum vacuitati ſuæ naturali eſſe relictũ;

Amor Dei in cẽtro & præſentia Dei in ſpiritu operatio eſt in nobis.

eamque

eamque ob rem ab eo requiritur, vt à propriâ industriâ, siue subtiliori, siue crassiori, subsidia petat, secundùm requisitionem præsentis sui status: neque est vt cogitet, DEVM eiusmodi operationes alio quodam incognito modo in eo secretè perfecturum. DEVS quidem complacentiam in tali suo statu, & completionē diuinæ suæ voluntatis in eiusmodi defectu vel priuatione, habere poterit: cæteroqui tamen actus illi infusi non fiunt in nobis, nisi per nos, & nobiscum; quod ideo dico, quia nonnulli sibi imaginantur, quòd in eorum puro silētio interno, quantumuis nil quicquā tale persentiscant, fiant operationes DEI incognitæ & absconditæ, de quibus non nisi sola credulitate constet, & in hac opinione conquiescunt, non intelligentes, quòd purum eorum silentium non sit nisi priuatio operationum superiorum; & propterea maiorem curam sollicitudinemque cooperandi cum DEO non adhibent, nec in actionem prodire conantur, sed frigidi, inertes, & otiosi perpetuò permanent; id quod absurdum & impertinens est. Neque enim adeò elegans & iucun-

In viâ ad Deū omnia trāseunda, nec vllibi subsistē stendum

iucunda via est, in qua sit commorandum, nec in ipsa etiam Cruce tolerantiæ & priuationis nisi necessitate iubente quiescendum, sed conãdum semper atque connitendum, vt euehamur ad DEVM in summitatem spiritus. Quod dum fit, otium vix suppetit animaduertendi in se aliquod silentium & quietem, vt ignauiæ fiat locus; sed perpetuò desiderio vlterius pergendi semper proceditur, adhibito, quarundam industriarum mentalium ope, summo conatu. Verum quidem est, quòd quamdiu quis aliam attentionem non habet, quàm quærendi DEVM in spiritu, toto corde ac desiderio ad eum adspirando, prout multa interim contingere possunt, quæ eius interiora, statum ac dispositionem concernunt, ita vt iam deuotione ardeat, mox tepóre ac ariditate marcescat; nunc pace exultet, breui cũ intestino hoste bella gerat, nesciatq; tot vicissitudinibus agitatus ac penè fractus suimet rationem reddere, nisi vt discat cuiuis casui se resignare; verum inquam est, quòd hæc talia possent appellari operationes DEI secretæ, de quibus nihil nobis est perspectum cognitumq;

gnitumque, nisi quòd credamus, omnia in nostrum bonum fieri, & in purificationem nostri interioris. Sed operationes superiores spiritus non sine nostrâ cooperatione, consensu & attentione fiunt.

Conclusio huius discursus.

Vnde concludo, in classem primi & inferioris huius status remittendos esse permultos, qui tamen res statuũ sublimiorum ad se pertinere arbitrantur, propter aliquas species & cõceptiones, quas ipsi fortè proprio Marte inuenerunt; propter etiam diuturnitatẽ temporis, quod exercitijs suis impẽderunt: sed qui rem multò laudabiliorem, sibique ipsis longè vtiliorem essent facturi, si restituti huic primo statui, (in quo reuera sunt censendi) omni studio conarẽtur seipsos paruos & humiles reddere, ac seriò sese in opinione ac æstimatione sua perquam adhuc abesse reputarent, quippe qui adhuc in inferiori natura sint constituti, DEO sursum existente, in summitate spiritûs, & propterea desiderium & affectionem suam erga illum omni simplicitate excitarent, minimè arbitrantes, quòd simplicia hæc media, hæ deuotiones vel internæ,

ternæ induſtriæ, omneſque pij conatus aliquod eis detrimentum, aliquamúe iacturam ſint illaturi, modò myſticum & negatiuum modum procedendi, & DEVM in ſeipſis concipiendi ſibi perquam habeant commendatum. Nam in caſſum laborant, qui non niſi proprijs ſpeculationibus inſtructi, de ſublimioribus ſtatibus ideas ſibi fingũt, putantque ſe talia ex ſeipſis propria induſtria exercere poſſe, quia à redundantiâ progreſſus, qui in hoc primo ſtatu fieri ſolet, prouenit, quod quis gratiæ diuinæ in ſe locum concedens, de ſtatibus ſequentibus nonnihil intelligere poſſit. Ita vt firmiſſimè ſit tenendum, quòd niſi manifeſtiſſimum ac ipsâ meridianâ luce clarius ipſe ſibi teſtimoniũ dare poſſit, quòd ad experientiam operationum ſpiritûs ſuperioris aſcenderit, & ſtatum tam motionũ amoris in parte affectiuâ, quàm diuinæ præſentiæ in ſpiritu, reuera, & omni excluſâ dubitatione attigerit, per tranſcenſum ſui ipſius totius in regione planè Deiformi; ſed ſi vltrò fateri velit id, quod verè ita ſe habet, ſe nondum niſi aliquam vmbram eorum, ideam ſiue conceptum natu-

naturali sua industria esse assecutum, cùm adhuc ignoret, quid sit, transcendisse seipsum in spiritu diuino; vt inquam firmissimè teneat, se primo huic gradui adhuc esse annumerandum, nec vsurpandam sibi obseruationem præceptorum, quæ superiorum sublimiorumque statuum vsui sunt scripta; hinc enim alium fructum non percipiet, quàm vt totum suum internum statum tristi confusione perturbet.

Et hæc quidem ita tam multis dixerim, pro ijs tantùm, qui imaginariam, idealem vel speculatiuam sectatur spiritualitatem; qui enim in veritate ambulant, per experimentalem scilicet & realem, quam docet diuinus tractus introuersionem, vtpote qui eos ad talem sui collectionem in pacificâ fruitione amoris, quietis, & pacis vocat: hi, quod cum hisce iam dictis rebus se torqueant non est necesse; sed nec ipsi quoque de tali suâ fruitiuâ quiete dubitant, cum palpabiliter nimis, optimum quid esse experiantur, donec ad alterius generis silentium, siue operationis propriæ priuationem, de qua postea cap. 8. agemus, perueniant.

Sunt

Sunt & alij, ijque numero nō pauci, qui felici quidem initio facto, in incepto tamen fideliter non perseuerarunt, sed persecutione viæ suæ ad DEVM interruptâ, & ita primo feruore exstincto, deuotio quoque eorum pariter deferbuit, cogitationes hinc inde dispersæ, cor multiplicatum, vera introuersio euanuit, & (vt videtur) ianua requirendis diuinis istis semitis eis occlusa. Hoc ipsum est quod verissimè accidere solet, vt primo ardore neglecto, ac cursu harum viarum incito; non ita eum facilè nec denuò auspicari, nec ad proprium suum interius accessum impetrare possint. Ideoque summâ diligentiâ cauendum, ne primi nostri conatus elangueant, néue primæ affluētiæ DEI, quibus initia plerumque fortunare solet, vel parui æstimentur, vel negligantur, quia aliàs non sine stupore postea experiemur, idquod tam facilè nobis antè fuerat, tantâ iam molestiâ ac difficultate à nobis resumi. Nam rectâ viâ amissâ, perditur etiam deuotio, simplicitas, & tam interna, quàm externa flexibilitas, quę ad profectum omninò requiritur, & si benè fuisset collata, pluri mum

Pro inconstantibus & negligentibus.

mum viæ iam foret confectum, antequã infelix illa subtractio intercidisset. A vera & reali introuersione quod proficiscatur oportet, est, vt natura corrupta cum omni suâ sequelâ mundanâ, ornata vanitate, & proprio commodo, emoriatur ac euanescat, nec resurgat, nisi gratiâ & lumine interiori exornata, vt sic conuersetur inposterum in domo DEI, non ampliùs ad ductum proprij spiritûs naturæ, sed ad dictamen murationis, ab interiori exercitio acquisitæ, quod naturam non corrumpit, sed eam perficit, gratia & meliori cognitione ornans, ac sedationem turbulentorum motuum atque perturbationũ ei concilians. Hinc magna sæpe stupiditas eorum animos, qui hanc viam ingrediuntur, occupare solet, quamuis alioqui copiosa sapientiæ humanæ supellectile instructi, quia attentio ad veram introuersionem, prudẽtiam terrenam, in ipsis extinguit, vt paullatim aliâ viâ (si institutum prosequantur) multò nobiliori atque excellẽtiori eos eleuet, ornamenta gratiæ ac prudentiæ diuinę, loco naturalis sui esse, ac humanæ sollertiæ eis conferendo. Ille verò, qui

Effectus introuersionis.

Stupiditas spiritualis vnde proueniat.

qui præproperè se extrouertit, & antequam interior profectus permittat, ad naturæ quandam libertatem reuertitur; ille inquam extra orbitam rectę vię prolabetur, non nisi incredibili labore eò rediturus. Qui igitur hoc modo impegerunt, necesse erit, vt omni contentione aliquem ardorem ac desiderium aliquod requirendi DEVM in spiritu recuperare laborent, ac deinde ad exercitia vnius vel alterius modi meditationum suprà descriptarum alacres accedant, prout sua quemque capacitas est doctura. Neque enim Eleuationis ad DEVM condendæ absque aliquo fundamento suppressionis vel exstirpationis friuolarum cogitationum, aliud medium est: quamquam interdum ad DEVM aspirare, & cum eo immediatè in suo interiori agere, plurimum quoque conducat ad acquirendum humorem mentalem, immanentem, & internas species præsentiæ diuinæ mysticæ, loco crassiorum imaginationum externarum, modò diligens opera detur, ne aliud inconueniens incurratur, afflictio nimirum & debilitatio capitis, vel etiam valetudinis destructio, sub spe-

Caput indiscretione aliquâ lædi nō debet

cie violentiæ, maioris profectûs ergo, sibi inferendæ. Quantumcunque enim desiderium nostrum magnum esse possit, necesse est illud Diuinæ voluntati sit subordinatum, acquiescatque paullatim sequi, prout DEVS gratiam suam erit largiturus. Tunc igitur, cùm in illis inferioribus statibus, in extrouersione, defectu auxilij, & præuentionis gratiæ, spiritus iacet, imaginatio viget, corporalis status dominatur, potentiæ superiores viribus & neruis destitutæ, & status animæ consequenter depressus, quies orationis permolesta, & phātasiæ nimiùm importunæ sunt, remedium huic malo omni studio quærendum est, non quidem interius suum desiderium abijciendo, sed adhibendo id, quod vel maximè eius continuationem promouere potest, ac nihilominus corpori spirituique reficiendo conducit, absque imprudentiori aliquâ violentiâ & coactione animi, vnde & anxia quædam melancholia, & infirmitas capitis, & sui ipsius destructio solent enasci. Verùm cùm natura vbique seipsam quęrat, summa inprimis cura adhibenda est, ne quis ad exteriora plus æquo se diffun-

diffundat sub huius solatij prætextu; deinde ne animum ad res alienas conuertant, quæ ad se nihil spectant; & ante omnia vt cũ imperfectionibus proximi nil quicquam sibi negotij esse velit: quæ admonitiones cùm passim non multum obseruari soleant, & nihilominus necessitas diminuendi rigorem introuersionis plurimos occupet, hinc accidit vt Religiones, quarum felix & ardens erat initium, pauliatim à puritate ac feruore suo recedant. Ideoq; necessitas postulat, vt quis tunc saltem actus virtutis sibi habeat quàm cõmendatissimos, vt, etiamsi internus status aliquo modo sit occlusus, ita quòd internis occupationibus DEO seruire non possit, minimùm tamen exterioribus occasionibus virtutũ fidelem operam nauet, vt inquam suo quisque officio non desit, sed potiùs tantò directiorem attentionem eò habeat. Atque ob hanc fortasse caussam DEVS permittit interius aliquamdiu esse obstructum, vt acquisitioni virtutum eò maiori studio incumbatur, & propterea tunc in hoc ipso fidelitas consistat, quantum enim ad res interiores, exceptâ aliquâ dispositione,

Vnde proueniat dissolutio multarũ Religionum.

Quid in nostro exercitio

deuotionis adferamus. sitione, quam fideli nostrâ attentione in nosipsos, & expergefactione siue excitatione affectionum per exercitia aliqua immeditatè cũ DEO, conferre possumus, eæ omnes, & quicquid in oratione habemus, proueniunt à DEO: Et si post diligentissimam, quam præstare potuimus, operam, largior benedictionis imber non sequatur, vt remedium humanum huic rei adferatur, medium nullum est, quia totum dependet à voluntate DEI; & quanto propterea maior perturbatio animos nostros insidebit, tanto nobis cum peius agetur. Nil enim nisi confusio rerum omnium sequetur; ac præstat se humiliare sub potenti manu DEI, & interim exercitio virtutũ, ac moderationi passionum incumbere, totali extrouersione minimè se diffundẽdo. Quia tamẽ alia quædam similis est priuatio, ariditas, & carentia deuotionis, immò & omnis propriæ operationis, quæ est dispositio animæ ad gradus vlteriores: Ideò videantur ea quæ postea circa finem cap. 8. dicemus. Et simul notetur quantum intersit, in manus prudentis & benè versati Directoris incidere qui congruenter per has semi-

Videantur ea quæ ad idẽ propositum dicẽtur infra in fine c. 16

semitas cōducere possit, atq; discernere quodnā priuationis genus sit hoc, & ad quē animę gradū talis carētia pertinere possit. Sic.n.animæ multæ iuuari possunt, quę alioqui in tenebrosis illis priuationib.incidentes: dum neminem intelligentē reperiunt facilè inibi hærere, & retardari, (ne dicā perire) solent.

Alij quoq; inueniuntur, qui sub specie deuotionis sensibilis negligendæ, negligunt pariter Recollectionem, ac diligentem occasionum extrouertentium abstractionem, apud se reputantes, quod cū illæ suauitates & dulcedines nullo pretio sint habendæ, ita quoque frustra in earū acquisitione laborari admonitiones, quę huius subiecti gratiâ fieri solent, sic malè intelligendo, nō considerātes, quòd licèt sensibilitas sit negligenda, sub eâ tamen esse adhuc adiunctos actus interiores, quos anima sensibili hoc auxilio adiuta, cum Deo perficiat, qui actus propè animam permanentes incrementum accipiunt, ac bonos habitus producunt. Hic igitur sensus est, quòd hæc sensibilitas non ita firmiter animo sit infigenda, vt in eâ conquiescatur; sed quòd inprimis for-

Quomodo sit intelligendū, quòd anima deuotionē sensibilē negligere debeat.

t s atque promptissima voluntas DEO seruiendi sit comparanda, atque maximi faciẽda. Quòd si postea DEVS eiusmodi auxilium voluerit impertiri, in eo impetrãdo impendendum omne est, quod in potestate nostrâ erit, imò ipsâ etiã abstractione ac recollectione sensuum in partẽ laboris vocatâ, non quidem vt ei proprietate aliquâ adhæreatur, sed vt velut donum DEI pernecessarium agnoscatur, quod affectionem ad res diuinas, & terrestrium obliuionem infundat. Alioqui negligere deuotionem propter sensibilitatem adiunctam, perinde foret, atq; bona grana in ventum proijcere, propter paleã commistam & inhærentem.

Non quidem negauerim, sensibilem eiusmodi deuotionem cum amore proprio magnam habere sympthiam, & facilimè accidere, vt spiritualibus istis bellarijs clàm alatur, foueatur, conseruetur; rursum verò certum est, animam hoc subsidio mirum in modum induci ac prouchi ad percurrendum illas vias spiritûs, cùm tantò alacriùs ab omni re terrenâ se expediat, quæ vt magni momenti res est, ita ab omnibus super omnia

nia meritò desideranda. Quamobrem imperfectio isti⁹ deuotionis facilè poterit compensari, quando anima, quæ eâ vtitur, ansam inde arripit profundiùs se humiliandi, statuitque apud se nulla media præterire, quæ adiumento sibi esse possint, vt eleuetur ad DEVM; reputans quod quāuis aliæ generosiores animæ hanc viam non insistant, se tamen nondum in circulum ingerere velle tam magnorum atque fortiū Herôum, in hac viâ spirituali emetiendâ. Hoc ideo dico, non quod Amorem sensibilē in hac via affectiua promouere, vel fouere velim, iā enim pridē diximꝰ de quo Amore nobis esset sermo. Sed ideo dico, cùm non ignorē, quantos fructus sensibilia ista auxilia diuina animæ incipiēti, quæ per has semitas incedere desiderat apportent, vt modū diuinæ operationis humano conatu nostro lōgè superiorem, nobisq; intimiorem, cognoscat, addiscatque quomodo potiores tādem partes illa in nobis obtinere debeat, sibi, sub concinno ordini suo omnem nostrum humanum conatum subijciendo. Et, quòd non obstante hac sensibilitate, non impedietur ani-

ma, quin facile intelligere possit, nullatenus in eâ esse immorãdum, sed melioris boni caussâ, eâ saltem aliquãtisper vtendum, infinitis modis DEVM ipsum, & veram essentialem deuotionem, maioris semper faciendo.

Pro ijs, qui Negationẽ d. rectè exercent

Supersunt adhuc alij, qui, dum audiunt procedendum esse in via hac per negationem, alienationem, abstractionem, mortem ac spoliationẽ omnium rerum, non tantùm omnium appetituum terrenorum, & affectionum mundanarum, sed etiam omnium imaginationum, speculationum, discursuum, & propriarum operationum: ab eiusmodi rerum abstractione & alienatione, petunt formantque exercitium suum directum & obiectiuũ, nec aliud faciunt, quàm quòd negent & abstrahant se ab omni cogitatione vel imaginatione, quæ eorũ animæ obijci possit. Verùm isti non intelligunt, quòd omnis eiusmodi mors & denudatio, non sit nisi adiunctum & concomitans, via & mediũ alterius substantialis & principalis, quæ sola Exercitium directum, & primę intentionis esse debet, exercitium nempè immediatum cum DEO, per

per eleuationẽ trium superiorum potentiarum, iuxta tres virtutes Theologicas, simplicis nempè Fidei, Spei, & Amoris, modo suprà explicato capite præcedenti, vnde manifestum est, quòd Monito VI. non absque ratione dixerim, nõ satis esse bona agere, nisi etiam benè, id est, nisi conueniens modus discernatur. Nam ecce salutari hac doctrinâ alienationis & negationis rerum omnium sinistre intellectâ; (dum inde principale ac directum exercitium suum formant) in quem incredibilem laborem & statum planè molestum seipsos isti precipitent! irrito tamẽ prorsus conatu, quia labor ille à sinistro iudicio originem ducit, faciendo actiuè ac directo modo id, quod non nisi insensibiliter, indirectè, & per transitum ad aliam rem meliorem fieri debebat. Ideoque sequenti capite persequemur primùm descriptionem Eleuationis, modo quàm fieri poterit absolutissimo, tractaturi pòst in proximè sequenti, de hac negatione & abstractione, quæ cum dictâ pariter eleuatione necessariò concurrat oportet.

PROSECVTIO STATVS ELEuationis præcedentis, cum ampliore declaratione graduum & ſcalarum huius Aſcenſus cæleſtis.

CAPVT VI.

Ratio, cur hic gradus Eleuationis fuſiùs ſit explicatus quã reliqui præcedẽtes.



LONGIOR mora, quæ in hoc Eleuationis gradu trahitur, antequam, montis faſtigium conſcendatur, res eſt multò moleſtior, difficilior, & perplexior, quam vt ita leuiter poſſit tranſiri, abſque plurimarum adhuc rerum præuiâ admonitione, eorũ gratia, qui in requirendo amore ac ſpiritu DEI, ſaluberrimo fructu ſemet exercere deſiderant. Nam diuerſi ſunt diſtructus & anguſtiæ: ac difficultates nõ paucæ, quæ frequens eis deſiderium reſolutionis multorum dubiorum inijciunt, vt cognoſcant, vtrùm viam rectam teneant, quia tenebris ariditatis ac tepóris ingruentibus, aliquando eis in mentem venire ſolet, quòd hanc viã proſequi non ſit niſi tempus inutili fatiga-

tigatione consumere, actum agere, in incertum currere, denique periculo se exponere, ne cùm viâ alijs minùs tritâ vtātur, per inhospita tesqua semet eant perditum. Eos igitur omni, quâ possibile erit, ope promouere, ac intellectũ eorum, quę sese offerent, faciliorem illis reddere cupiens, sequentia Monita adiungere adhuc visum fuit.

Primò quidem Notandum venit, diligenter esse animaduertendum, vt visus & simplex aspectus vel intuitus, cuius in hac eleuatione mentio fit, non crassiori modo, sed subtili & congruo intelligatur & in praxin deducatur, nec per eum accipiatur quædã fortasse imaginatio & res formata: nihil enim aliud est, quàm exuberantia atque redundantia boni desiderij erga DEVM, & actualis quædam tendentia partis affectuosæ versus apicem mentis, præsupponens scilicet volũtatem in se recollectam, desiderantem, & quęrentem, & quæ ob hanc rem oculum suum & attẽtionem simplicem, actualiter habeat apertam atque vigilãtem, vt faciem ac præsentiam eius in fastigio spiritûs inueniat, omnia obstacula, quę eam ab il- *I. Monitum, concernens visũ & requisitionem spiritus.*

lo intercludere ac separare possent, perrumpendo atq; penetrando. Ideoq; primum, quod obseruationem in his initijs requirit, est, vt affectio interuentione aspirationum, vel aliarum mentalium industriarum, in secretissimo cordis sui penetrali excitetur: & is qui tunc eiusmodi recollectionem actualem, aut motum sinceræ affectionis in DEVM, visus, siue attentio simplex ad verticem spiritûs sequitur, est initium negotiationis immanentis, & veræ vitæ mysticæ, in quâ tantum solet profici in his initijs, quantum quis diligentiæ atque studij in excitandâ, animandâ, & viuificandâ volũtate per eiusmodi motũs affectionum impendit. *In charitate* Ephes. 3. *radicati & fundati*, ait Apostolus, *vt poßitis comprehendere cum omnibus Sanctis, quæ sit latitudo, & longitudo, & sublimitas & profundum* &c.

2. 2. q. 180. ar. 7. ad primum. Et S. Thomas, *Vita contemplatiua licèt essentialiter consistat in intellectu, principium tamen habet in affectu, inquantum videlicet aliquis ex charitate ad* DEI *contemplationem incitatur.* Et art. I. eiusdem Quæstionis: *Vita*

contem-

contemplatiua, quãtum ad ipsam essentiam actionis, pertinet ad intellectum: quantum autem ad id quod mouet ad exercendam talem operationem, pertinet ad voluntatem.

Secundò notandum, quòd hæc Eleuatio affectuosa debeat esse primum & principale exercitium animæ, quoad eius interius, ita vt aliud nullũ habeat, quo spiritus eius occupetur, atque hoc ipsum desiderij & amoris erga DEVM, omnem aliam curam, cogitationem ac sollicitudinem seponens ac in naturâ inferiori relinquens, hocque vnum sedulò agens atque satagens, vt superiores potentias modo maximè pacifico & tranquillo, actibus trium virtutũ Theologicarum, vestiat, ornet, impleat, sicut suprà dictum, ita vt spes & confidentia in DEVM, obtinendi ab eius bonitate possessionem diuini sui spiritûs, eam perpetuò suspensam teneat, & ab omni re terrenâ, vel aliâ affectione humanâ planè alienatam. Quod monitũ, quamuis primâ facie simplex, cõtinet tamen in se infinitam penè molem secretorum. Sicut enim materia & subiectum

II. Monitũ, quòd Eleuatio affectuosa debeat esse principale & directũ exercitiũ animæ, omnes verò aliæ res per comitantiam & effectum.

totius negotiationis mysticæ hîc consistit, ita quoque intelligentiæ omnium aliorum præceptorum & monitorum, hoc est fundamentum. Nam cùm hoc sit fundamentale & substantiale exercitium animæ, reliquũ omne quod interuenit & concurrit, non est nisi accidentale, adiunctum, & quod ad illud refertur, vel tãquam via, & bonum aliquod medium, vel vt redundantia siue effectus, *&c.* ita vt nullo modo quis se multiplicare debeat in suis obiectis, neque in cogitationem vel exercitium directum assumere siue attrahere quascumque res alias, de quibus hâc totâ viâ sermo est. DEVS enim, solus, & vnicus scopus animæ sit oportet, qui omnia eius desideria, omnesque intentiones perficit & consummat: debetque homo omnium aliarum rerum medijs vti, inquantum subsidio sunt, seseq; referant ad istud, quod est primum & maximè omnium principale. Hinc minimè sequitur, quòd quæcunq; res aliæ, & semper, sint impedimento, & quòd absque illâ remorâ omnis memoria mysteriorum nostræ fidei excludenda sit atque negligenda. Nam tempore priuationis con-

Quòd durante hoc gradu eleuationis alij adhuc actus interni suo tempore fieri possint.

concursus diuini; ingruentibus tenebris interioribus, sæuientibus vndique procellis importunarum perturbationum, malarum imaginationum, & similium turbarum, non certè negligenda sunt adminicula omniũ eorum mediorum, quæ opitulari nobis poterunt in coërcendis ac refrænandis corruptæ naturæ habenis. Mortis, Iudicij, ac Inferni memoria ipsa frequenter ac pernecessariò refricanda erit; vt malo obuietur: sed, quod hoc loco imus inculcatum, & in quo, vt cognoscatur, plurimum est situm, hoc solũ est, vt si finem vel tandem consequi, & ad DEVM peruenire cupiamus, necesse sit, vt primum & principale nostrum exercitium, consistat ac vertatur in eleuatione trãquillâ, serenâ, hilari, & affectuosâ erga DEVM adsciscendâ, referendo ad eam omne studium mortificationis, omnẽ praxin virtutum, & quicquid deniq; à nobis boni fit; omni aliarum rerum multiplicitate se referente ad istam vnitatem requisitionis spiritus diuini.

III. Monitum, qualis debeat esse ista eleuatio.

Tertiò, Multum quoque refert obseruare modum, qui ibi tenendus: vt nimirum, cùm non nisi simplicem illam cogita-

gitationem & sollicitudinem habeamus in DEVM, ad eũ toto corde amandum, eique omni virium conatu complacendum, eleuemur quoque ad eum omni gaudio, hilaritate, & alacritate cordis, quoad intellectum, neque torpori, tristitiæ, aut melancholiæ vllum locum demus. Hæc enim animi iucunditas, ac serenitas interior, euehit & attollit nos vsque ad potentias superiores, cùm è contrario mœror & tristitia nos deijciant ac deprimant in naturam inferiorem.

IV. Monitum tres esse modos aspirationum vsum sibi applicandi.

Quartò, In praxi & vsu aspirationũ, vel aliorum verborũ planè interiorum & mentalium tres modi benè discernendi veniunt. 1. Potest se aliquando homo facilitate & consensu interiori immediatè ad DEVM conferre, loquendo & aspirando ad eum in secundâ personâ. 2. Quando interius nõ adeò aptè dispositum est, vt directè possit adiri DEVS, quem minimè sentit præsentẽ, tunc agi potest de DEO in tertiâ personâ, sicut hîc: *Benedictus DOMINUS* DEVS *Israel. Magnificat anima mea DOMINUM.* Non dicebant, *Benedico te DOMINE. Magnifico te*, &c. Verùm tã-

quam

quam de tertiò quodam absente loquẽtes, hoc eũ modo collaudabant. 3. Quãdo quis minùs adhuc aptus ad eleuandum se ad DEVM, à verâ stabilitate & constantiâ in suâ recollectione, longè se remotum sentit, adeò vt ægre possit contineri, vt saltem sibi ipsi sit præsens, tunc cũ Psalmistâ poterit sese excitare, & animam suã alloqui, vel arguẽdo, vel animãdo: *Quare tristis es anima mea? spera in* DEO. *Benedic anima mea DOminum. Lauda anima mea Dominũ* &c.

Et hac distinctione procedendi, statui ac dispositioni, in quâ se homo hic & nunc positum cernit, conuenienti, incredibile est, quantum ei cedat de labore, quem alioqui subiturus erat, si semper vi quadam indifferenter ageret ac laboraret, in DEO immediatè, & tanquam præsenti, directè compellando.

V. Monitũ. Quomodo intelligendũ, quòd Deus sit in summitate spiritus, & in cẽtro vel fundo animæ.

Quintò, Intelligendum etiam probè est, quomodo DEVS dicatur in vertice, in culmine aut fastigio spiritus, & subinde in centro & fundo animæ, cum videantur quasi duæ contrariæ imaginationes, quæ animæ, horum loquendi modorum ignaræ, confusionẽ non nunquam parere possunt. Tenẽdum igitur, quòd

quòd hęc via ad DEVM formam habeat eleuationis, ascensûs, & culminis siue fastigij, intellectûs caussâ, qui DEVM, velut infinitum quoddam esse supra seipsum concipit, & ita quando vult operari, eleuat se ad verticem siue culmen sphæræ & capacitatis suæ, imò etiam supra eam, concipiens ita DEVM esse supra omnem suum intellectum: sed in centro & fundo animæ dicitur DEVS habitare, ratione modi, quo homo eum possidet ac complectitur in intimo suæ voluntatis per fruitiuũ amorem. Hinc tres formæ aut modi interiores, quibus in hoc itinere ad DEVM insistim⁹, sunt obseruandi. 1. Forma vel modus, conueniens intellectui, qui per eleuationem procedit. 2. Modus, qui est secundùm voluntatem, procedens per collectionem sui-ipsius totius, in centro siue fundo sui interioris. Et 3. forma, siue modus, qui amborum præcedentium priuatio est, tum cùm ne vna quidem ex duabus istis potentijs vim & vigorem suum exercet, sed potius homo ad inferiorem partem relapsus est, vbi fortè Natura in dominium prona, perniciosos suos effectus exserere studet: vel etiam,

Tres notabiles differentia, quas anima sentit in se.

iam, licet quis nihil horum in se sentiat, quocunque tamen studio, & quantâuis industriâ, nulla potest exprimi atque obtineri operatio efficax, medio dictarum superiorum potentiarum, sed necesse est, vt hæc extrouersio, siue priuatio æquo animo feratur absque vllo perturbationis motu, occupando se interim in quærendis quibusuis medijs, quibus intra limites sui-ipsius assiduè contineatur. Quæ vicissitudo, atq; priuatio omnibus statibus persamiliaris esse solet, postquam vna vel altera duarum istarum potentiarũ in vigore fuit, vel aliquam à DEO influentiam accepit, nec deinde nisi vmbra, vel vestigiũ, aut species illius, quod antea fiebat, reliqua manet: in hac quoque priuatione accidere solet, quòd homo quasi nil quicquam intelligat eorum, quæ DEVS operatur, quamdiu ipsa manet; & tum nihilominus fit præparatio ad nouas eleuationes, quæ postea sequuntur, DEO animam hisce priuationibus disponente, vt nouas illas infusiones gratiæ condigno modo recipiat. Et qui in obseruatione & cognitione rei istius minus benè sunt versati, magna sępe obstacula

DEO

DEO obijciunt, quò minus eiuſmodi priuationibus poſſit aſſequi id quod intendit. Cùm enim conuenientẽ gratiæ locum præbere neſciant, conturbant ſeipſos infinito ſcrupulorum prętextu, ſiue occaſionum, quibus illam priuationem ſibi conciliarunt; id quod ſæpenumero magnam confuſionem atque retardationem in progreſſu adferre ſolet. Alij perturbationem ideò incurrunt, quòd aliquoties nil ſentiant in ſeipſis, quàm animum deiectum, triſtitiam, męrorem, frigus ad deuotionem, & ſexcentas ſimiles confuſiones animi, cum tentatione quoque cogitandi, quòd quicquid hactenus de DEO perceperint, aliud nil fuerit, quàm inanis opinio, phantaſia, imaginatio, denique reipsâ nihil, & quòd hac viâ labor eorum optatum finem non ſit ſortiturus. In hanc labirynthum qui inciderit, neceſſe eſt ſeipſum magno animo & confidentiâ in DEVM erigat, & pacem atque tranquillitatem ſpiritûs ſummâ fidelitate ac induſtriâ conſeruare aſſiduè laboret, vt non tantùm promptiſſimâ facilitate, vbi tempeſtates illę deſęuierint, ad Eleuationem ſuam redire poſſit,

ſit, verùm etiam, ne per denſam illam caliginem inquietudinis & perturbationum, à rectâ ſemitâ aberrans, in deuia præceps agatur.

Sextò, Quamuis verò toto hoc ſtatu continuus nobis ſit ſermo de eleuatione ſpiritûs ad DEVM, non tamẽ eâ pertinaciâ illi adhærendum eſt, quò minùs nonnullas etiam alias internas diſpoſitiones amplectamur, quando ita res feret, vel quãdo eleuationis nullus erit vſus. Quoties enim continget, vt quis, interiori ſuæ diſpoſitioni præſenti ſe conformaturus, loco huiuſmodi eleuationis deprimẽdus ſit in profundam quandã voraginẽ annihilationis & exinanitionis ſui-ipſius ſub diuino ſpiritu? Deinde ſicut quilibet gradus, quem anima in ſuo interiori ꝓmouet, è profundo, ſiue inferiori, & ex alto, ſiue ſpiritu compoſitus eſt, ita planè, vt quando verſatur in inferiori, erigat ſe versùs altum per viſum & attentionẽ, ita cùm in alto, & tanquam in ſpiritu secũdùm illum gradum eſt conſtituta, non poteſt eodem modo procedere per eleuationem, ſed potiùs per collectionem centralem, iuxta modũ fruitionis & amoris,

VI. Monitũ, quòd profunda animæ demiſſio, ſeruiat quoque eius eleuationi.

ris,quem DEVS ibi operatur;nonnunquam etiam per ſuauẽ ac humilem demiſſionem ſpiritûs,ſub experientia diuinæ infuſionis: & ita nunquam non diuerſi modi inueniuntur, qui poſſint prodeſſe. Quòd ſi omnes diſtinctiones iſtæ poſſint in interiori obſeruari, & ſuam quiſque cooperationem ad normam iſtius obſeruationis vel cognitionis dirigat,quãtum ab hoc ſtudio emolumenti ſit percepturus, reipsâ experietur. Impoſſibile enim dictu, quantum ſæpe turbationum & cõfuſionum pariat nõ intellectus ſtatus, in quo quis verſatur,& ignorantia eius, quod ſit in ſeipſo, vel quod genus ſtatus & operationis ſit illud, cùm tot diuerſi modi, tot viciſſitudines ac diſpoſitiones differentes occurrant.

VII. Monitum. Quòd tempore tenebrarum & priuationis æquè proficiatur, ac facilis & amabilis eleuationis

Septimò, Poſt hæc omnia, quæ ſuprà ſunt dicta, inculcanda animæ hæc veritas eſt, à quâ profectus eius inprimis dependet, vt nimirum firmiter credat, ac planiſſimè ſibi perſuadeat, quòd non ſolùm actibus volũtatis & intellectus, quos interdũ inſigni facilitate,& amore ardenti inclinatione perficit, ſed etiam priuatione diuini cõcurſus, quando ni-

do nihil efficere poteſt, quod ſuo iudicio vigorem atque efficaciam aliquam habeat, plurimùm proficiat. Hac enim occaſione DEVS omne genus virtutum in interiori huius animæ peregrino modo exercet (vnde haud dubiè effectus quoque in ſimilibus occaſionibus in exterius prodibunt) eamq; probat, patientiâ, humilitate, & ſubmiſſione totali ſub diuino ſuo beneplacito, nonnunquam etiam clamorem, ſuſpiria, ac deſideria eius ſurdis quaſi auribus præterit, dum ſat multo tempore nil ei reſpondet, vt conſtantiam ac perſeuerantiam illius in ſancto ſuo amore exploratiorem reddat, cùm inprimis gratas habeat tot ſollicitudines, curas, & anxietates, quibus in amoris iſtius requiſitione premitur & fatigatur; Ita vt priuſquam eiuſmodi anima id cõſequatur, quod deſiderat, permultos actus reſignationis erga diuinam voluntatem producat ſit opus, vt præſtitutum à DEO tempus præſtoletur; multos actus humillimæ ſubmiſſionis & exinanitionis ſui ipſius ſub diuino beneplacito, contra quemuis motum indignationis, corde nonnunquam efferueſcen-

Per omnium virtutum actus itur, priusquam perueniatur ad Deum.

feruescente ac murmurante, quòd tam longi temporis laborem non nisi diuturniore subinde morâ videat compensari; complures actus patientiæ & magnanimitatis, contra impatientiam & desperationem, quæ nonnunquam ad lituos & arma conclamat, cùm nihil eorum, quæ iamdudum tot votis expetuntur, sequi ac dari cernat. Idem de cæteris quoque virtutibus esto dictum, quæ necessariò frequentissimâ praxi debebunt exerceri, antequam ad præfixum scopum pertingatur. Hisce verò molestiarum spinis atque salebris pręparat DEVS animam ad diuinas suas gratias, illuminationes & fruitiones, exiguas eius vires hoc medio ei ostendens, & quomodo à solo DEO, non verò ab eius ingenio & industriâ propriâ, totum proficisci ac exspectari debeat. Ideoque quoties iucunditate aliquâ diuinæ operationis discedente, priuatione & paupertate ista obrui & oppugnari se videt, hac subitò cogitatione se soletur ac erigat oportet, hanc esse nouam pręparationem ad alias longè dulciores ac sublimiores operationes, atq; ideo tanti eam faciat, ac fruitionē præceden-

cedentem: & consequenter si non magis abundantiæ gratiæ, quàm priuationi adhæserit, incipiet perdiscere rigorosum statum Priuationis infrà descriptum, offerens DEO quamprimùm id operandi locum. Quæ doctrina non solùm traditur, ad animam suauiter fallendam, & quasi perfunctoriè; verùm res est certissima, quòd molestiores eiusmodi operationes, maximi semper fructus comitentur, & qui longè optimos effectus producant, ita vt si anima in eiusmodi occasionibus impedire non possit, quin commoueatur ac inquietetur, putetque de rei summâ iam esse conclamatum, non nisi in confusionum intricatissimarum pelagus se præcipitabit.

Octauò, Non ignorandum, extremo desiderio exoptandam esse inhabitationem Spiritûs sancti in corde nostro vt nos possidendo, ipse sit qui ita suauiter nos moueat, excitet, ac inclinet, vt velimus, quæramus, & desideremus DEVM in summitate mentis nostræ. Neque enim hæc nostra propria & naturalia desideria sunt, quæ mereantur exaudiri à DEO; sed illa sola sunt digna,

VIII. Monitum, cõcernẽs radicem nostrorũ desiderio rũ, quæ debet esse Spiritus sanctus, qui nos moueat.

gna, quæ admittantur in conspectum diuinæ præsentiæ, quæ ab hoc diuino spiritu proficiscuntur. Quamobrem nō est vt commoueamur, si non tam citò ad prima nostra desideria à DEO exaudiamur. Etsi enim, prout de eorum feruore nobis promittim⁹, arbitremur nos planè sincero ardore adspirare ad bonum præstitum, reuera tamen, & prout interiora status nostri constituta sunt, maximâ parte non sunt nisi quidam impetus, naturales, quo initiò ita incitamur ac propellimur ad inuestigandas res diuinas, potiùs quàm verum ac sincerum desideriū, quod Spiritus sanctus in nobis & per nos operetur. Differentia autem, horum desideriorum, vtrùm à naturali impetu, an verè à Spiritu sancto oriantur, hęc est, quòd naturalia sint violenta, inquieta, impatientiæ, & frequenter turbationum plena: sed vera & legitima, quæ Spiritus sanctus instillat, sunt dulcia, tranquilla, & mirum in modum submissa, ac diuinæ volūtati resignata. Ideò primum, quod DEVS secretò in nobis operatur, interim, dum eius faciei & præsentiæ, eius amori ac diuinæ operationi desiderandæ

Differentia desideriorū.

dæ

dē sumus intenti, est, quòd durante morâ nos exaudiendi, primùm reformat & expurgat nostra desideria, ita vt origine & radice nostrarum intentionum emendatâ ac purificatâ, non velimus ac desideremus ampliùs propriò ac naturali nostro instinctu impulsi, sed modo diuinæ voluntati subordinato, in omni resignatione, quando, vbi & quomodo illi placuerit: quæ causa est, quòd tot mutationes nostrorum conceptuum & iudicij nostri, tot variationes ac vicissitudines in nostro statu interiori, tot labores arcanos, totque molesta loca in prosecutione huius viæ experiamur, eam nimirū ob rem, quòd DEVS à nobis exigit, vt omnia nostra, maxima licèt ac feruentissima desideria, eius diuinæ voluntati sint subiecta atque subordinata, neque cogitemus, nos ea vi aliquâ assecuturos. *Non enim est volentis neque currentis, sed miserentis Dei.* *Quare in hac viâ, obuia sint tot molesta sint.*

Deinde, mirum non est, DEVM desiderijs ac suspirijs nostris nō confestim moueri, cùm nos ipsi diuinas & sanctas eius inspirationes surdâ aure toties reiecerimus, dum videlicet, cùm *Quare tam citò nō exaudiamur.*

 ad

ad auſcultandum nos allectos tam benignè inuitaret, vt ei crederemus, eumque viâ iuſtitiæ & ſanctæ ſuæ voluntatis ſequeremur. Iam verò iure talionis ac reciproco modo, vtque experientiâ ipsâ diſcamus, quàm res acerba ac deploranda ſit, à fonte gratiæ ſemel declinaſſe, tamdiu permittit nos pulſare, orare, obſecrare, clamare, ſuſpirare, & exſpectare ad fores miſericordiæ ſuæ diuinæ, antequam ad theſaurum diuinorum ſuorum fauorum nobis acceſſum concedat.

Rurſum, quamuis deſiderijs noſtris tam citò non detur potiri, pariter mirandum non eſt. Licet enim actus quoſdam deſiderij & oblationis noſtri met erga DEVM, eius amandi ergò, operemur, quantumuis etiam cor noſtrum ei donemus, quia id toties à nobis ſibi dari exigit, nihil tamẽ adhuc ei dare poſſumus, quia noſtri reuera nondum ſumus, neq; noſ-ipſos adhuc poſſidemus. Neceſſe igitur eſt, vt priuſquam fruitionem diuini ſui ſpiritus nobis largiatur, quod in nobis præuiam collectionem omnium noſtrarum interiorũ viriũ operetur, & colligat id omne, quod ita

Quòd nõ ſimus noſtri.

ita passim est disiectum ac dispersum, vt postquam nosmetipsos antè possederimus, progredi postea, & ad eum peruenire possimus.

Non quòd simplicem intuitum animæ in DEVM per ista distractum, vel illam in suis obiectis multiplicatum eam. Nam quod nos attinet, alia cura nos stimulare non debet, quàm vt de DEO cogitemus, quî ei placere, eumq; in nostro spiritu inuenire possimus, quantùm ad nostram attentionem directam: sed hoc dico, vt simus capaces, si desideriorum nostrorum completionem tam citò nō simus obtenturi. Nam eiusmodi res verè accidunt in nobis quamdiu aliâ cogitatione, quàm perueniendi ad DEVM, non distinemur: ideò animosè gressum in hac viâ semper promoueamus, ac confortetur cor nostrum, & sustineat Dominum: tandem namque veniet, & miserebitur nostri.

Denique, Amor diuinus est, ad quem adspiramus, cui etiam omnes hos labores debemus, quicunque nobis in hac via sunt deuorandi: num igitur crudelitate caret, quòd tā malo loco nos habeat, & per spinosas istas ac molestissi-

 mas

mas ſemitas ducat? Quis verò eum iniuſtitiæ arguet; & quis dicere poterit, Mundum eſt cor meũ, & nihil ego ſum meritus? Intentio eius eſt, ad cœleſtem Sponſum nos deducere, & antequam coram diuinâ facie ſuâ nos præſentet; nouit neceſſaria ornamenta, quibus decori ac fulgidi eius pręſentiæ poſſimus offerri. Diuerſos igitur ſtatus & diſpoſitiones in nobis operatur, plurimaſq; viciſſitudines & priuationes nobis immittit: verùm eo ſolùm fine, quia bonũ noſtrum deſiderat. Credamus hoc ſaltem, & veſtigia viæ ipſius premamus, laudemus Dominum in omnibus, & ita nobiſcum permanentes in pace, quam omni ſtudio complectemur atque cuſtodiemus, inuentùri quoque tandem ſumus in nobis recollectionem pacificam in noſtro centro maximè intimo: in quâ tranquillitate quamuis plenam deſiderij noſtri fruitionem nondum ſimus conſecuti, inueniemur tamen intra ordinẽ diuini huius amoris & contenti, prout interius teſtimoniũ pacis & reſignationis fidẽ nobis faciet. Quod cùm in nobis experiemur, licèt interdum actualem aſpirationem exercere non

re non possimus, corde minimùm nostro clamemus ad eum, qui probè nos est intellecturus. Tunc enim totus interior status, mera vox est, quæ coram ipso diuinum eius Amorem inclamat.

Nonò, Quocirca, si anima, quæ multo satis tempore in horum omnium stadio percurrendo hactenus exercitata fuit, seriò cupiat intelligere, quid ei faciendum, vt hoc prętergresso statu, scopum, ad quem collimat, breui possit attingere, persuadeat sibi primùm oportet, ac firmissimè teneat, idipsum lōgè aliter, ac cogitatione, cōceptu, vel imaginatione vllâ possit vnquam assequi, euēturum: acùm enim nihil tale fuerit hactenus experta, nec eius quoque conceptum aliquem siue imaginationem animo suo subijcere poterit. Ideoque omni suo proprio iudicio, ac propriâ opinione primum abdicatâ, se totam plenissimè, integerrimè, ac irreuocabiliter, absq; vllâ reseruatione intra manus Domini conijciat ac immittat necesse est, nec cuiquam rei ampliùs se alliget aut affigat, nec quicquam vltra determinati, rei particularis, siue proprię opinionis, in suo spiritu concipiat, cogitet,

IX. Monitū, est suimet generalis abdicatio intra manus Dei quicquid superuenerit, æquo animo accipere, & ferre velle.

giret, exſpectet, ſed hac generali abdicatione ac derelictione ſui ſe totam in diuinæ diſpoſitionis fonte immergat, æquanimiter acceptura & latura id omne, quod in præſenti ſuo ſtatu offendet, nec retrò cogitet, nec inquirat, quare vel quomodo; in omnibus conquieſcens, Deumque in omnibus laudans atque côcelebrans, ambulet in omni pace ac libertate, abſque vllo curarum ſollicitudinumque ſtrepitu, vel ſenſuum multiplicitate, vt in iſtâ ſpiritus ſolitariâ quiete collocata, attendere animum poſſit ad id, quicquid in ſeipsâ porrò eſt euenturum. Nam vbi placido & æquo animo ſic omnia exceperit, mirabitur ſe conſtitutâ in quâdam abyſſo lætitiæ, hilaritatis, & motionis affectionum in ſuo centro, cùm interim fortaſſe longè alio modo ſuis ſe deſiderijs potituram cogitaret.

Poſtremũ Monitum, Quomodo aliquæ actiones debeant reformari, ne craſſiori modo fiant.

Poſtremò, quia inter alia, quæ iſtam eleuationem impedire, retardare, imò etiam perturbare poſſent, Deuotio eſt, quam quis erga quempiam Sanctorum gerit; vel etiam deſiderium & neceſſitas, orandi pro animabus in Purgatorio detentis, vel certè pro proximo; vel deni-

denique alia quæcumq; necessitas temporalis, DEO præsentanda; opera sedulò danda est, vt crassiores illi, & familiares quondam modi eiusmodi materias imaginatione metiendi reformentur, & forma huic spirituali & mysticę eleuationi cõueniens adhibeatur. Consuetudo, quâ sumus imbuti, operandi secundùm nostros sensus, & proprios conceptûs humanos, à phantasijs, speciebus, & compositionibus rerum, visûs vel auditûs, in hoc mundo, petitos, animam nostram ita firmiter obsedit, ac sensum nostrum communem adeò præoccupauit, vt tam facilè illa exuere non possimus, sed omnia, quamuis sublimia ac diuina, ad normam crassiorum nostrorum modorũ reuocare velimus; in quo fallimur, inquit S. Dionysius Areopagita. *Cùm ea, quæ supra nos sunt, more nostro accipimus, sensuumq; familiaritate & consuetudine implicamur, atque diuina cum nostris conferimus, tum decipimur, quòd diuinum abstrusumq; verbum ex eo quod apparet, persequamur,* &c. Et paulò pòst: *Hæc igitur diuina non ingenio nostro intelli-*

S. Dionys. Areopagit. de Diuinis Nomin. c. 7.

gere debemus, sed ita, vt nos toti extra nos simus &c.

Quomodo Sãcti debeant inuocari Honoraturis igitur vel inuocaturis aliquem Sanctorum postposito nostro crassiori imaginationum vsu, cogitandum nobis est, quòd ijdẽ sancti, & beati spiritus, in DEO sint absorpti, & in abdito eius faciei absconditi, quodq; propterea minimè sit opus, ab eleuatione nostrâ in DEVM nos diuertere, vt eos nobis modo aliquo crassiori ac imaginario, ac velut à DEO separatos, proponamus; sed in eleuatione nostrâ perseuerantes, firmiter credamus, eos esse in DEO, in quo desideria nostra cognoscere possint; cui fidei ac simplici apprehensioni planè acquiescamus oportet.

Quomodo cogitandũ sit de animabus Purgatorij. Similiter Animæ Purgatorij, quæ ex hoc mundo in charitate egressę, sunt in viâ ad DEVM ituræ, veruntamen ob suam impuritatem adhuc impeditæ ac detentæ, quò minùs liberè ad eum euolare possint, non sunt crassiori aliquâ imaginatione cõsiderandæ, quasi eas imaginario oculo contueremur in illo immisericordi ac intolerabili igne, nostra solummodò suffragia & auxilia implorantes; sed indubitata fide.

de tenendum, earum ſpiritum, longè feruentiori, quàm nos ipſi, diuinæ fruitionis deſiderio ardētem, extremo cruciatu torqueri, quòd inclinatio & feruor, qui ei ſecundùm amoris ſui gradū ineſt, ſit præpeditus, quin ad DEVM euehi poſſit. Cùm enim hæ animæ corpore exutæ, & ſenſibus tam externis quàm internis deſtitutæ ſint, quorum gratia leuamen atque ſolatium aliquod accipere, vel à tormētis, in quibus ſunt conſtitutæ, aliò deflectere liceat, nec tamen ad DEVM appellere adhuc poſſint, iſta detentio ac retardatio extra proprium atq; verum earum centrum, incredibile dictu, quanto eas deſiderio torqueat, vt vincula, quibus tenentur impeditæ, dirumpantur, quò ad fruitionem finis & quietis ſuæ æternæ tantò celeriùs, deportentur. Eleuantes igitur nos ipſos ad DEVM, cogitemus, ac certò ſtatuamus, illas, quas precibus ac ſuffragijs noſtris iuuare cupimus, eodem planè, imò ineffabiliter multò maiori, quàm nos ipſi, deſiderio eiuſdem nobiſcum rei flagrare, niſi quòd ſeipſas iuuare propria ope non poſſint. Quò verò a tum & ſimplices operationes

potētiarum superiorum, & à commixtione partis inferioris abstractarum experientiā perspectiores sumus habituri, eò perfectiori modo statum animarum à corpore & ab inferiori separatarum, quæ cum huius terrestris vitæ mole nobiscum adhuc trahimus, sumus comprehensuri. Attollamus igitur ac subleuemus eas nobiscum, & offeramus DEO, nosque pariter cum illis, sicut etiam proximum, consanguineos, amicos, & alios quacunque necessitudine nobis iunctos, præsentemus; duntaxat DEO, nec vtrū quid ampliùs & aliò modo restet faciendum, anxiè nos torqueamus.

Quomodo sit orā dum pro Proximo

Similem sensum & intellectum habet Monitum, de crassioribus imaginationibus super mysteria fidei nostrę vitandis, toties suprà allegatum. Nam sicut pag. 111. dictum est, hoc non agitur, vt ingens beneficium redemptionis nostræ è memoriā tollatur, vel minori pretio à nobis habeatur; sed vt huic spirituali & mysticæ eleuationi assuescamus, præcedentis crassioris modi obliti, ostenditur necesse esse, initio ab eo supersedeamus, donec anima postquam in

Quare anima persuadeatur abiectio imaginationum super sacra mysteria fidei.

in vitâ spirituali adoleuerit, & modum viuendi in DEO imbiberit, quem superior iste status illi induit, eiusmodi omnia similiter præstare, & inferioribus suis potentijs omni libertate vti possit, iuxta verum ordinem ac subordinationẽ, quàm ad superiores habent.

DE NEGATIONE, ABSTRActione, morte & abdicatione omnium rerum; quæ necessariò cum hoc gradu Eleuationis iunguntur.

CAPVT VII.



OSTQVAM, de hac mysticâ Eleuatione agentes, eam alienatione, abstractione, ac negatione omnium aliarũ rerum perficiendam esse, frequẽtem fecimus mentionem; stabilito iam principali, & totius Operis iacto fundamẽto, quod est hæc ipsa eleuatio superiorum potentiarum ad DEVM, exercitio trium virtutum Theologicarum, Fidei, Spei, & Charitatis adiuta, formâ & modo omnium præcedentiũ Monitorum;

restaret nunc hæc Negatio explicanda, vbi ostēdendum, quid in substantiâ suâ contineat; digrediendo ad sensus externos & internos, nec non ad Intellectum & potentiam discursiuam. Verùm cùm verear, ne præceptis ac discursibus hoc modo auctis, & animæ tot obiectis ad considerandum propositis, ipsa quoque nimiùm in interiori multiplicari posset, ac arbitrari, hæc omnia ad cogitatus & exercitia à se esse referēda; pręstare videtur, vt summatim ac generatim illi dicamus: Quòd nimirum, vt locum det modo mysticè procedendi, debeat mori, & velut nihil ampliùs esse, semet abnegare, & tanquam insensibilem reddere ad omnia exteriora obiecta, ad appetitus & affectiones terrenas, ad imaginationes, impressiones, atque recordationes, quas nobis post se reliquerunt cohibendo visum, & alios sensus omnes à diffusione sui, quam accipere possent per eandem viam exteriorum Creaturarum; exercendo se omni occasione in reiectione, abnegatione, ac alienatione omnium eorum quæ sese offerunt, vt nulli planè rei affixa hæreat, sed transcēdens omnia, ab-

Quid sit hæc Negatio, & quid in se contineat.

negans

negans & à tergo relinquens omnia, cogitet, DEVM, quem abit quæsitum, cum his omnibus minimè esse comparandũ, & ita sanctâ quâdam rerum omnium obliuione, cæcitate ac insensibilitate transeat & transiliat omnia, interim dum primo & principali exercitio eleuationis, facies & præsentia DEI in spiritu quæritur, iuxta id quod Monito II. cap. VI. supra dictum est. Nam quamuis omnes sensus cum Intellectu, omnisque res sensibilis & intellectualis sit neganda, id tamen ita quasi in transitu, & transcẽdentia rerum omnium fit, quod quis sese desuper non multum reflectat, nec ipsam hanc Negationẽ quasi in cogitationẽ vocet. Neq; enim exercitio directo & obiectiuo, in hac Negatione versatur, nec etiam quasi violenter, & coactè seipsum ab omni re creatâ auellit & abstrahit: sed sanctâ quadam libertate & voluntariâ alienatione ab omni eo quod non est DEVS, mystico hoc modo in animâ quæsitus: nec denique Creaturarum & operum DEI contemptu; sed ne in solo amore Creatoris nos impediant: nõ quòd opera DEI non sint bona, & minùs apta,

quæ

quæ nos ducant ad eius amorem; ſed vt noſmet illis reputantes indignos, ea ſibi ipſis relinquamus, qualia in ſe ſunt, ne eorum multiplicitate abrepti, damnum aliquod incurramus. Cùm namque ſimus mali, & natura noſtra pariter corrupta, ijs potiùs vtimur, velut armis ad offendendũ Creatorem, quam tanquam ſcalis, aut alis, quibus ad eius amorem euehamur.

En igitur, quid hæc via negatiua in ſe contineat, quòd videlicet, dum alij conſideratione Creaturarum velut adminiculis vtuntur, quibus eleuentur ad DEVM, iſta, propriæ corruptioni diffiſa, ac ne illi ſint loco pedicarum, quibus detenta, in itinere ſuo retardetur, illas abnegat, ac ne quidem intuetur, nec aliquam earum inpreſſionem ſiue cogitationem admittit; ſed libera & ab illis expedita, format eleuationem ac introuerſionem ſuam ad DEVM, qui eſt ſuper omnia ineffabilis & incomprehenſibilis: ita vt qui in hac via induſtriæ ac dexteritati ſuæ deeſſe nõ cupit, fiat ſit neceſſe cæcus, ſurdus, & mutus, quantum ſtatus & vocatio eius patietur, celerique pede omnia, & ſuper

omnia

omnia transeat, nec in quocumque vestigio vel momentum immoretur, instar Peregrinantis alicuius & viatoris, cui quicquid in viâ se offert, spinarum loco est. Nam quemadmodum superiùs dictum, is omnium felicissimus est, qui aliud nec agit nec curat, quàm vt in pace in seipso secum perseueret. Et quanquam fieri vix possit, quin quotidianâ inter homines conuersatione & vsu affectiones humanæ sentiantur, non sine maculâ, & quasi contagione quadam ab eis acceptâ; pia tamen anima eâ se potest alacritate inde expedire, vt susque deque ferat, ac nullibi adhærendo nullis sordibus commaculetur: id quod mirum dictu, quantâ vi & efficacia tum fit, quando Anima diuinâ vnctione tacta, attrahi se sentit supra, & multo intimiùs, quàm omnes sensus, in veræ recollectionis mysticæ pacificã & quietam introuersionem. Tunc enim ista mors & abstractio sensuum, à naturâ & proprietate diuinę istius tractionis adeò sequitur connaturaliter, vt proprius eius effectus sit, suauiter ita alienare, & abstrahere animam ab inclinatione sua naturali, diffundendi se per sensus, ratione

Quod motiones Dei perefficaciter nuocent animam à diffusione per sensus.

tione efficacis illius attractionis, quam animam sentit in se, vt diuinum hunc motum sibi infusum sequatur. Caussa & necessitas huius negationis & alienationis rerũ omnium est, quòd quamdiu in hac inferiori & corruptâ naturâ viuimus, in vitâ spirituali non regenerati, vtamur & fruamur Creaturis extra DEVM, hoc est, citra bonum ordinem, qui in nobis erga DEVM esse deberet. Quamuis enim relatione actuali vnum & alterum ex nostris actibus reformemus, in his tamẽ solis bonis actibus, non subsistendum, sed manus admouenda radici, quæ penitus renouanda ac reformanda est, redactis videlicet in bonum ordinem potentijs interioribus, vt diuino spiritui subordinatæ, omni re vti possint ad verum suum finẽ, & iuxta legitimam suam relationem in DEVM. Ad illam autem reformationem vt pertingere possimus, & antequam in spirituali vitâ eas radices egerimus, vt sic rebus vti possimus iuxta ordinem quem habent ad DEVM, & absque nostro detrimento, summopere necessaria primùm est earum integerrima alienatio ac denudatio, per ve-

Caussa huius Negationis.

ram abstractioné, mortem, ac transcensum, non quidem vt inde petatur exercitium & occupatio directa, tanquam prima & principalis; sed, quemadmodum per totum hûc gradum docemus, intentione secundariâ, instar viæ, transcensûs, & medij, dum melior alia res, quæ est verus amor & Spiritus DEI, quæratur: ita vt quamuis aliquando cõmitti non possit, quin ad dictam abstractionem fiat reflexio, eaq; per actus directos ac planè expressos exerceatur (aspiratio enim ad DEVM non semper in eodem gradu zeli & ardoris versatur) non tamen sic oportet argumentari; quia, vt perueniatur ad DEVM, necesse primùm est à re omni abstrahi, deinde in seipsum reduci, & tunc demum ad DEVM eleuari; exercebo me ergo primùm in abstractione, postea in meimet recollectione, & tum demùm omni diligentiâ eleuationi ad DEVM incumbam; sed est dicendum: Eâ humilitate spiritum meum ad DEVM eleuare, meq; eâ affectione erga ipsum amoris sui desiderio replere ac inflammare conabor, vt efficaciâ ac redundantiâ bonæ huius affectionis, neglecturus sim

omne-

omne id quod in mūdo & extra me eſt, animumque meum ab omni vanitate, ab omni affectione alienâ, & ab omni humano reſpectu &c. auocaturus. Neque etiam eiuſmodi mors & negatio, mentaliter conſideranda eſt, velut res quædam acerba, & cum aliquo cruciatu coniuncta: ſed natura ſuauiter eſt decipienda, in gratiā ſcilicet, diuini amoris, ad quem voluntario, prompto ac libenti corde omnia noſtra deſideria diriguntur, totum illud nihili-æſtimādo.

Differentia, quā diuina gratia, vel præuentio cauſſat. Verùm nō pauci ſunt, qui in viæ huius proſecutione, à gratiâ diuinâ plurimùm iuuantur, imò non infrequenter à diuinis vnctionibus, in ſpiritu, & recollectione amatiua præueniuntur; qui diuini tractus, ſicut dixi, permagnam vim habent ad inculcandum hunc modum negatiuum, vt qui animam abſtractione rerum omniū facilimè imbuat, vt in hâc myſticâ obliuione ſoli DEO adhæreat. Atq; his quidem ſtudium eleuationis, & exercitium Amoris diuini facillimum iucundiſſimumq; eſt, qui ſi operationem diuinā nôrint ſequi, breui eam ſunt aſſecuturi.

Aliorum quorundam par felicitas

non

non est, sed proprio conatui, ac industriæ humanæ magis relinquuntur, qui nihilo seciùs tamen eò quoq; poterunt pertingere, quanquam fortè non ita citò, nec sine multo labore. Nam, vt dicamus quod res est, nec auxilium diuinū sensibile, nec perceptibiles illi motus amoris & affectionis, illius sunt necessitatis, vt planè absq; illis verum Spiritum DEI consequi non liceat. Inueniuntur enim nonnulli, qui licet omnis sensibilitatis expertes, omniq; gratiæ notabiliter perceptibilis præuentione orbati, postquam tantum laboris & temporis exercitio meditationum, omniumque virtutum ac veræ mortificationis acquisitioni impēderunt, cùm non ignorent, perfectionem non in naturali operatione humanâ, nec in quocunque proprio nostro conatu, sed in vitâ Spiritus DEI & sanctâ eius operatione in nobis, esse sitam, continent seipsos in priuatione humani, crassioris, imaginarij, & discursiui modi, vt ab omnibus tumultuarijs illis modis liberi, soli attētioni ad DEVM, & sanctam eius operationem infusam, quam illis communicare dignetur, vacare possint, idque

Nōnulli absque gratiâ sensibili progredi cogūtur.

idque magnâ animi fortitudine & fidelitate persequendo, talis eorum generosa resolutio supplet, & compensat omne id, quod sensibilitatis foret aliàs necessarium.

Quid eiusmodi hominibus sit obseruandum.

Isti tamē, qui sic per seipsos talia assumunt, ne in errorē agantur, sexcentis circumspectionibus, vigilantijs, ac admonitionibus necessarijs sunt muniendi. Primò enim, si hunc procedēdi modum amplectentes non etiam in tuendâ Mortificatione, abstractione, & alienatione omnis amoris proprij, desiderij excellendi alijs, sensualitatis, & similium quæsitionum sui-ipsorum, omnis denique in creaturis solatij, constantiam atq; fidelitatem mordicus retinuerint, periculo magna inconuenientia incurrendi erunt expositi, prout suprà expositum Monito VII. pag. 126.

Secundò poterunt errare, si, quia omni sensibilitate carent, veram quoque, realem, & actualem tendentiam in DEVM pro principali ac directo exercitio suo non habeant, sed sufficiat illis negationem & abstractionem hoc capite declaratam exercere actiuè, & per modum obiecti, neglectâ obserua-

tione

tione tam diligẽter hîc inculcatâ, quòd hoc fiat secundariè, & tanquam per transennam, absque impressione cogitatiua, sed ex redũdantiâ fidelis applicationis spiritûs ad desiderium fruitionis diuinæ.

Tertiò, si naturali suo intellectu omnia, quæ de Perfectione traduntur, ad speculationes & proprias conceptiones reducant, arbitrati se plurimũ profecisse, quòd adeò subtiliter norint speculari, ac in materiâ omnium istorum statuum ac sublimium graduum vitæ internæ altos sermones conferre prout superiùs Cap. V. dictum.

Quartò denique, quia infitias ire nemo potest, quin hæc laboriossima ac permolesta via sit, quia deficiente præuentione diuinâ, anima in magnâ solitudine secum sola permanet, absq; vero robore ac fulcimente, siue certo exercitio, sed in perpetuo potiùs conflictu cum friuolarum cogitationum infinitâ cohorte; propterea, cùm non omnibus impertitietur à DEO gratia contemplationis, nec omnes eâdem viâ vocati, prudentis Directoris officio ac discretioni relinquitur, vt discernat, qui-

quinam diuinarum huiusmodi semitarum sint capaces, qui secus.

Quid hæc Negatio in animâ operetur

Hæc igitur negatio & abstractio efficit, vt anima paullatim in sensus imperium obtineat, suamque attentionem ad intrà omninò reuocet, vnde postea sequitur, quòd videns non videat, & audiens obsurdescat, quia abstractioni ab attentione sensuum iam assueta, & eius loco in suo interiori aliud inueniens, ad quod animum conuertat, vi eius & efficaciâ à diffusione sui ad exteriora inhibetur.

Quid faciendũ, cùm impedimenta quapiã caueri non possunt.

Et quanquam hæc Negatio, quà possibile erit, realiter & cum effectu nõ desiderio tantùm, voto, aut affectione reduci debeat in praxin, cùm quisque tam corporis, quàm mentis quietem tranquillitatemque, prout status & vocatio feret, procurare sibi debeat: si tamen quandoq; accidat, vt citra eius culpam, & omne aliud remedium, occupationibus, vel externis impedimentis, siue vnius, siue plurium, quæ circum latus vndique & vndique saliunt, necessariò sit vacandũ, frangi propterea animo, & cœlestis huius sapientię delitijs fruendis inidoneum se reputare non debet.

Verùm

Verùm si occupationes istæ adeò prægnantes ac ineuitabiles forent, vt præteriri, vel suspendi non possent, necesse erit, eas non haberi tanquam impedimenta, nec tractari animo inuoluntario & indignabundo; sed vnà secum & cum naturâ inferiori comprehendi, colligi, ac vnum idemq; fieri, vt in eleuatione cũ dictâ naturâ humi linquantur, & spiritus in quemcunq; casum paratus omnia peruincere, ac quietem in negotio, in turbatione pacem, DEVM denique in omnibus inuenire discat, & consuefiat.

Initium gratiarũ infusarum, ac donorũ Dei.

Quòd si quis iuxta sententiam istorum Monitorum, tam huius quàm præcedentium capitum diligenti progressu viam suam assidue continuet, abstrahendo & alienando se à terrâ & ab inferiori naturâ, per quandam insensibilitatem & neglectionem motuum atq; inclinationũ eiusdem, extra omne dubium tunc paullatim elucescent operationes superiores, & spiritûs, & auspicabitur DEVS infusionem siue communicationem gratiarum supernaturalium, adeò palpabilium & euidentum, vt quin particularia dona sint

cœlitus missa, quæ potentijs superioribus vitam & vigorem sunt redditura, nemo sit dubitaturus. Illæ verò gratiæ, quarũ anima in hoc statu fit particeps, velut aliarum quæ sequuntur prodromi, seu præuiæ tubicines, lumina sunt & cognitiones, quæ ab illuminationibus intellectui diuinitus infusis oriuntur, quæ dum species seu phantasmata interna splẽdore suo collustrant, multas intelligentias ac ratiocinationes animæ suggerunt, eamque ad eiusmodi operationes mirum in modum excitant, quandoque verò mirabiliter ad penetrationem rerum maximè sublimium attollunt: Quamuis enim ista anima nequaquam hæc talia desideret, cùm ipsa iam antè omnẽ actionem intellectus, quantum in se erat, fugerit ac deseruerit, vt voluntati pleniorem locum concederet; DEVS tamen similibus illustrationibus hîc eam illuminat, & quibusuis intelligentijs ac discursibus ornat. Ideoque etiam per necessarius ei hoc loco est humilitatis & abnegationis sui-ipsius vsus, ne eiusmodi cognitionum luce excæcata, ad vanitatem, propriam æstimationem, & in his gra-

Pericula, quæ hac prima dona Dei comitãtur

gratijs ac donis DEI oblectationem abripiatur. Neque enim in hoc præsenti statu intellectuali, à tendiculis ac insidijs Diaboli iam libera est, quin potiùs hic erit noui duelli campus, vbi extremam vim, astutiam, fraudem impēdet, adeoque Martem totum aduocabit, vt si quà possit, in hanc arcem irrepat, cùm perspiciat, se per obiecta sensuum nihil effecisse, vtque cum illuminationibus diuinis, suas falsas, ac præstigias illusorias commisceri faciat. Nam anima, veri Spiritus DEI adhuc inexperta, tam exactè verum à falsò nondum discernere nouit, vt extra omnem periculi iactum sit posita: quinimò ipsæ illuminationes ac intelligētię sublimiores, adeò pulchræ ac diuinæ illi videntur, vt in illis fruitionem DEI consistere, ingentem quoque perfectionem & progressum, in illis latere putabit, ita vt nisi interiùs ipsius humilitate occupatum ac ornatum, atque in rectâ & sincerâ intentione quàm optimè sit fundatum, nullo negotio vanitatis vento deferetur ad aliquam æstimationē sui, cupietque cognosci ac laudari, sibimet ac suopte ingenio has gratias attribue-

re, de induſtriâ ac fidelitate ſuâ præſumere, alios improbare ac deſpicere, denique etiam viſiones, reuelationes, raptus, extaſes, & ſimilia deſiderare non vereatur. Ad cuitanda igitur omnia hęc incommoda, remedio erit, vt primò altis in profundiſſimâ humilitate & mortificatione radicibus poſitis, homo iſtis fauorib. indignũ ſe reputet, annihilando ſe extremâ abiectione in ſuo interiori, in profundâ quâdã abyſſo humiliationis, & abolitionis ſui-ipſius. Secũdò, vt renouet, ac effectui det id, quod ante hac ſexcenties corã DEO fuit proteſtatus, quod nimirùm præter purã ac ſolã eius gloriam toto hoc itinere nil quærere intendat; nõ verò quòd alicuius nominis eſſe coram hominibus, vel quicquã videri aut apparere velit. Tertiò, vt ſuauiter captiuet, humiliet, refrenet, ac deprimat aciem huius intellectus, colligendo vel potiùs deprimendo eum, vnà cum omnibus iſtis illuminationibus & cognitionibus in vaſtam quandam abyſſum exinanitionis, non quidem eas negando, vel reijciendo, ſed ſub imperium amoris aut voluntatis reducendo. Et anima cum tem-

Remedia eorũ.

tempore perſpiciet, quod amor non deſiſtet, niſi hanc capacitatem intellectûs ita operandi, planè ſibi ſubiectam fecerit, ſicut cum potẽtijs inferioribus iam pridem egit.

Ab illis tamen diuinarum illuminationum gratijs, quæ animam iucundiſſimis cognitionibus internis imbuunt & illuſtrant, permagnæ vtilitates & commoda promanant, dum hominem cuiuis ſcientiæ ſiue ſtudio aptum efficiunt, quamuis alioqui à ſeipſo inhabilis ſit ac ineptus. Magno tamen interuallo à verâ luce & ſimplici cognitione DEI ipſius, quę poſtea ſequetur, diſcrepant: nam, ſicut dictum, eæ nõ ſunt niſi illuſtrationes & excitationes ſpecierum internarum, ad ratiocinandum & intelligendũ facilè id omne, ad quod homo applicatur, & ad perſpicuè penetrandum, id, quod antea comprehendi non poterat, qualia ſunt loca Scripturæ, intelligentiæ & reflexiones iſtarum viarum internarum, cognitio complurium ſemitarum, quæ vel ad DEVM, vel ad errores ducunt, & ſimilia, quæ recipi quidem, ſentiri, & ad vſum referri poſſunt ſecundùm DEVM, ſed qui-

Iſtæ illuſtrationes diuinæ, bonæ ſunt & vtiles animæ, modò eis non inordinatè adhæreat.

bus minimè inhærendum vel quæ nequaquam extollenda sunt æstimatione sui-ipsius, vel nimium admiranda sed potiùs relinquenda suauiter transire, quippe qui non nisi in totali possessione & fruitione veri amoris & spiritûs diuini distineri debeamus. Nec hoc dicendus est contemptus istius operationis diuinæ, neque inordinata quædam præsumptio ad res sublimiores se ingerendi; sed est quædam purificatio omnis adhæsionis, & inhærētiæ in gratijs diuinis, & obstaculis inter DEVM & animam. Sed nec reijcitur quoq; hoc modo operatio diuina, verùm hoc docetur, vt cursu cum effectibus ipsius ei relicto, non inordinatè nimis illi adhæreatur.

Sic igitur nulli rei quàm soli DEO purè adhæsura anima experietur, quàm illa humilis demissio ac deiectio intellectûs, vtilis ei sit futura, non solùm vt interiorem statum illustret, atque ab omnibus speciebus, formis, discursibus, siue ratiocinationibus, quas hæ diuinæ illustrationes interiùs producunt, liberet; verùm etiam eam ad sequentem simpliciorem & vniformem operationem:

nem præsentiæ diuinæ in simplici intelligentiâ, quam sequenti statu sumus descripturi, disponat; quæ animam in magnâ pace, quiete, ac silentio constituit, in actuali experiẽtia supremę istius Maiestatis. Hæc enim spiritui præsentiam suam, cognitionẽ, & amorẽ suum imprimens, facit ibi mansionem suam velut in paruo quodã palatio, in Throno, & deliciarum aliquo penetrali. Et homo eò pertingit, cooperatur, ac se disponit, sicut toties iam dictum est, non quidem formando sublimes conceptiones diuinarum eius perfectionũ, de ęternitate, de infinitate eius, & similibus; multò minùs imaginando sibi DEVM, velut in cœlo empyræo, supra omnes cęlos, quos corporeis oculis intuemur, inter beatorũ spirituum agmina, Throno infinitæ Maiestatis insidentem; minimè, nihil horum: verùm simpliciter & solâ fide eum apprehendendo tanquam supremum suum bonum, tanquam ideam infinitæ cuiusdam essentiæ supra suum spiritum, quæ omnem suam capacitatem longè excedat: eleuãdo ad eum cor suum velut ad solum desiderij sui obiectum, ac omne sui

Eleuatio nostra affectuosa ad Deũ in humilitate ac reuerentiâ semper debet fundari

amoris subiectum; profundissimâ denique humilitate ac submissione se ad pedes diuinæ magnitudinis eius abijciendo, ac multò maiori sollicitudine eius misericordiam ac infusionem gratiæ diuinæ implorando, quàm vt animum ad penetranda, ac proprij ingenij solertiâ indaganda atque comprehendenda secreta mysteria, immensæ huius Magnitudinis sollicitè conuertat: reputando se postremò cum Chananæâ muliere velut catellum coram Domino suo, ad colligendas micas, quæ ab opiparâ eius mensâ cadunt; idq; tanto desiderio, tantaque attentione, vt nec curas nec cogitationes quacumq; aliâ re, atque hac vnâ, quæ tanto studio & ardore quæritur ac desideratur, occupari fas sit. DEVS igitur, inueniens huiusmodi animam nõ solùm hoc modo vacuam, liberam, & à quacunque re aliâ, solo eius respectu expeditam ac alienatam; verùm etiam semet ipsam pro viribus, quibusuis actib. diuini eius amoris replentem ac ornantem, ita vt præter ipsum solum, in quo omne cor suũ, omnem suum thesaurum, omnemq; attentionem suam collocauit, nil quicquam

quam

quam vel desideret, vel exspectet, infinitæ suæ dignationi deesse non potest, quin illi omne genus gratiarum ac diuini concursûs impertiatur, vt in diuino eius amore maiora quotidiè incrementa sumat, cõmutans ei omnes molestias in solatium, omnem laborem in quietem, omnem denique attentionem ac exspectationem in gaudium & lætitiam, omniaq; illi adeò leuia & facilia reddens, vt gratius ei sit plures horas in hoc exercitio orationis exigere, quã exquisitissimis voluptatibus atq; delicijs, quæ in vniuerso mundo vel excogitari vel inueniri possent, indulgere. Præterea quis fando satis exprimat tot secretas & intimas operationes, quas anima experietur; tot vias, siue intelligentias rerum, quas DEVS illi aperiet; tot affectiones insolitas, quas ei communicabit; tot deniq; ardentissima desideria, quibus volũtas eius inflammabitur? Non quidem quòd isti fauores adeò sublimes vllo modo ab eâ sint requirendi vel appetendi; planissimè namque alij rei incumbendum ei non est, nisi vt omnibus viribus suis DEVM amet, eâ sinceritate, vt quicquid non est

hic amor, quantum in se est, abijciat atque prætereat: sed has vices supplebit DEVS, qui hanc animam suarum infusionum communicatione diuinâ affatim est cumulaturus.

DE VERA ET LEGITIMA tranquillitate, quiete, pace, quæ inuenitur in hac via, per appropinquationem spiritus in excessum, & transcensum operationis propriæ & humanæ.

CAPVT VIII.

Anima viuēdū est secundùm spiritū, vt sit capax diuinæ infusionis.



VM ab inferiori naturâ vsque ad spiritum superiorem admirāda distantia intercedat, quò anima appellat oportet, antequam veram aliquam operationem infusam DEI repercipere, & veram pacem, quietem ac tranquillitatem interiorem gustare possit; nemo mirabitur, si in hoc statu eleuationis paulò diutius immoratus, priusquam culmen conscenderem, circa gradus cœlestis huius ascensûs aliquam-

quamdiu hærendum mihi fuerit. Nam, ſicut initiò dictum erat, hoc loco totius negotij cardo vertitur, vt à craſſioribus imaginationibus, ad veram ſpirituale̅ præſentiam DEI in culmine ſpiritûs tranſeatur; atq; hoc inprimis loco anima à bonâ inſtructione ac moderatione dependet, vt ad ſecretas has ſemitas capeſſendas co̅uenienti ac felici informatione dirigatur. Cùm enim diligentia & cooperatio noſtra principaliter hucuſque extendatur, nunc certè errore aliquo, ſiniſtro intellectu, ac peruerſo regimine facilimè totum impediri ædificium vel ſubuerti poteſt. Sed vbi hoc abſoluto, & ad experientiam facto progreſſu, DEVS animæ ſuam præſentiam manifeſtauit, ac ſanctæ operationis ſuæ fruitionem conceſſit; tunc; cùm gratia & radius diuinus primu̅ & principale dominiu̅ in interiori obtineat, ductum eius, velut cynoſuram, aliqua̅, quiſque ſequi debet, dirigendo ſemper induſtria̅ ac operationem ſuam ad normam ſtatûs ac diſpoſitionis, quam impræſentiarum in ſe experitur.

In his ſtatibus neceſſariò eſt bona inſtructio.

Poſtquam igitur anima ſtudio ac labore noſtro actiua eſt effecta ſecundùm

partem affectiuam, & simplicem apprehensionem diuinæ præsentiæ spiritualis, negatione omnis imaginarij modi, vt ab omni re terrenâ ac humanâ sollerti industriâ auocaretur, & in eâ mysticum ac diuinum paullatim formaretur; cùm nihil magis tunc timuerimus, quàm vt in inferiori naturâ silentium & quietem, quâ in amore proprio, & merâ vitiosâ ignauia detenta ac nutrita fuisset, amplecteretur; ecce nunc spiritui superiori appropinquantes, modo planè cõtrario inducere eam conabimur ad silentium, quietem, & tranquillitatem suscipiendam. Quod tamen nemini peregrinum videbitur, si meminerit, illud defectu & inopia, hoc verò excessu & transcensu perficiendum esse. Nam postquam anima omni sedulitate atque studio ad præscriptum omnium Monitorũ superiùs explicatorum actiones suas instituerit, ac iam proficere in bono cœperit, experietur etiam, accedente proprio conatu, non tantùm auxilium gratię, quæ illi in suo procedendi modo vires animumque maiorem subministrabit; verùm etiam non rarò diuinam præuentionem

Pax & quies interior iã quærẽda

tionem perceptibilem, quę eam excitabit ad studia multò nobiliorum atque præclariorum operum, quàm perficere propriâ industriâ potuisset, eique aliquos radios & prodromos operationis spiritûs, supra omnem multiplicitatem naturæ inferioris reuelabit; hic enim effectuum diuinæ bonitatis erga animam vnus est, vt ei primùm exiguas aliquas arrhas & radios experientiæ illius quod sequitur, & cuius inquirendi studio illa tenetur, cõmunicare soleat.

Illud verò, quo radius diuinæ præuentionis hoc loco eam collustrabit, erit, vt eã percipere faciat recollectionem, ac pacificationem totius intellectûs naturalis, ac informet, quomodo amplitudo, & ambitus sphæræ huius potentiæ intellectiuæ colligi, ac in vnum punctum possessionis redigi debeat, sub potestate & imperio voluntatis, vt postea in fruitione huius gradûs, nonnulla de diuisione spiritûs, & partis propriæ siue inferioris cognoscat.

Intellectus naturalis planè debet aboleri, &

Quod vt intelligatur, sciẽdum, præcipuas difficultates, quæ hoc loco sunt obuiæ, oriri ab intellectu, qui hac eleuatione superari, colligi & cogi debet, iuxta

pedibus recollectionis interioris subiecti.

iuxta omnem ambitum & amplitudinem extensionis suæ, in manipulum possessionis, vt omni suâ capacitate comprehẽdatur in eorum numero, quæ fundum ac centrum animę constituunt (modo loquendi huic arti atq; scientiæ mysticę proprio, qui non facilè intelligitur nisi ab illis, qui experientiâ didicerunt.) Quanquam enim Intellectus adeò excellens atque sublimis potentia animæ sit; sitque velut Pharus, lumen & dux voluntatis; in hac tamen viâ mysticâ abolendus est, annihilandus est, deijciendus est, ac omni suo naturali modo operandi spoliandus, vt subiugetur, subijciatur, ac redigatur in ordinem, quem optima dispositio animæ per spiritum DEI regeneratæ requirit. Exordio exercitij huius eleuationis, cùm in obliuione totius Inferioris, & in sui-ipsius victoriâ acquirendâ, toto conatu laboretur, vt ad DEVM, versus culmen spiritûs eatur, & nihilominus ad certam, solidam ac firmam sedem nondum est peruentum, cui spiritus inniti ac requiescere possit, quia nondum datur accessus ad DEVM, ad offerenda ei sua desideria, &

visum

visum in internâ requisitione termi-nandum; homo variâ cogitationum mole, quæ animum nûc huc, nunc illuc diuidunt, oneratus, incerto pede hinc inde vagatur, & tanquam in aëre incertitudinis sui status & conditionis suspensus hæret; nescius, quis tandem finis sit futurus; quandoquidem deserto vno, & ad aliud accessu nondum impetrato, planissimè putet, se tandem in littore destituendum, non sine magno ipsius etiam naufragij metu. Quamdiu enim intra sensus internos solùm viuitur, naturâ inferiori nondum superatâ, in cuius abstractione vita spiritûs experientiâ cognosci possit, nemini de suo statu quicquã certi ac legitimi constare potest. Quâ de causâ in operis auspicio omni ratione persuadere fui conatus, vt quisque in forti voluntate benè recollectâ & firmatâ, operante pro virili actus desiderij & affectionis firmum fundamentum poneret, potiùs, quàm in solo, frigido, inani & debili visu conquiesceret, non nescius, quòd eleuatio, qui initiò potest haberi, non sit ille actus simplicis intelligentiæ, & cordis verè purificati, qui diuinam visionem

Viuere in naturâ inferiori, & viuere in spiritu.

ſionem ſecundùm gratiæ lumen poſſit mereri; ſed quoddam ſaltem initium & præambulum eius, quod iuxta illos ſtatus inferiores poteſt formari; qui reipsâ aliud non eſt, quàm deſiderium ad DEVM, quod intra, & ſub ambitu intellectus naturalis anima cõcipere poteſt, reſultatque ex fundo & ſtatu, qui tum in eâ inuenitur. Fit autem progreſſus, quando anima paullatim incipit cernere, quomodo amplitudo & tota extenſio huius intellectûs ſe colligat & contrahat, ita vt videantur apparere velut extremi limites illius, mox nempè redigendus in formam poſſeſſionis, in interiori recollectione, vltra quem deinceps intelligere incipiet, quæ ſit regio diuina & æternitatis, quam anima breui conſpectura eſt, poſtquam ſic intellectus diuino ſpiritui fuerit ſubiectus.

Dũ igitur anima toto hoc exercitio eleuationis intellectui naturali oſtium obfirmat, nec eius diſcurſus, compoſitiones & diuiſiones, qui præcedentem eius craſſiorem modum fouere ac nutrire ſolent, admittit, ſed ſimplici ſaltem apprehenſione præſentiæ DEI in ſpiri-

ſpiritu, eum continet in ſimplici quodam viſu, quærente ac deſiderante, ſed tamen in motibus deſideriorum & affectionum, ſicut dictum eſt, fundato; accidit, vt magis magiſque in dies proficiens, & in iſtis vijs intimam ſibi ſubtilitatem acquirens, incipiat ipſa quoque craſſiores illos conatus affectiuæ partis abijcere, vt ſimpliciter operetur ſecundùm ſpiritum & attentionem, ſic vt perſæpe moleſtum ſit ei futurum, quando modum affectionis in centro voluerit retinere, cum non ampliùs de amore, ſed de ſpiritu meras & puras cogitationes habeat, ab omni re alienata, ita vt quemadmodum imaginationes craſſiores, ac diſcurſus intellectuales fuerunt eliminati, ita iam vltra iſtos conatus affectiuæ partis ſit progrediendum, ſolus ſimplex, ſed iam penetrans viſus, & tendentia in DEVM ſufficere debens. Itaque vbi in hac viâ contigerit, animam ſat benè recollectam, extremo in DEVM ardore propenſam, & nullis perturbationibus impetitã, nec tamen ad producendos actus affectionis procliuem, ſed potiùs in hilarem, lętum ac ſerenũ ſtatum ſentire ſe trahi,

hunc

huic dispositioni reniti nõ debet, quasi vi quadã suos actus affectionis expressura; sed duci se patietur ad operãdum iuxta illum hilarem, serenum, pacificum & tranquillum modum, absq; licet reflexione ac cognitione eius, quod in particulari faciat, vel inde fieri debeat, modò conetur ac studeat in hoc agili statu ita perseuerare, prompta ad eiaculandas efficacissimas penetrationes spiritûs ad DEVM, si diuinæ præuẽtionis ianua esset reclusa. Istud enim frequenter eueniet animæ in hac viâ, vt sic gradatim eleuetur ad puras operationes potentiarum superiorum, spiritu à grauitate ac mole totius Inferioris semet expediente. Quia igitur præcedens ille conatus partis affectiuæ magis attinebat ad status aliquantò crassiores, & quasi sensibiles, quamuis propiùs accedentes ad subtilitatem spiritus; iam cùm DEVS animam velit eleuare, vt multò adhuc subtiliùs operetur, secundùm potentias sublimiores, præcedens illud studium siue conatum adeò palpabilem deserat necesse est, vt hunc multò leuiorem ac sereniorem modum procedendi sequatur, qui sui
resigna-

resignationem in DEI beneplacitum complectitur in tranquillitate sui status contenta quiescens.

Atque tunc certò inchoabitur status veræ, realis, & non fictæ tranquillitatis, quietis & silentij, qui vt faciliùs ab altero statu vanę, periculosæ & naturalis quietis discernatur, graduum & statuum aliorum, qui illum pręcedunt, explicationem hactenus fuimus prosecuti. Tunc enim solùm vera quies in animâ locum sibi vendicat, cùm videlicet intellectus ita pacatus ac sedatus, omni studio contenditur, vt pedibus spiritus subijciatur, ac humiliter deprimatur, ne vltrà se ingerat pro more suo naturali per conceptiones & conatus formales ac directos, quasi primùm à seipso prouenientes; sed per humilem quandam demissionem acuminis ac viuacitatis suę, in suaui quadam negatione huius suæ primæ actiuitatis, vt, manente hac humili demissione ab vnâ parte; aliunde alium quendam modum diuinum, ac planè nouam actiuitatem secundariam penetret, quæ subtiliter vnà cum diuinâ præuentione haberi potest. Nam probè intelligendum, cooperatio-

Quando vera quies habeat locum.

Nostra cooperatio cum Deo duobus modis fit. Nota.

operationem nostram cum gratiâ Dei duobus modis perfici: vno, quem huius viæ initium requirit, cùm scil. adhuc sumus velut primi operantes, & cùm nos ipsi pia exercitia de hac vel illâ materiâ seligimus, omnem industriam in illis impendendo, non tamen nisi proprio iudicio nostro, & opinione humanâ ducti, quia pro eiusmodi initijs nihil scimus vltra quod melius sit: altero, qui huic præsenti statui, & illis, qui deinceps sequentur, ac de quibus iam nobis sermo, propriè quadrat; estq; tanquam secundarius, minùs principalis subordinatus, & diuinam infusam operationem sequens; quæ tunc in homine adeò primas obtinuit, vt imperiū planè sibi vendicarit, nostro ei subiecto, & solummodo ancillante. Quamuis enim gratia diuina tam dignitate quàm præuentione semper priores partes teneat, non tamen semper prima & principalis est secundùm modum nostrum sentiendi. Nam in principio & tempore primi modi nulla nos alias cura fatigat, quàm vt nos ipsimet ad amorem Dei, & ad quamcumque bonam ac sanctam affectionē excitemus, cùm

Initio conatus noster crassus est ac violentus, quasi soli ac primi operarij essemus.

cùm interim gratia diuina, vix percipi possit, & non nisi per fidem, quod omne donum perfectum desursum sit, & quod sine eâ nihil possimus: At verò in progressu, ac tempore huius secundi modi; hæc vnica sollicitudo atq; cura nostra sit oportet, ne conductui secreto, quem Spiritus sanctus hîc incipit operari per effectus radij sui diuini, quo animam illustrat, vllum obstaculum ponamus; ille enim est, qui hîc tranquillo modo animæ infundit motus suos affectuosos, & qui diuinâ suâ præuentione atque felici attractione præcurrens, illâ tantùm suauiter sequitur, omnique diligentiâ attendit, ad id omne planissimè se conformans, quod bona harmonia mutuæ coniunctionis requirit. Difficultas verò quæ intercedit, est in initiò antequam radius diuinus, & Spiritûs sancti conductus adeò notabile robur acceperit, vt euidenter & verè in homine imperij sui vim exercere possit. Nam anima diligenti cuidam conatui, tanto antè studio in praxin reducto assueta, & extremo semper desiderio suimet iuuandi cupida, tam breui tempore hos status tranquillos, & cras-

Deinde operatio nostra diuinæ attractioni subiacet.

Vnde oriatur difficultas mutationẽ bene sequendi.

& crassioris operationis strepitu carẽtes, comprehendere non potest. Diuina enim operatio cùm adhuc tenera sit ac delicata, & naturalis tamen conatus nullis hîc vsibus seruiat, nisi quantum impressioni diuinę correspondet, (gratiam namque velle præcurrere vanum & absurdum foret) aliud medium sui iuuãdi, & alteram ab altera distinguendi non suppetit, quàm vt pax ac serenitas spiritûs conseruetur, suis potentijs non ampliùs vtendo, nisi in ordine, & iuxta bonam relationem ad operationem diuinam, quantum quidem per isthæc initia fieri licebit. Nihilominus cùm motiones diuinæ tardè nonnunquã soleant reuerti, & in omnibus non æquè sint frequentes ac ita abundent, vt ijs, vel etiam vestigijs, quæ in interiori reliquerunt, semper sint occupatæ, in causa sunt, quod proprius & naturalis conatus ita subitò aut semper exui ac deseri nõ possit, sed diuinæ pòtius pręuentioni, cum tempus postulat, locus sit cedendus, assumpto quoque nonnihil de residuo proprię industrię, vbi necessitas id requisierit. De hac re verò melior regula dari nequit quam si dicatur,

tur, quod anima internæ suæ dispositioni se conformet, & prout status, in quo impræsentiarum est constituta, flagitat, vt in omni pace ac tranquillitate viam suam ad Deum, ab omni perturbatione aliena, persequatur.

Quæ omnia vt melius adhuc intelligãtur. Sciendum est, quod duplex notari possit silentium, aut operandi cessatio. Vnum ab experientia fruitiui amoris procedens, cum enim subinde, illa fruitio rediens, quasi per vices & in transitu, animam totam insimul colligat, vt à diffusione sui per sensus auocatam, isti intimiori introuersioni attendere possit: talis experientia potens est animam semper ad eiusmodi pacificam recollectionem inclinare, eiusque modum, in abstractione & negatione aliarum rerum imprimere; ita vt iuxta modum talis experiẽtiæ, omnibus alijs curis neglectis, quò longiùs eò meliùs, soli eiusmodi pacificæ introuersioni, vacare & locum dare, semper studeat. Quod dum ita fit, finaliter tandem homo totus in tali quieta introuersione realiter colligitur, ita vt portio illa prima & inferior, in qua huc vsque vixit,

Clarior explicatio præcedentiũ

Primi generis silentiũ.

xit, cum tota sua latitudine & capacitate, in formam quietæ possessionis interiùs reducatur.

Secundi generis silentiũ. Secundum, est quando homo ita pacificè collectus, & non aliter inclinatus quam DEO in omni quiete vacare & seruire, conducitur ad immutationẽ totius interioris status. Ita vt hoc silentium nihil sit aliud quam priuatio omnis propriæ operationis, secũdùm partem illam naturalem, humanam & inferiorem, (in qua huc vsquè homo, & vixit operatus est replens se diuino desiderio, sed qui iã cessare cogitur;) non ampliùs ratione illius pacificæ recollectionis in fruitiuo amore: sed potius à forti compressione, quam spiritus superior operatur, in illam inferiorem partem, quasi non ampliùs ei correspondendo, aut influxus suos ad eam vsque nõ vltrà dirigendo. Ita quod qui progreditur in hac via, non tantùm conatus illos priores, quos ad similitudinem fruitiui amoris conabatur in se exprimere, cogitur deserere: sed insuper omnes quoque Aspirationes, eleuationes, expressiones desideriorũ, mentales locutiones, & eiusmodi. Omnis enim

enim & qualiſcumque à propriâ & humanâ inferiori parte proueniens conatus, locum nullum eſt ampliùs habiturus; eo quod iam tandem ad punctum illud, & eius rei momentum deueniendum, cuius mentio toties in præcedentibus eſt iterata, quod ab illo nimirum craſſiori agendi modo, tanquàm primum à ſe prouenienti, ad aliũ, qui per ſpiritum ab infuſione diuina originem ducit, tranſeundum ſit. Et prior quidem illa quies, quam adferebat fruitiuus amor, vix pœnam vllam, aut de inerti otio dubium relinquebat; tum quod id palpabiliter nimium, optimũ quid eſſe ipſa experientia doceret; tum deinde quod cum talis experimentalis introuerſio ad inſtar tranſeuntis operationis tantùm eſſet, ipſâ paulatim deferueſcẽte, iterum ad priorem ſuum naturalem & inferiorẽ operandi modum reuertebatur, quamquam diuinæ illi experientiæ magis magiſque ſe accõmodando.

In ſecundâ vero quiete, quia Deus ſtatum internum inuertere vult, ità vt loco eleuationis, vel conatus illius partis inferioris verſus ſpiritũ, iam è contrà potius erit ſpiritus in inferiorem

agitatio, forti scilicet cōpressione eam sibi subijciens; ideo cum tempus illius mutationis, ac simul quoque diuisionis animæ & spiritus, aduenit, pars illa inferior, naturalis & humana quę huc vsque in homine operata est, & operari debuit, vt se in Deum conuerteret ac diuino desiderio sese repleret, iam penitùs humilianda, deprimendaque est, ac infrà relinquenda. Adeò vt nec orare, nec ad Deum confugere, se resignare, nec denique vllum omninò actum producere, ampliùs illi licebit, si conformiter ad statum suum internum habere se voluerit. Vnde priusquam inde quis emergere possit, si secretum illius inuersionis modi operandi non bene penetrauerit, res non carebit difficultate. Ille tamen qui anteà præmonitus, tale quid in se exspectauerit futurum, tātò faciliùs cum venerit, illud admittet & sequetur, insensibilemque se reddet parti inferiori, tam in bono quam in malo, omne illud priùs operandi genus deserere non dubitans, vt aliud superioris ordinis detegere & insequi possit.

Deinde diuisione illâ & mutatione pera-

peractâ, secretoque huius negotij detecto, in eo quod anima deinceps portionem illam inferiorem discernere potest, & vt prætergressam sub se tenere; initio quidem nondum ita procul ipsa inferior natura abest, quin adhuc aliquamdiu vt infrà relictâ, neglectâ, & substractâ percipiatur, ratione tamen abundantis auxilij diuini spiritum cõfirmantis, facilè tam visu quam sentimento, penitus ab ea separatur. Hîc etiam intelligere incipiet quod quicquid eleuationis, intuitus, siue inquisitionis, amoris, & fruitionis antehac habuerit hoc totũ vti antè pag. 229. dicebamus, non nisi intrâ limites propriæ & inferioris portionis fuisse conclusum, hîcque primùm tantum esse, vbi secũdùm simplicem intelligentium in supplantatione totius illius inferioris viuere, operationesque superioris ordinis incipere licebit.

Verùm cum in hoc statu necdum ad verum diuinum spiritum peruenerit, sed in mediâ tantùm Regione cõsistat, inter inferiorem scilicet & spiritum diuinum, ita tamẽ vt tota planè secundum totalem sui essendi rationem in

hæc superiora eleuata sit. Ideò necesse erit vt hic aliquamdiu, cum internis industrijs & operationibus huic mediæ Regioni conformibus, moretur quæ verè quasi inexplicabiles sunt; nam initiò exiles admodum & quasi nullius apparentis entitatis videntur: nihilominus ita reales viuidę & efficaces, animamque ita vigilem & agilem tenentes, vt seipsam mirari satis nequeat; videre se in tam subtili, exiguo & silentioso operãdi genere versari, & nihilominus ab omni Imaginatione, discursu, labore, ac denique ab omni inferiori genimine liberam, & super omnia ab omni corporis grauedine, terrenæque inclinationi, quæ naturam inferiorem indiuiduè comitatur, alienam; hinc vt validum, certumq;, de huius tam quieti status nobilitate, testimonium accipiat, veritatemq; eorum inueniat, quæ
pag. 122. in Monito Quintò partis primæ dicebamus: nunquam nos perfectiùs à naturalibus imperfectionibus liberari posse, nisi tunc cum ipsâ Naturâ interius proculcatâ, inueniemur eleuati & operantes secundùm potentias superiores.

Suis

Suis nihilominùs difficultatibus nō carebit hic ſtatus, maximè verò in initio, in eo quod anima deſiderio plena, ad nihil tamen adhuc, quod illud ſatiet peruenire valeat, neq; ſciat quid ei deſit, aut quid arripere debeat, vt promouere ſeipſam poſſit, quia licet deſiderio ſemper creſcens, illud tamen exprimere, vel actus inde efformare nequaquam pro voti ſui magnitudine valet, etſi adhoc efficiendum conari vellet: hoc ipſum extra diuinæ voluntatis internæ ordinem foret, ſuo adhuc proprio, inferioriſque partis modo (qui tamen omninò negligendus eſt) vtendo. Aliundè verò cum ſolâ illâ tam exili, & nondum apparente entitate ſpiritûs contēta manere, timet ne de inerti otio argui poſſit. Etſi enim copioſum diuini tractus auxiliū, eam totam aliquamdiu repleat: illud tamen poſteà minuitur, & quaſi ſola tota, in tam incognito adhuc ſtatu relinquitur, dubia fortè an nō iuxtà priores conatus cooperari, & ſeſe iuuare debeat. Hoc enim non ignorandum eſt, diuinam inactionem ordinariè eſſe, quæ nouum deregere ſoleat gradum, & ad eum animam euehere,

ipſam ex ſuæ efficacitatis præſtantiâ congruenter illi ſtatui operantem efficiendo, ſimulque ex redundantiâ talis experientiæ modum oſtendendo, quo ſe in ſuâ operatione habere debeat; Deinde diuina eiuſmodi efficacia minuitur, vt ſe anima cum ſeipsâ dumtaxat ſenſim reperiat, ſatis anxiè cogitans, poſſitne ſecurè, ſine maiori conatu, & craſſiori violentia, quam ſibimet inferre debeat, talem vacuitatem & operationis carentiam pati. Neque enim exigua eſt illi Mortificationis occaſio, ita in exſpectatione hærere, ſuique iuuandi copiam nullam habere, cui omnis mora amara nimis eſt; & perquam moleſta. Sed hinc eſt quod diſcere debeat quia *Non volentis neque currentis ſed Miſerentis eſt Dei.* & quod magna ſit illi in his ſtatibus ſpei, fidei, & amoris neceſſitas; non quidem ampliùs, vt antè, actiuè talium virtutū actus producendo: ſed quaſi paſſiuè illas retinēdo, ſine actibus elicitis amādo, ſine ſpe formata ſperando, & ſine cognitionē his obſcuris rebus aſſentiendo. Et licet quandoq; præ carentia diuinæ inactionis inanitati proxima ſibi videatur, iter tamen

tamen iſtud hoc modo proſequi nō dubitet, ſed potius nouum hunc viuendi modum, huic mediæ Regioni congruũ addiſcere ſtudeat, quæ anteà inferiorum ſtatuum difficultatibus ſeſe accomodare conata eſt. Experientiâ enim inueniet quod tandem in progreſſu frutiones ineffabiles, ac interdum etiam priuationum viciſſitudines recurrere non ceſſabunt, & quod, quæ in inferioribus relictæ fuerunt operationes, hic incredibiliter meliùs ſecundũ ſpiritum recuperantur. Tempore verò Priuationis hoc experietur quod licet omni motione diuinâ vacua, ſibi ipſi tota relinquatur, non tamen ita dmiſsè ampliùs deſcendet, vt iterum intra naturam inferiorem deueniat, ſiquidem ipſa inferior portio excluſa, & quaſi infrà ſepulta, foris manere cogitur, & anima tota intra latitudinem ſtatûs huius mediæ Regionis, eleuata perſeuerat. In quo tandem ſtatu, ita diuinâ inactione ac amoroſâ fruitione repletur, vt modum etiam cooperandi, huic ſtatui cōuenientem, addiſcere facilè poſſit, vlterius ſemper progredi contendens.

Et ecce quomodo nonnulli à DEO du-

Cõclusio & quasi breuis recapitulatio omniũ præcedentiũ

cuntur vt ab inferioribus statibus ad diuinum vsque spiritum (in cuius iam limine cõsistimus) euehantur, ij scilicet qui ab ipsis princ[illegible] benè in hisce semitis edocti, minime crassioribus Meditationibus, moralisque virtutis exercitio cum proprietate adhærentes: rectè secundum huius viæ mysticæ naturam instructi, vlterius semper ad Deum progressi sunt. In quo quidem nonnunquam per veram diuinæ inactionis experientiam, veram realemq; introuersionem, & fruitiui vtcumque amoris statum, degustarunt, quem ipsis DEVS pro modulo illius, ad quem euecti erāt gradus, cõmunicauit, ipsos veram sensuum abstractionem, tāquam propriam eiusmodi realis & experimentalis introuersionis effectum docendo; vnde & sic omnia monita, gradusúe antehac descriptos leuiter breuiterque prætergressi, plures interim priuationes, obscuritates, humiliationes, tristitias, aliosque tales anfractus tædiosos experti sunt. ex eis tamen celerius resurgendo, ex quo ipsi per monita superius tradita, id maximè vtile esse progressumque promouens intellexerunt; & ideò

ideò rursus ad faciliores, & fruitiui amoris operationes reuertuntur, quæ semper magis magisq̃ue subtiliores efficiuntur; statusque pacificæ Recollectionis in melius semper prouehitur, pro vt priuatio, amarusque præcedens status, fundũ interiorem disposuit purgauit, & clariorem effecit. & his monita à cap. 4. huc vsque tradita deseruire poterunt; nec si in his dilucidãdis diutius hæserimus, mirum videri debet. Sunt enim (vti iam anteà monuimus) qui non ità citò à gratiâ Diuinâ præueniuntur, vt tam facilè ad veram & realem introuersionem admittantur, sed diutius secundùm naturalem spiritum suum operari, & sese iuuare coguntur. Et horum gratiâ factum est, quod hæc supradicta tã multis explicare studuerimus. Sic enim fiet (vti speramus) quod tantò breuior in praxi fiet in illis mora, quò melius ea fuerint, & latius explicata. Si enim per ea quæ dicta sunt modus & ratio se habendi, clarè fuerit perspecta, abusus verò & incommoda vitata: eò quispiam in illis supergrediendis breuior erit, quò ego in illis rectè explanandis longior fui. Alioqui

non sum ignarus aliquos esse, qui tam multis documentis non indigent, cùm citiùs multò (vt iam aliquoties monui) ad Diuinam præsentiam eleuētur. Item alios scio extare qui vnà cum Meditatione simul etiam absque tantâ distinctione rerum, omnes alios sequentes gradus, ad hanc vsque spiritûs & animæ diuisionem quasi imperceptibiliter exercuerunt; Ita vt hi similiter cum tot monitis à cap. 4. datis non est necesse quod se torqueant: sed potiùs ad ea quæ in hoc capite dicuntur aduertere debent. Verùm cùm non illis tantum: sed multis etiam alijs prodesse cupiuerim, qui diutius per viam detinentur. Ideò methodicè quantum fuit possibile procedendo, pedetentim ita, & per gradus, animam ab infimis ad suprema deducendo, conatus sum ostendere quis sit in hoc toto negotio mentalis itineris ad DEVM, ordo rerum, operationũ, & actuum internorum.

Nõ omnes per rectã & breuiorẽ viam deducti fuêre.

At verò alij reperiuntur, qui aliam viam insectantes, nequaquam per rectã breuioremque viam deducti fuêre, sed potius pluribus annis per sinuosas meditationum, vitæque actiuæ exercitiorum

rum ſemitas, anfractus, & non neceſſarios ambages detenti, minimè de hiſce rebus cõuenienter fuerunt edocti, quatenus ad illa ſe diſponerent, ac diuinæ tractioni liberè ducendos ſe traderent: ſed experti alicuius Directoris conductu, qui eos melius inſtruere potuiſſet carentes, non exiguam temporis fecêre iacturam.

Deindè alij adhuc ſunt, qui ab ipſo initio per ſolùm amorem rationalem in hac via perſeuerare coguntur, id eſt, intrà proprij conatus limites tantùm, abſque fruitiui amoris experientiâ, aut actibus ab infuſione diuinâ prouenientibus, ſed ſolùm magnanimi generoſaque reſolutione, diuinâ voluntate ſunt contenti. Quin etiam nonnulli ſunt ex ijs qui per amatiuam, aut tandem per aliam quamcunque viam ducti fuêre, qui vt ad hunc ſeparationis animæ & ſpiritus gradum perueniant, ſiue DEVS per vim eos ab exercitiorum proprietate, aut propriâ actiuitate abſtrahere cogatur, ſiue aliâ de causâ, qualitercumque id fiat, contingit vt ijs quodcumque Meditationis, aſpirationis, aut affectuoſæ eleuationis exercitium, ari-

Cùm al quibus durius agitur antequã in ſpiritum admittantur.

dum insipidumque videatur; ita quod, vbi per amorosam inclinationem ad DEVM vlterius progrediendum esset, reperiunt omnem conatum proprium, omnem operationem & expressionem desideriorum sensim impediri, displicere, & sui præsentis status dispositioni nullatenus correspondere.

Tales igitur, eò, quò talis nouitas eos ducere cupit, cum omni serenitate mẽtis vt incedant, oportet, omnibus viribus conando, vt sub tali diuino beneplacito pacem & quietem cum omni mentali submissione conseruent, in contrarium licet fortiter à naturâ impellantur. Hic enim locus est & tẽpus, vbi subtiliter mutationi, quæ clàm in huius difficilis transitûs obscuritate fiet, cooperandum erit; ab esse & operari secundùm naturalem & inferiorem partem: ad esse & operari secundùm spiritum transitum faciendo, qui hic succedere vult & de facto succedet, si anima bene instructa locum illi fecerit. Dico (clam) & in ignorantia, quia anima nullomodo rationem, ad quid, aut vnde res eiusmodi procedat videre potest, solùm modo hunc benè durum esse-

effectum, vndecumque tandem causam habere possit, experitur, id quod aliud nihil est, si bene intelligatur, quã partis inferioris in sua operatione cessatio, quam in hac via DEVS, per ariditatem, atque angustiæ compressionem habere vult, quod per alteram viam, per excessum vocabam, eo quod ibi per abũdantiam & diuinæ tractionis in spiritum efficacitatem potissimum fieret, quod absque tantâ angustiarum animaduersione natura negligeretur & prętergrederetur. Hic verò per meram penuriam & priuationem, in magno miseriarum & paupertatis experimento peragitur, ita quod iam ex hoc nunc, & antè primum in spiritum superiorem ingressum, hâc DEVS vtitur occasione, vt in tali animâ rigorosæ Priuationis partem aliquam operetur, quam totam simul inferius cap. X. describemus, & propterea quæ ibi de diuisione animæ ac spiritus, cum sequentibus, dicentur, ijs quoque nũnc seruire poterunt, qui per has molestias deducuntur.

Qui ergo hunc asperiorem in se statum experiẽtur, dum nihil aliud quam DEO placere, eius amorem possidere,

eique plenam animæ suæ potestatem dare desiderant, scilicet quod interim dum Meditationum & aspirationum exercitia continuando, maiorem feruorem, desiderium aut quietem inuenire sperant, ecce omnis eorum conatus, actiuitas, & industria impedietur, & vlterius progrediendo sese magis, magisque fluctibus angustiarum, fastidij, ariditatis, auersionis, displicentiæ, & similium inuolui reperiunt, hi inquam eiusmodi omnia generosè & pacificè amplectantur & admittant, seseque per medias similes dispositiones confidēter deduci patiantur, certò credentes summâ se affici gratiâ, cum in his gradibus eiusmodi dignantur operationibus, essetque summum incommodum si talia diuina secreta non penetrando, huius viæ cursum impedirent, ad dictamen talis diuinę voluntatis minimè se conformando: etsi experti alicuius Directoris defectu, huic statui id applicarent, quod antea de primo in hanc eleuationem introitu loquendo docuimus. Nam etsi tantoperè ibi cessationem ab operatione secundū conatum proprium dissuaserimus, &

quod

quod primâ facie nemo magis sibi contradicere videri possit, quã loqui prout hic gradus, præsensque status deinceps requirit, respectu eorum quæ tam multis verbis antea reprobauimus: vtrumque tamen verissimum, & suo tempore obseruatu necessarium est, hîc siquidem ad salutem & profectum faciet, quod ibi ad ruinam & retardationem fuisset; hîc enim est modum vnum operandi vt alteri detur locus, deserere. est in eâdẽ animâ duarum extremitatum pugnam experiri, finem scilicet operationis humanæ; & principium alterius superioris ordinis. Est naturæ & partis inferioris aut sensibilis, cum totâ suâ operandi ratione, excessus & interior prætergressio, vt spiritui qui succedere, & sibi conformem agendi modum secum adducere cupit, locus detur, & anima quæ vtriusque est subiectum, non ita facilè hisce nouitatib. accomodare se potest. Hinc enim oritur quod ex vnâ parte se plene satisfactam, ex alterâ verò male contentam sentiat, quod ex vnâ parte velit in silentio diuinum beneplacitũ sequi, intereà verò quippiam in se submurmurans & ad quærelas procliue; at

verò,

hæc superiora eleuata sit. Ideò necesse erit vt hic aliquamdiu, cum internis industrijs & operationibus huic medię Regioni conformibus, moretur quæ verè quasi inexplicabiles sunt; nam initiò exiles admodum & quasi nullius apparentis entitatis videntur: nihilominus ita reales viuidę & efficaces, animamque ita vigilem & agilem tenentes, vt seipsam mirari satis nequeat, videre se in tam subtili, exiguo & silentioso operādi genere versari, & nihilominus ab omni Imaginatione, discursu, labore, ac denique ab omni inferiori genimine liberam, & super omnia ab omni corporis grauedine, terrenæque inclinationi, quæ naturam inferiorem indiuiduè comitatur, alienam; hinc vt validum, certumq;, de huius tam quieti status nobilitate, testimonium accipiat, veritatemq; eorum inueniat, quæ
pag. 122. in Monito Quintò partis primæ dicebamus: nunquam nos perfectiùs à naturalibus imperfectionibus liberari posse, nisi tunc cum ipsâ Naturâ interius proculcatâ, inueniemur eleuati & operantes secundùm potentias superiores.

Suis

Suis nihilominùs difficultatibus nō carebit hic ſtatus, maximè verò in initio, in eo quod anima deſiderio plena, ad nihil tamen adhuc, quod illud ſatiet peruenire valeat, neq; ſciat quid ei deſit, aut quid arripere debeat, vt promouere ſeipſam poſſit, quia licet deſiderio ſemper creſcens, illud tamen exprimere, vel actus inde efformare nequaquam pro voti ſui magnitudine valet, etſi adhoc efficiendum conari vellet: hoc ipſum extra diuinæ voluntatis internæ ordinem foret, ſuo adhuc proprio, inferiorisque partis modo (qui tamen omninò negligendus eſt) vtendo. Aliundè verò cum ſolâ illâ tam exili, & nondum apparente entitate ſpiritûs contēta manere, timet ne de inerti otio argui poſſit. Etſi enim copioſum diuini tractus auxiliū, eam totam aliquamdiu repleat: illud tamen poſteà minuitur, & quaſi ſola tota, in tam incognito adhuc ſtatu relinquitur, dubia fortè an nō iuxtà priores conatus cooperari, & ſeſe iuuare debeat. Hoc enim non ignorandum eſt, diuinam inactionem ordinariè eſſe, quæ nouum detegere ſoleat gradum, & ad eum animam euehere,

ipsam ex suæ efficacitatis præstantiâ congruenter illi statui operantem efficiendo, simulque ex redundantiâ talis experientiæ modum ostendendo, quo se in suâ operatione habere debeat; Deinde diuina eiusmodi efficacia minuitur, vt se anima cum seipsâ dumtaxat sensim reperiat, satis anxiè cogitans, possitne securè, sine maiori conatu, & crassiori violentia, quam sibimet inferre debeat, talem vacuitatem & operationis carentiam pati. Neque enim exigua est illi Mortificationis occasio, ita in exspectatione hærere, suique iuuandi copiam nullam habere, cui omnis mora amara nimis est, & perquam molesta. Sed hinc est quod discere debeat quia *Non volentis neque currentis sed Miserentis est Dei.* & quod magna sit illi in his statibus spei, fidei, & amoris necessitas; non quidem ampliùs, vt antè, actiuè talium virtutũ actus producendo; sed quasi passiuè illas retinẽdo, sine actibus elicitis amãdo, sine spe formata sperando, & sine cognitione his obscuris rebus assentiendo. Et licet quandoq; præ carentia diuinæ inactionis inanitati proxima sibi videatur, iter tamen

tamen istud hoc modo prosequi nō dubitet, sed potius nouum hunc viuendi modum, huic mediæ Regioni congruū addiscere studeat, [illegible] anteà inferiorum statuum difficultatibus sese accomodare conata est. Experientiâ enim inueniet quod tandem in progressu frutiones ineffabiles, ac interdum etiam priuationum vicissitudines recurrere non cessabunt, & quod, quæ in inferioribus relictæ fuerunt operationes, hic incredibiliter meliùs secundū spiritum recuperantur. Tempore verò Priuationis hoc experietur quod licet omni motione diuinâ vacua, sibi ipsi tota relinquatur, non tamen ita dmisse ampliùs descendet, vt iterum intra naturam inferiorem deueniat, siquidem ipsa inferior portio exclusa, & quasi infrà sepulta, foris manere cogitur, & anima tota intra latitudinem statûs huius mediæ Regionis, eleuata perseuerat. In quo tandem statu, ita diuinâ inactione ac amorosâ fruitione repletur, vt modum etiam cooperandi, huic statui cōuenientem, addiscere facilè possit, vlterius semper progredi contendens.

Et ecce quomodo nonnulli à DEO du-

Cõclusio & quasi breuis recapitulatio omniũ præcedentiũ

cuntur vt ab inferioribus ſtatibus ad diuinum vſque ſpiritum (in cuius iam limine cõſiſtimus) euehantur, ij ſcilicet qui ab ipſis princi[illegible] benè in hiſce ſemitis edocti, minime craſſioribus Meditationibus, moraliſque virtutis exercitio cum proprietate adhærentes: rectè ſecundum huius viæ myſticæ naturam inſtructi, vlterius ſemper ad Deum progreſſi ſunt. In quo quidem nonnunquam per veram diuinæ inactionis experientiam, veram realemq; introuerſionem, & fruitiui vtcumque amoris ſtatum, deguſtarunt, quem ipſis DEVS pro modulo illius, ad quem euecti erat gradus, cõmunicauit, ipſos veram ſenſuum abſtractionem, tãquam propriam eiuſmodi realis & experimentalis introuerſionis effectum docendo; vnde & ſic omnia monita, graduſue antehac deſcriptos leuiter breuiterque prætergreſſi, plures interim priuationes, obſcuritates, humiliationes, triſtitias, alioſque tales anfractus tædioſos experti ſunt. ex eis tamen celerius reſurgendo, ex quo ipſi per monita ſuperius tradita, id maximè vtile eſſe progreſſumque promouens intellexerunt; &

ideò

ideò rursus ad faciliores, & fruitiui amoris operationes reuertuntur, quæ semper magis magisque subtiliores efficiuntur; statusque pacificæ Recollectionis in melius semper prouehitur, pro vt priuatio, amarusque præcedens status, fundũ interiorem dispofuit purgauit, & clariorem effecit. & his monita à cap. 4. huc vsque tradita deseruire poterunt; nec si in his dilucidãdis diutius hæserimus, mirum videri debet. Sunt enim (vti iam anteà monuimus) qui non ità citò à gratiâ Diuinâ præueniuntur, vt tam facilè ad veram & realem introuersionem admittantur, sed diutius secundùm naturalem spiritum suum operari, & sese iuuare coguntur. Et horum gratiâ factum est, quod hæc supradicta tã multis explicare studuerimus. Sic enim fiet (vti speramus) quod tantò breuior in praxi fiet in illis mora, quò melius ea fuerint, & latius explicata. Si enim per ea quæ dicta sunt modus & ratio se habendi, clarè fuerit perspecta, abusus verò & incommoda vitata: eò quispiam in illis supergrediendis breuior erit, quò ego in illis rectè explanandis longior fui. Alioqui

non sum ignarus aliquos esse, qui tam multis documentis non indigent, cùm citiùs multò (vt iam aliquoties monui) ad Diuinam præsentiam eleuētur. Item alios scio extare qui vnà cum Meditatione simul etiam absque tantâ distinctione rerum, omnes alios sequentes gradus, ad hanc vsque spiritûs & animæ diuisionem quasi imperceptibiliter exercuerunt; Ita vt hi similiter cum tot monitis à cap. 4. datis non est necesse quod se torqueant: sed potiùs ad ea quæ in hoc capite dicuntur aduertere debent. Verùm cùm non illis tantum: sed multis etiam alijs prodesse cupiuerim, qui diutius per viam detinentur. Ideò methodicè quantum fuit possibile procedendo, pedetentim ita, & per gradus, animam ab infimis ad suprema deducendo, conatus sum ostendere quis sit in hoc toto negotio mentalis itineris ad DEVM, ordo rerum, operationū, & actuum internorum.

Nõ omnes per rectã & breuiorẽ viam deducti fuêre.

At verò alij reperiuntur, qui aliam viam insectantes, nequaquam per rectā breuioremque viam deducti fuêre, sed potius pluribus annis per sinuosas meditationum, vitæque actiuæ exercitio-

rum

rum semitas, anfractus, & non necessarios ambages detenti, minimè de hisce rebus cõuenienter fuerunt edocti, quatenus ad illa se disponerent, ac diuinæ tractioni liberè ducendos se traderent: sed experti alicuius Directoris conductu, qui eos melius instruere potuisset carentes, non exiguam temporis fecêre iacturam.

Deindè alij adhuc sunt, qui ab ipso initio per solùm amorem rationalem in hac via perseuerare coguntur, id est, intrà proprij conatus limites tantùm, absque fruitiui amoris experientiâ, aut actibus ab infusione diuinâ prouenientibus, sed solùm magnanimi generosaque resolutione, diuinâ voluntate sunt contenti. Quin etiam nonnulli sunt ex ijs qui per amatiuam, aut tandem per aliam quamcunque viam ducti fuêre, qui vt ad hunc separationis animæ & spiritus gradum perueniant, siue DEVS per vim eos ab exercitiorum proprietate, aut propriâ actiuitate abstrahere cogatur, siue aliâ de causâ, qualitercumque id fiat, contingit vt ijs quodcumque Meditationis, aspirationis, aut affectuosæ eleuationis exercitium, ari-

Cùm aliquibus durius agitur antequã in spiritum admittantur.

non sum ignarus aliquos esse, qui tam multis documentis non indigent, cùm citiùs multò (vt iam aliquoties monui) ad Diuinam præsentiam eleuētur. Item alios scio extare qui vnà cum Meditatione simul etiam absque tantâ distinctione rerum, omnes alios sequentes gradus, ad hanc vsque spiritûs & animæ diuisionem quasi imperceptibiliter exercuerunt; Ita vt hi similiter cum tot monitis à cap. 4. datis non est necesse quod se torqueant: sed potiùs ad ea quæ in hoc capite dicuntur aduertere debent. Verùm cùm non illis tantum: sed multis etiam alijs prodesse cupiuerim, qui diutius per viam detinentur. Ideò methodicè quantum fuit possibile procedendo, pedetentim ita, & per gradus, animam ab infimis ad suprema deducendo, conatus sum ostendere quis sit in hoc toto negotio mentalis itineris ad DEVM, ordo rerum, operationũ, & actuum internorum.

Nō omnes per rectā & breuiorē viam deducti fuêre.

At verò alij reperiuntur, qui aliam viam insectantes, nequaquam per rectā breuioremque viam deducti fuêre, sed potius pluribus annis per sinuosas meditationum, vitæque actiuæ exercitiorum

rum semitas, anfractus, & non necessarios ambages detenti, minimè de hisce rebus cōuenienter fuerunt edocti, quatenus ad illa se disponerent, ac diuinæ tractioni liberè ducendos se traderent: sed experti alicuius Directoris conductu, qui eos melius instruere potuisset carentes, non exiguam temporis fecêre iacturam.

Deindè alij adhuc sunt, qui ab ipso initio per solùm amorem rationalem in hac via perseuerare coguntur, id est, intrà proprij conatus limites tantùm, absque fruitiui amoris experientiâ, aut actibus ab infusione diuinâ prouenientibus, sed solùm magnanimi generosáque resolutione, diuinâ voluntate sunt contenti. Quin etiam nonnulli sunt ex ijs qui per amatiuam, aut tandem per aliam quamcunque viam ducti fuêre, qui vt ad hunc separationis animæ & spiritus gradum perueniant, siue DEVS per vim eos ab exercitiorum proprietate, aut propriâ actiuitate abstrahere cogatur, siue aliâ de causâ, qualitercumque id fiat, contingit vt ijs quodcumque Meditationis, aspirationis, aut affectuosæ eleuationis exercitium, ari-

Cùm al quibus durius agitur antequã in spiritum admittantur.

dum insipidumque videatur; ita quod, vbi per amorosam inclinationem ad DEVM vlterius progrediendum esset, reperiunt omnem conatum proprium, omnem operationem & expressionem desideriorum sensim impediri, displicere, & sui præsentis status dispositioni nullatenus correspondere.

Tales igitur, eò, quò talis nouitas eos ducere cupit, cum omni serenitate mẽtis vt incedant, oportet, omnibus viribus conando, vt sub tali diuino beneplacito pacem & quietem cum omni mentali submissione conseruent, in contrarium licet fortiter à naturâ impellantur. Hic enim locus est & tẽpus, vbi subtiliter mutationi, quæ clàm in huius difficilis transitûs obscuritate fiet, cooperandum erit; ab esse & operari secundùm naturalem & inferiorem partem: ad esse & operari secundùm spiritum transitum faciendo, qui hic succedere vult & de facto succedet, si anima bene instructa locum illi fecerit. Dico (clam) & in ignorantia, quia anima nullomodo rationem, ad quid, aut vnde res eiusmodi procedat videre potest, solùm modo hunc benè durum

effe-

effectum, vndecumque tandem causam habere possit, experitur; id quod aliud nihil est, si benè intelligatur, quã partis inferioris in sua operatione cessatio, quam in hac via DEVS, per ariditatem, atque angustiæ compressionem habere vult; quod per alteram viam, per excessum vocabam, eo quod ibi per abũdantiam & diuinæ tractionis in spiritum efficacitatem potissimum fieret, quod absque tantâ angustiarum animaduersione natura negligeretur & prętergrederetur. Hic verò per meram penuriam & priuationem, in magno miseriarum & paupertatis experimento peragitur, ita quod iam ex hoc nunc, & antè primum in spiritum superiorem ingressum, hâc DEVS vtitur occasione, vt in tali animâ rigorosæ Priuationis partem aliquam operetur, quam totam simul inferius cap. X. describemus, & propterea quæ ibi de diuisione animæ ac spiritus, cum sequentibus, dicentur, ijs quoque nũnc seruire poterunt, qui per has molestias deducuntur.

Qui ergo hunc asperiorem in se statum experiẽtur, dum nihil aliud quam DEO placere, eius amorem possidere,

quod primâ facie nemo magis sibi contradicere videri possit, quã loqui prout hic gradus, præsensque status deinceps requirit, respectu eorum quæ tam multis verbis antea reprobauimus: vtrumque tamen verissimum, & suo tempore obseruatu necessarium est, hîc siquidem ad salutem & profectum faciet, quod ibi ad ruinam & retardationem fuisset; hîc enim est modum vnum operandi vt alteri detur locus, deserere. est in eâdẽ animâ duarum extremitatum pugnam experiri, finem scilicet operationis humanæ; & principium alterius superioris ordinis. Est naturæ & partis inferioris aut sensibilis, cum totâ suâ operandi ratione, excessus & interior prætergressio, vt spiritui qui succedere, & sibi conformem agendi modum secum adducere cupit, locus detur; & anima quæ vtriusque est subiectum, non ita facilè hisce nouitatib. accomodare se potest. Hinc enim oritur quod ex vnâ parte se plene satisfactam, ex alterâ verò male contentam sentiat, quod ex vnâ parte velit in silentio diuinum beneplacitũ sequi, intereà verò quippiam in se submurmurans & ad quærelas procliue; at

verò

verò pars illa contradicens negligenda est, eique nullatenis adhærendum, sed insuper cauendum ne lamentationes eius & querelæ, immò nec ipsius ad DEVM preces vel inuocationes exprimantur. Sed vacans & absque operatione infrà relinquatur, vt spiritu adhærendo, meliùs in illius inferioris mortem & proculcationem consentiatur, cum verè in obliuione & insensibilitate debeat ita infrà sepeliri. Verùm quidem est quod sic homo totus & totaliter in istis morosis statibus absorbetur & immergitur: vt vix illa duo tam facilè distinguere possit. Nam eo vsque progreditur quod nec videre nec sentire, cogitare aut concipere quicquam aliud possit præter id, quod ita miserũ in se experitur. Vnde etiam non aliud datur mediũ quam idipsum modo quodam passiuo & admittere & tollerare, in illo vnico Nunc quietè consistendo. Internos oculos vel attẽtionem suam, nequaquã suprà vel infrà, ad dextrã vel sinistrã, vt aliud quid quæratur flectẽdo. Sed de hoc quod præsenti momento in se existit, naturâ licet reclamante, se contentando, sicque DEVM laudando,

non

non per actus expressos: sed realiter & de facto; omni alteri suggestioni oculos & aures claudēdo, vt ij, subtilis mentis penetratione, aperiri possint certissimæ exspectationi alterius alicuius nobilioris operationis, secundùm spiritum venturæ, quæ sensim succedet, cùm ista inferior portio in insensibilitate & in non operari relinquetur. Et hic verè est, vbi fides & cōfidentia, fortisque in DEVM amor comprobandus est, in eo, licet nos occidere velit, fortiter sperando. Tres siquidem illæ Theologicę virtutes, quę priùs actiuè in praxim reducebantur, hoc in casu passiuè tantùm retinendæ erunt. Anima enim ad solùm huius inferioris partis sentimentum mortis redacta, sibimet grauis & onerosa, ad morositatem & similes prauas dispositiones procliuis, minimè de DEO in bonitate vel amorosa inclinatione sentire potest. Potius è contrà, nil præter fastidium, auersionem, blasphemiam &c. experiri potest. Est enim ad hoc ipsum iam peruenire quod ca. 5. dicebamus animam debere in hac viâ emori secundùm illud esse proprium & naturale, quod extra DEVM per conuersio- pag. 221

uersio-

uersionem ad Creaturas acquisiuit, vt vitam quæ secundùm spiritum est, addiscat.

Et ideò vt ij, qui hâc gradientes, ne quid damni accipiant aut timore concutiantur ab illis quę suprà cap. 5. diximus, ad id quoq;, quod ibi tam expressè repetitum est, vt aduertant velim, quod scilicet pro primo illius temporis initio, & pro primo in Eleuationis viam ingressu foret, quod silentium illud, quies, aut operandi cessatio plurimùm nocerent, Et quod ideò esset ne anima adhuc Tiruncula, & vix huius vitę Interioris vestibulum ingressa, per huiusmodi vacuitatem in inferiori naturali statu, cum periculo nunquam ad spiritum vsque pertingendi, retineretur. At quod alioqui verus esset cæterorum sequētium statuum modus, in quibus tunc foret necessarius propter appropinquationem & vicinitatem nimiam spiritus, quæ omnia sic fuerunt ibi dicta propter ea quæ hic contingere solent. Vti iam diximus, & adhuc postea dicemus circa finē rigorosæ illius priuationis cap. 10. Vbi post labores & ærumnas in inferiori parte tolleratos, denuò

denuò ijdem anfractus & angustiæ secundùm diuisionem illā animæ ac spiritus reperiuntur, sed ijs tantò faciliores tunc superatu, quantò melius ipsi iam hic antè, semel easdem fuerint experti.

Verùm quid sibi vult operari secundùm interiorem dispositionem, siue, prout præsens status requirit? Quid item gerere se modo operationis diuinæ in nobis correspondenti? de his enim ambobus frequens suprà mentio facta est.

AD *primum* respondeo, Quòd, sicut diuersi sunt gradus animæ, ita diuersi quoque sint status interiores, ac diuersa dispositio, in quâ quis est cõstitutus. Aliquando sola saltem imagitio crassior ac tota exterior viuit ac viget; & tùm omni quasi sentimento suiipsius destitutus homo, ac planè extrouersus, circa res friuolas & impertinẽtes errat ac vagatur. Secundò sentit aliquem appetitum sensitiuum, ad desiderandum res internas, cui imaginatio melior *Diuersi gradus animæ.*

melior & recollecta respondet: Tertiò, appetitum rationabiliorem, qui proprijs discursibus & cóceptionibus, disserere potest de rebus diuinis, gratiâ diuinâ adiutus. Quartò, appetitũ simplicem & intellectualem, tum cùm anima simplificat visum suum internum ad solùm quendam scopum praesentiæ diuinæ, quamuis absque actuali supereminenti eleuatione, sed potius cum fruitiuo Amore seu experimentali amorosâ inactione diuinâ. Quintò, appetitum Deiformem, ac intelligentiam à diuino lumine penitus informatam. Sextò, cõsummationem, abyssum, & immersionem in esse diuino. Ac secundùm omnes hos gradus, reperire etiam licet in viâ interiori diuersas dispositiones, status, atque modos. Pone iam calculum, & disputa, num, postquam has semitas ingredi cœperis, tam breui compendio votis tuis potiri possis, & vtrùm non probè munitus & armatus sis oporteat, ad tot diuersa statuum ac dispositionum, laborum atque priuationum excipienda tela? Nam si, verbi gratiâ, hodie ad dictamen secundi gradus me componam, isque mihi

bonus

bonus videatur, quia facilis, cras fortaſſe reuerſus ad primum, nihil efficere potero, cùm ſpiritus meus alijs ad rem nō facientibus impertinentijs occupetur. Vel certè DEVS ad tertium gradū me vocaturus, diſpoſitionem meam ac modum operandi mutabit; ac ego ignarus, primum meum modum, qui bonus videbatur, mordicus retinere conabor; Rurſus, veniens ad tertium, cùm me, de rebus iſtis facilè fortaſſis ac feliciter differere videā, ſentiamq; me non leui deſiderio ac magna inclinatione eò ferri; arbitrabor me eò vſq; profeciſſe, vt iā in oſtij limine cōſiſtere videar, nihilque ampliùs, niſi actualem infuſionem mihi deeſſe, ac ideò aduentantem eam magnâ exſpectatione obſeruabo. Interim verò nondum animaduerto, totum iſtud, quod habeo, à proprio adhuc conatu prouenire, in meo duntaxat eſſe naturali, adiutus licet ordinariâ gratiâ diuinâ, ac propterea ad percipiendum deſiderij mei effectū craſſus nimiū adhuc & rudis. Sed progrediens ad quartum, aſſuetus forſan actiuitati præcedenti, tam citò comprehendere nō potero, quomodo ea debeat ſimplificari, & hu-

& humiliter deprimi, vt hac dispositione infusioni diuinæ aptum me reddam, & sic perturbabor, modum, ad quem amplectendum me inuitari deprehendo, non sequi ausus. Iam verò quiuis gradus in suo genere bonus est, & quamquam quartus vel quintus saltem dispositionem magis immediatam, ac cæteris præcedentibus meliorem conficiant, nihilominus vbi præsens meus status alijs primis potiùs atque istis fuerit conformis, necesse est vt in propria meâ capacitate, ac dispositione, quæ mihi nunc inest, etiam in conatu & cooperatione, quam potero præstare, conquiescam. Nam, sicut etiam suprà dictum, desiderium quantumuis maximũ, diuinę voluntati subordinatum sit oportet: & possum ego DEO æquè placere & gratus esse, si iuxta primos gradus in pace ac prout dispositioni meæ conuenit, operer, quàm si propriâ voluntate, nec sine confusione ac violentiâ ad regulam aliorũ eminentiorum componere me velim. Diuina enim voluntas omnibus rebus anteferenda est, eique soli omni curâ studioque satisfaciendum, imò longè ma-
iori

iori, quàm omni iudicio, induſtriæ & ſagacitati humanæ.

Cùm igitur Scriptores myſtici inter alia præcepta tradunt, quod actiuitas propria, diſpoſitionem immediatam diuinæ infuſionis impediat, quodque omnes diſcurſus, proprij conceptus, & actus à ſeipſo formati, ſint euitandi, à verò alienum nil dicunt, eoque certius nihil eſt: nihilominus autem, ſi ego, in ſecundo adhuc gradu conſtitutus, ad obſeruationem eiuſmodi documenti, quod ad quartum pertinet, me ſim compoſiturus, quid aliud inde ſequetur, quàm propria operatio, immò pura, quam effingere mihi potero, imaginatio, non verò quicquam reale & verum? Omnia igitur maturè ſunt intelligenda, & quorum temporum ac ſtatuum vſui ſingula documenta fuerint tradita, probè diſcernendum. Niſi enim hæc cautela adhibeatur, fieri non poteſt, quin plurima caligo intelligentiam bonorum præceptorum, quæ ſcriptores myſtici libris ſuis nobis conſignarunt, occupare ac obſcurare poſſit.

Termini ſpirituales quomodo debeant intelligi.

Ad ſecundum reſpondeo: Quòd, ſicut operatio diuina in nobis regula ac norma

Operatio diuina in nobis regula nostra est.

ma est, ad quam nostræ operationes dirigi debent; ita omnis quoque noster conatus ad eam referendus & conformãdus sit, vt mutuâ inter has duas harmoniâ, optimoque consensu intercedente, debito loco & ordine inuicem consistere possint, dum altera viam alteri sternit, & hæc altera illam priorem supra capacitatem eius euehit, & consequenter informat ac docet modum, quo sic debet eleuari, vt ad eum in suâ cooperatione sese accommodare, ac diuinam pro virili imitari possit. Quia igitur huius diuinæ infusionis ea excellentia est, vt supra omne naturale nostrũ esse nos attollat, cùm proprius conatus noster nos intra limites propriæ operationis, & in nobis perpetuò relinquat, ita omnis etiam industria nostra, sic in praxin reducenda est, vt diuinam attractionem non offuscet, verùm eo modo habeat locum suum, vt sub eâ, & eâ tamen manente, nihil diuinæ communicationis possit obuenire, quin aduertere ac percipere possimus, parati, proprio modo derelicto, efficaciam diuinæ attractionis prompto pede sequi. Omnis enim operatio

Attractiones Dei non sunt nobis offuscandæ.

nostra,

noſtra, à naturali & humano conatu profecta, eius excellentiæ ac dignitatis non eſt, vt fruitionem DEI ſibi conciliare mereatur; Sed ad diuinã eius communicationem pertingimus, per infuſionem ſpiritûs & amoris ſui in nobis: illa verò infuſio adeo ſuauiter temperata ac diſpoſita eſt numero, pondere ac menſurâ, vt id omne cum fideli noſtrâ cooperatione, ac liberi arbitrij conſenſu conueniat. DEVS enim, qui nos nec cogere, nec miracula edere cupit, operatur omnia ſuauiter, vt meritum noſtrę cooperationis nobis integrum maneat; de quâ cooperatione vt anima iã pleniùs inſtruatur; neceſſe eſt ei ceſſationem à craſſiori ſuo conatu inculcari, ac loco ſtrepitûs & motûs, cui aſſueta etiam porrò ſemper eſſet adhæſura, ſilentium & quietem, quantum ad hunc operãdi modum, perſuaderi. Nam profectûs ſui cupida, ac in generoſâ proſecutione, quam initiò ſtatim ei iniunximus, conſuetudine ac vſu firmata, induci vix poterit, vt credat, hanc mutationem in bonum eius ceſſuram. Veruntamen cùm iſta proprij conatus abdicatio non ſine ordine ac modo ſit ex-

Cur perſuadeatur animæ ſilentium interius.

ercenda, sed opportunè, & iuxta pulchram harmoniam atque consensum cum operatione diuinâ, cedendo tunc cùm tempus postulat, & cōtrà retinendo aliquid de hoc conatu suo, quando interna dispositio id requirit; opus est, vt habitâ quisque sui curâ, propriâ experientiâ huius rei vsum sibi comparare conetur.

DE PRAESENTIA DEI IVXTA modum mysticum, quæ est communicatio, quam DEVS *de seipso impertitur, per infusionem sui spiritus in supremam portionem animæ.*

CAPVT IX.



AM ecce peruenimus ad montem Domini, ad tabernaculum & regionē DEI Iacob, qui præcedenti statu exorsi eramus descriptionem tam pulchræ ac iucundæ regionis, eiusque diuitiarum & opum, quarum est ferax & abundans: Eleuatio nihilominus Intel-

Intellectualis, cum suis illustrationibus & alijs gratijs diuinis, de quibus suprà in fine cap. 7. nil fuit quàm suburbiũ quasi spiritualis huius terræ, quicquid enim ibi anima obtinuit, industrię suæ studio consecuta fuit, quamuis auxilio diuino præuenta & promota; vnde etiam vlteriùs progredi non potuit, nisi ad ianuam principalium communicationum, ac operationum infusarum; Ex quo verò iam in præcedenti capite, ab illâ diuisione animæ ac spiritus initium fecit infusiones intelligentiæ & amoris experiendi; Et quod hic finaliter, vltrà præcedentes centrales fruitiones amoris, iam spiritus eius in DEI spiritum sese abscondere poterit, in sublimiori quadam eleuatione mentis, quam in Regionem Deiformem, id est, supremam sui portionem experitur; in qua tanquàm in abscondito faciei suæ immergere se potest à conturbatione hominum; quis vllâ vnquam eloquentiæ vi poterit explicare delicias, iucunditates, & animi solatia, cumulum denique felicitatum, quas spiritus diuinus in hoc statu secum fert? Et hæc certè diuini spiritus Regio, vera ter-

Status animæ eleuatur tandem in Spiritum Diuinum.

Psal. 67 *Mons Dei, mõs pinguis, mons, in quo beneplacitum est Deo habitare in eo.*

terra promissionis spiritualis est, melle & lacte abundans, adeoque exuberans. Hæc vera animæ patria est, vbi sua ei libertas ad omne opus bonum in omni plenitudine redditur; patria, inquã, adeò magna, larga, ampla, & adeò spatiosa, vt limites naturæ inferioris, ambitus sphæræ & capacitatis intellectûs naturalis, cum enormi vastitate, amplitudine & extensione, quæ in hoc statu cernitur, quem Regionem Diuini spiritûs appello, comparati propemodum euanescant. Quòd si patriæ huius tanta pulchritudo, si hæc regio tam est diuina, quantæ & quales erunt deliciæ, & recreationes, quæ alimenta & epulæ, qui cœlestes cibi, quibus incolæ refecti satiabuntur? Eorum vnus, qui delicias
Psal. 85. illas olim gustauit, ait, quòd *Melior est dies vna in atrijs Domini super millia:*
Ps. 117. Et, *quòd vox exultationis & salutis, in tabernaculis iustorum.*

Continuaturi igitur viam nostram, percurramus etiam aliquantò longiùs verticẽ huius montis, explicemus præsentiam Spiritûs diuini, & fruitionem sanctæ eius operationis in obscuro lumine gratiæ, declaremus conditiones huius

huius ſtatus, quomodo DEVS ſe ibi manifeſtet, communicet, ac verâ experientiâ cognoſci faciat; quomodo hæc cognitio ſit planè diuina, ſupernaturalis, & infuſa; amor admirandus, pleno ſuo vigore, ac modo omnium, qui deſiderari poſſit, delectabiliſſimo conſpicuus. Vtque totum commodiùs clariuſque intelligatur, coniungamus hunc ſtatum cum præcedente, vt ordo & ſeries harum operationum conſpiciatur. Neque enim parùm præſtiterit, qui animi ſui ſenſa clarè ac dilucidè explicare poteſt. Anima igitur, adiuta gratiâ diuinâ, in præcedentibus exercitijs aſpirationis & eleuationis tot labores ſuſtinuit, tot moleſtias in ſuperandis quibuſcumque difficultatibus pertulit, modum diuerſis caſibus occurrendi, & ab omni multiplicitate ſe alienandi ita feliciter apprehendit, tam firmum propoſitum concepit nec cogitandi, nec concupiſcendi, nec deſiderandi, nec quærendi, nec deniquè quicquam ſpirandi præter DEVM, vnicum ſuum bonum, theſaurum ſuum ſolum, ac totum ſuum, vt tandem internum ſuum ſtatum indies magis magiſ-

Continuatio via ad Deum ordine.

que purificari, & quotidie intimiorem, subtiliorem, & ab omni inferiori Naturæ incredibiliter expeditiorem reddi cognoscat; sicut etiã ex parte affectiuæ partis, siue centri cordis fortior, amplior & minus arctata, stabilior, permanetior, immobilior, & pacatior, est recollectio, suo imperio quamcũq; aliam potentiam paullatim subijciens, eamque in se, in recollectione suâ adeò latè comprehendens, vt iam omnes præcedentes gradus & status infra relinquentur, eruntque deinceps de numero eorum, quæ interius sunt prætergressa; Siquidem in summitate Spiritus DEVS illi iam eleuationem quandam quæ & sublimitate, & subtilitate cæteras pæcedentes omnes longo antecedit interuallo, ostendit, in qua, operationem alijs omnibus illustrationibus, quæ præcesserunt, longè simpliciorem, subtiliorem, ac pacatiorem experitur. Neque enim illa originem suam trahit, nec vllum auxilium accipit à rebus auditis, visis, aut intellectis; sed à lumine quodam & operatione diuinitus infusa promanat, à qua ità illustratur, vt cognoscat, supra omnes præceden-

cedentes gradus, superesse adhuc aliam quandam contignationem, mansionem, siue regionem interiorem, multò sublimiorem, vbi DEVS longè subtiliori & inexplicabiliori modo se manifestat; & vbi sine ratione, discursu, vel labore anima ab attentione ad sensus exteriores aut interiores retrahitur, aliena ab omni formâ siue specie, alia quàm simplicissimâ quâdam operatione infusâ, quæ in statu pacis & quietis ab omni perturbatione, eam suaui attentione occupatam detinet, cæteris potētijs omnibus interim tranquillis, & in suum inferiorem ordinem, sub imperium huiusce supremæ portionis, absque vllâ molestiarum illatione, redactis. Porrò experientia & manifestatio huius nouæ rei, excitat in hac animâ partim stuporem, admirationem, & suspensionem; partim ingens desiderium etiamnum prosequendi, & planissimè acquirendi id, quod sic recenter ei est reuelatum. Attamen sicut proprium est operationibus internis, vt hominem in nouo statu, nisi post multas vicissitudines non stabiliant atque firment; ita hoc loco, quamquam

Diuersi gradus in animâ.

Multa vicissitudines subeuntur, antequam status interni fiat stabilitio.

anima experta fuerit id, de quo suprà, non tamen ad realem possessionem adhuc admittitur, nisi quòd nudam saltem impressionem, aliquando etiam actualem renouationem habeat diuinę huius operationis, simplificando, vniēdo, ac suspēdendo ad eius attentionem omnes discursus conatus, & ratiocinationes suas, tanquam eiusmodi cognitioni simpliciter infusæ non conuenientes; necnō ostendendo, quomodo, vt ad perfectam consecutionem huius rei perueniatur, anima infinitis modis agilior & intimior, & à regionibus inferioribus longè abstractior esse debeat: interim sufficit ei, hæc vidisse, ad attentionem, ac desiderium, suum acuendum, eleuandum, & accendendum. Nec enim prius desistet, quàm ad eius adeptionem peruenerit, prout etiam post aliquos vicissitudines vel priuationes ordinarias, mox votis suis est potitura.

Duo genera fruitionum.

Ideò primò sciendum est, duo esse genera notabilium operationum diuinarum, siue fruitionum inprimis excellentium, secundum duas principales potentias superiores animæ, Intel-

lectum

lectum & voluntatem. Nam primùm, antequam ad veri spiritûs superioris cognitionem veniatur, offert se fruitio amoris perceptibilis, per motus aliquos affectionis, quos anima nonnunquam in mediâ laborum anteà declaratorum obscuritate, percipere solet, vnde & plurimùm confortatur, & recollectio eius centralis dilatatur, vt in persecutione continuæ abnegationis suprà memoratæ non ita restringatur, ac coarctetur, sed liberior secundùm DEVM, & in cursu suo ad eum robustior euadat. Verùm sicut tenebræ spiritûs nondum sunt planè dissipatæ, ac disiectæ, nec internus visus ad hanc supremam DEI manifestationem adhuc penetrare potest; ita etiam nondum hos motus amoris erga verticem spiritûs, per relationem quandam directam & immediatam ad DEVM dirigere licet; sed permanent ita velut infusiones fruitiui amoris, nondum satis constans, ad quid referantur, nec etiam, quid sint, in quo ordine censeri, ad quẽ finem, vel etiam ad quam originem debeant reduci; donec, perseuerando semper in suo cursu versus spiritum,

Fruitio amoris perceptibilis.

tenebris paullatim disparentibus, offerat se tandem vertex & culmen istius montis diuini, vbi DEVS se reuelat, ac præsentiam suam per operationes, & effectus suos, prę omnibus autem per infusionem veri sui spiritûs diuini testatur, qui secũdus notabilis modus est fruitionis, ad Intellectum pertinens.

Manifestatio diuini spiritûs in fastigio animæ.

Et ita concessio atque receptio gratiæ, quæ verè ad hunc statum, à Præsentiâ diuinâ nuncupatum, pertinet, est tactus ceu inactio DEI in supremâ portione animæ, vbi ipsa nouo quodam esse diuino, ab actuali præsentiâ Spiritûs DEI, cum sanctâ suâ operatione concesso, induitur; qui animam hac suâ diuinâ communicatione adeò replet, vt eam ad actualem quandam experientiam attollat, illius modi, quo in DEO viuitur supra humanam rationem, longè profectò alio, quàm omni vi atque conatu nostro naturali possemus comprehendere; eamque informet ac doceat, vt posthac frequentes adeoq; perpetuas de DEO ac futurâ vitâ cogitationes concipiat, alio prorsùs modo, quàm vel à scientiâ, vel instructione humanâ eas potuisset haurire; necnon

Cognitiones, quæ ab experientiâ diuini Spiritûs dimanant.

hoc

hoc eam lumine perfundat, vt incipiat intelligere, quid sit nouus homo, creatus secundùm DEVM in iustitiâ & sanctitate, quandoquidem reuera incipiat regenerari per Spiritum sanctum, cuius hîc fit missio inuisibilis, quâ ipse in propriâ personâ datur, ait S.Thomas. Et quamquam hæc omnia nondum ita perspicuè & clarè intelligantur, vt statu postremo, vbi exactiori examine omnia discutientur; hæc tamen manifestatio spiritûs Diuini eam vim & efficaciam in animâ captiuandâ obtinet, vt nihil fortius aptiusque sit ad eam flectendam, ac DEO subijciendam. Nam vt primum ita tangitur vel mouetur, aliud non videtur posse aut velle, quàm vt pro virili amet, nisi vi magnâ & voluntariâ occupatione sensuum inde auocetur, ac interius suâ quadam caligine prorsus obduceret, dum nullam attentionem huic rei adhibere vellet. Idque tam admirabili simplicitate, supra omnem rationem, conatum, discursum & ratiocinationem transigitur, vt aliam rationem, quâ tantoperè permotam se sentiat, reddere non possit, quàm hanc spiritûs

D.Th.1. p.q.43.

Efficacia spiritûs diuini in nobis.

Operationes spiritus Diuini videntur esse absque nostrâ actiuitate.

Diuini manifestationem portioni suæ superiori actualiter à DEO esse infusam: & si, quid istius experientiæ vi secum ageretur, eloqui ei liceret, confestim esset dictura, hanc diuinam communicationem omnem purè esse infusam, nihilque præter receptionem & continuationem voluntariam cum reiterationibus actuum internorum, suum esse, siquidem cor suauiter potiùs se amore sentiat irretitum, & intellectus hac diuinâ infusione magis perfusum, repletum, & in ea immersum se agnoscat, quàm per seipsum agendo, amplectendo, & propriâ sponte apprehendendo: quandoquidem suopte Marte, tam beatum statum præsentiæ diuinæ nunquam ita efformare valeret; Hoc tamen interius iudicium cum doctrinâ Doctorum Ecclesiæ temperando; cùm operationes istæ proculdubio meritoriæ sint; & vitales, non possunt in nobis perfici absque nobis. Atque eam ob rem, quamuis principalem originem à gratiâ infusâ deriuent, homo isthoc casu passiuè se habens, pariter tamen cum hoc principio infusionis suam quoque actiuitatem habet ac efficaciam

caciam ſecundariam, & minùs principalem, immò etiam moralem, in liberâ cooperatione conſiſtentem, prout experientia quoque ſolet haberi compertum, quòd, ſi quis ſiue malitiâ ſiue nimiâ negligentiâ, ſpiritum impedire, nec cooperari, ſed alij rei ſe applicare vellet, facere id poſſet, niſi raptu vel extaſi aliqua inhiberetur. Dici etiam poſſet hæc ſuperior animæ portio, velut noua quædam interior regio, habitatio, ſiue manſio, larga, ampla, & latiſſimè extenſa, terminos ſiue limites non habens, recens animæ patefacta, in qua DEVS ſe illi communicat, & omnem libertatem ac propenſionem ad bonum concedit; ita vt facillimum iucundiſſimumque factu ei ſit, quod aliàs arduum, difficile & acerbum videbatur. Cæterùm ſic ego memet explico, vt illi, qui ſimplici experiētia hîc procedunt, abſque reflexione ſcientiæ alicuius, has operationes cognoſcere poſſint: alioquin enim auditis ſimplicibus terminis Scholaſticis, nunquam intellecturi eſſent agi de eo, quod experiuntur. Verùm experientiam cum terminis ſcientiæ coniungens ac permiſ-

Noſtra etiã aliqua actiuitas & efficatia eſt.

Spiritus diuinus generalẽ cognitionem de Deo infundens, ponit animam tãquã in amplâ quadam regione lucis Deiformis.

cens dico, quòd hîc sit vera gratia contemplationis & præsentiæ DEI, simplici intelligentiâ hîc exsistente in suâ operatione, actualiter informatâ à verbo interno cognitionis, imaginis, similitudinis, & repræsentationis diuinę, prouenientis à quodam principio gratiæ, quod animam eleuat, vt vnà secum tam felicem actionem diuinæ pręsentiæ, ac sui amoris simul producat.

D. Tho. 1. p. q. 43 art. 5. *Filius est verbum non qualecunque, sed spirans amorem.* Vnde August. lib. 9. de Trinit. D. Aug. lib. 9. de Trinit. *Verbum autem quod insinuare intendimus, cum amore notitia est. Non igitur secũdùm quamlibet perfectionem intellectus mittitur Filius, sed secundùm talem institutionem vel instructionem intellectus, quo prorumpat in effectum amoris.*

Ac re vera fruitio est illius rei, quam tanto ardore appetebat. Quòd si quis hanc operationem, inquantùm replet D. Tho. 2. 2. q. 80 ac illuminat intellectum, *simplicem intuitum veritatis iam inuentæ* appellet, distinguat oportet hunc visum siue intuitum istius fruitionis ab illo altero quæsitionis & indagationis, quem

antea

antea quoque visum vel intuitum interiorem indigetam; ibi enim non erat formalis perfectio intellectûs, sed quædam negatio totius, & simplex quidam visus mentalis post realem & infusum, qui exspectabatur à DEO; hîc verò apex, siue fastigiū animæ repletur actuali infusione, non quidem plurium ac diuersarum rerum, sicut in prioribus illustrationibus; sed simplicis cuiusdam, & maximè sublimis intelligentiæ DEI, ac si in vertice spiritûs, iam effectum esset ac productum verbum internum cognitionis actualis ac præsentiæ DEI, qui totam spiritûs capacitatem omninò repleret; & requisitioni tanto studio suprà exercitatæ finem imponeret. Et quamuis actualiter sic eleuata ad illam operationem, ibi cooperetur, & in eâ quantum possibile perseueret; totum tamen à diuinâ infusione sic dependet, vt illos actus continuare diutius non possit, quàm actuale auxilium diuinum duret; nam absque eo, & postquam vires eius euanuerunt, nihil præter vestigium, vmbram, & impressionem huius diuinæ operationis reliquum manet,

Fastigiū animæ totum in diuino spiritu est immersum.

Initium & continuatio dependent à Deo.

net, adeò vt possibile ei non sit illam denuò formare, vel in eundem statum proprijs viribus se restituere; sed solummodò sicut antè visu interiori quærit, respicit, ac se disponit ad nouam ac iteratam similium gratiarum perceptionē. Et hinc manifestè liquet, actualem specialem concursum huius infusionis esse primam & principalem originem huius actionis.

Cognoscere est, nec intelligere.

Quid iam hæc cognitio infusa in se contineat, quam in particulari veritatem animæ repræsentet, potiùs quàm explicem; eam supra omnem rationem particularem esse affirmem: quodque sit coniunctio Spiritûs diuini cum simplici nostrâ intelligentiâ, qui animam efficaciâ præsentiâ, & sanctâ suâ operatione, ita repleat & propemodùm in se immergat, vt nequaquam intelligere possit id quod intelligit: veruntamen ab hac experientiâ postmodum, resultat myrias altissimarum & longè sublimium cognitionum rerum Diuinarum, sicut id S. Dionysius Areopagitta ad litteram testatur: *Est etiam diuina* DEI *scientia & notitia, quæ ignoratione hauritur, per coniunctionem*

De Diu. Nom. c. 7. circa finem.

nem quæ mentem omnem superat, quando mens ipsa à rebus omnibus abducta primùm, deinde etiam seipsam deserens, cum splendidißimis radijs coniungitur, atque illinc & ibi, inuestigabili sapientiæ profundo illustratur.

Ab eâdem experientiâ insuper redundat liquefactio, annihilatio, & absorptio animæ in Nihili sui, vel Nullitatis abysso. Postquam enim cognouit, quòd Diuinus iste spiritus in illâ viuere, illaque pedibus eius planissimè subijci debeat; gratius ei nihil accidere potest, nisi vt quàm humillimè se prosternat, & infinitis actibus reuerentiæ, cultûs, obsequij Diuinum Numen adoret ac propitium sibi reddat, cum presertim cùm ab inactione diuinâ non ità repletur: sed potiùs sibimet cum libertate aliquid operandi relicta, cum vestigijs saltem memoriâ ac impressionibus præcedentis actualis diuinæ operationis occupatur. Animusque ei esset, insensibilem se reddere, ac in nihilum redigere, vt soli Diuino spiritui, in se victuro ac regnaturo locum daret. Et hæc propriè forma est ac modus

Quid experiētia in animâ caussetur.

Hoc est, quod quotidie oramus, Sanctificetur nomē tuū, Adueniat regnū tuū.

Quomodo anima intus se habeat. dus interior, in quo anima versatur in hoc statu, quòd nimirum omnibus alijs potentijs inferioribus neglectis, vnitis, recollectis, & sub operationibus istis spiritûs sopitis, de toto inferiori nihil reliquum sit, nisi pars amans, quasi semper in actione, motu, & affectione, sub hac tam immediatâ præsentiâ DEI consistens, qui per exoptatissimas suas infusiones adeò se frequenter sentiendum & gustandum exhibet, iuxta illud, quod Saluator noster in Euangelio dicebat: *Beati mundo corde, quoniam ipsi* DEVM *videbunt.* *Matt. 5.* Et quòd *veri adoratores adorant Patrem in spiritu & veritate.* *Ioan. 4.* Nonnunquam tamen subducit se, & permittit animam descendere vsque ad potentias inferiores, longo interuallo à præsentiâ diuinâ dissitam, deinde rursum ascendere, & ita plures vicissitudines obire, semper tamen in cognitione & amore sui crescere, nec vnquam fidelitati & officio deesse, absque multo remorsu ac reprehensionibus internis. Et quamquam simpliciores, qui hanc gratiam consequuntur, eam nec expli-

care,

care, nec huius diuinæ cognitionis & motuum affectuoſorum rationem reddere nôrint; hæc ipſa tamen attractio tot præſtantiæ ſuæ teſtimonia ſecum fert, vt dubitare non poſſint, quin hoc ſit donum quoddam gratiæ ſupernaturalis & infuſæ, vnde maiorem veræ ac certæ cognitionis DEI lucem, vno momento, quàm ab omnibus hominibus atque libris totius mundi multo annorum decurſu percipiunt, eamque ob rem veriſſimè guſtant & vident quam bonus ſit Dominus, perintimè ſiquidem cum eo conuerſantur, non quidem eum iam poſſidendo vel complectendo, quemadmodum in poſtremo ſtatu, ſed tamen præſenti, proximo, atque intimo, qui ſuperiorem animæ portionem gratiſſimis ſuis operationibus vbertim replet ac ornat, ac interdum altiſſimarum cognitionum DEI auxilia, quæ potiùs in dictâ cognitione, vel etiam in admiratione, reuerentiâ & adoratione, quàm in amore ac vnione terminantur, infundit atque ſubminiſtrat. Interdum pars amans diuinâ affectione, ac intimo deſiderio potiùs quàm cognitione ita ſe moueri

Spiritus diuinus implet intellectum ſui cognitione, & voluntatem amore.

ueri ſentit atque agitari, vt non poſſit non obſtupeſcere ac mirari, quæ cauſſa ſit huius feliciſſimi motûs, ignara, qui hoc ei obuenerit, ac propriè neſcia, quid ipſa velit, niſi quòd probè ſciat, ſe nec velle nec deſiderare aliud quicquam, præter DEVM, cum ardentiſſimâ imprecatione ac deſiderio extremo, vt vniuerſus mundus amore tam incredibilis ac infandæ bonitatis accenſus, beatiſſimarum eius influentiarum capacem ſe reddere contendat. Denique hic locus eſt, vbi cor ſiue centrũ creaturæ incipit effici tabernaculum, templum, & domicilium DEI, in quo poſthac tantum gratiarum imbrem depluet, ac tot ſinceros guſtus diuini ſui amoris profundet, vt ſit arbitratura, ſe Paradiſum in hac vitâ ſecum circumferre, cùm deprehendat, maximam temporis partem ſe in eiuſmodi abſtractione ſiue abductione à rebus omnibus cum ſolo DEO verſari, agendo & negotiando cum diuinâ eius maieſtate ita ardenter, ac ſi præter DEVM & ſeipſam, in toto mundo nil ampliùs ſupereſſet. Inter alia quoque admiranda nihil familiarius eſſe ſolet, quàm exceſ-

Dilectus meus mihi, & ego illi. Cant. 2.

excessus, admirationes, & stupores, à quibus hanc animam tam frequenter inuadi ac rapi inusitatum non est. Quia enim hîc saltem orditur experiri, & quasi prælibat tot mirabilia, quæ inuenit apud DEVM, omnis illa sublimitas & altitudo cognitionum diuinarum, atque tot intimarum operationum insolita nouitas, illam in tantam admirationem adducunt, vt potissimam temporis partem à diuina hac attentione suspensa traducat, ac interiùs assiduè occupata, tandem desiderij, saporis ac suauitatis vim percipiat, vt à suauissimis illis occupationibus ægrè auelli posse sibi videatur. Et hinc obiter quid sit Extasis vel Raptus intelligi potest. Est enim Præuētio actualis diuinæ operationis in superiori parte spiritûs, Creaturam vno momento sic occupans & peruadens, vt ab attentione ad partes inferiores abducta, tota ad attentionem tam efficacis operationis, quæ perficitur in spiritu, transferatur, tanta vi & effectu, vt exteriores sensus, ob fortitudinem & vim huius inusitati motûs, omninò impediti, suspensi, & ab officio suo, operatione,

Breuis explicatio, quid sit Extasis vel Raptus.

ne, motu & sensatione cessantes efficiantur. Qui cùm non sit nisi exterior quidam effectus, nimiùm in oculis hominum apparens, quos similium rerum summa tenere solet admiratio, detrectādus magis & fugiendus, quàm desiderandus est, quia fruitio substantiæ huius diuinæ operationis absque tali exteriori effectu benè subsistere potest. Quamuis verò hæc operatio, cum præcedentibus statibus comparata, magnam admirationem inueniat, collata tamen cum hoc statu, & ijs qui sequuntur, perquam imperfecta est, ac indicium animæ, quantum ad eius fundum, multum adhuc depressæ, quamquam, quoad eius attentionem ad spiritum, plurimum eleuatæ. Et vt interius animæ, quando exteriores illi effectus Extasis siue Raptûs fiunt, tibi explanem, atque cum hoc & altero postremò statu conferam, notandum est, quòd fundus interioris tunc aliud nil sit, quàm pars inferior & sensibilis, tota colluuie siue congerie sensuum, passionum, inclinationum & desideriorum collecta in vnitate huius amoris diuini, & reducta ad cor siue virtutem

In eo statu quando extases & Raptus fiũt Diuinus spiritus solùm se animæ manifestat quæ infrà cō-

tem amatiuam ſenſibilem, ſic tamen, vt huic fundo ita collecto & vnito iungatur viſus, attentio, vel etiam impreſſio operationis erga ſpiritum, quæ perpetuò conatur negligere id, quod ipſa eſt in ſuo fundo, vt omne ſuum ſtudium in attentione ad ea, quæ DEVS in ſpiritu operatur, impendat: ita tamen, vt fundus & id quod in ſpiritu ſentitur, ſemper ſint res duæ, diſtinctæ ab inuicem & diuerſæ, & conſequenter in tali ſtatu, hæc duo, DEVS, & Creatura accurata diſtinctione ac differentiâ in interiori dignoſcantur; DEVS quidem in culmine ſpiritûs exiſtens, Creatura verò ei ſubiecta, ac infinitos actus exercens reuerentiæ, cultûs & obſequij, annihilationis ſuiipſius, & adorationis DEI. In poſtremò autem ſtatu omnis illa diſtinctio prorſus eſt ſublata, ac mutata in poſſeſſionem, amplexum, & firmiſſimam conſtrictionem diuinæ fruitionis. eſt enim anima funditùs, & ſecũdum ſe totam, in ſupremam ac diuinam Regionem ſubleuata; atque adeò non ampliùs ita ſupremum vel infimũ ſuæ introuerſionis diſtinguere poteſt. Vti poſtea ſuo loco latius dicetur.

ſiſtens percipit motus, quos in ſuperioribus potentiis operatur

Cùm

Cùm ergo anima ſic adhuc viuit in inferiori portione ſecundum fundum ſuum, attentio verò & tendentia verſus ſpiritum ſupra modum viget & ardens eſt. Si diuinæ operationis impreſſio vehemens, efficax & repentina ſuperueniat: facilè talis effectus in ſenſus exteriores cõſequetur; quod tota ſcilicet ad attentionem eorum, quæ in apice mentis fiunt, auocabitur, ac ijs quaſi in tranſitu & per accidens fruetur, quibus in vltimo ſtatu velut permanenter, & quaſi connaturali illius ſtatûs modo, frui licet.

Exceſſus amoris, & quid cum illis fieri debeat.

In hoc etiam ſtatu, reſultare ſolent in multis, à diuinâ præuentione amoris, effectus mirabiles, aut potius exceſſus in parte affectiua, amoris, Iubilationis, dilatationis cordis, & ſimilium; ita vt animę partes erunt prudenter ea moderari, temperare, imò & negligere, in ſilentio apud ſe dicens, hoc nihil eſſe, tranſeant ſimilia, ac infrà cum parte inferiori computentur. Nec enim eſt culpabiliter talem diuinam operationem abijcere: Sed vnà cum eius humili ſuſceptione, effectum ſuũ poſteriorẽ in parte amatiua negligere;

ac

ac ſeſe ad attentionẽ purè intellectualis, & quietioris amoris transferre, vbi omnis inquietudo & tumultus in pacificum & quietum ſtatum huius ſupremæ Regionis congruum terminantur.

Realitas diuinæ inactionis non diu durat: ſed eius effectus longius perſeuerat.

Quamuis verò tractus illi diuinæ inactionis, non diu in eodem vigore & efficacia perſeuerent: Induſtria tamen propria, vnâ cum impreſſione, quam poſt ſe talis infuſio relinquit, ſatis diu animam in continuatione talis diuinæ operationis detinet. Cùm enim hic Regionem ſupremam ſpiritûs inuenerit, & Deus quoque abundanter concurrat, vt ſecundùm operationes eiuſmodi ſuperioris ſtatus viuat: incredibile eſt dictu, quanta ſit animæ fœlicitas, & quam illi ſuaue ſit, hoc in ſtatu perſeuerare. Eſt ſiquidem multæ pacis & quietis Status, In eo quod omnis inferioris partis corruptio & prauitas, ita ſub harum gratiarum receptione ſopitur: Vt vel nullus, vel certè exiguus ſit eius malitiei ſenſus. Spiritu enim ferè ſemper in actu exiſtente; imaginatio ita ſuppreſſa manet, vt in tali interno ſtatu nullæ peregrinę ima-

Status magnæ Pacis.

gines, formæ, aut representationes sese ingererere possint.

At verò harum rerum experientia, taliumque diuinorum tractuum efficacia est, quæ mirabiles, & pretiosos in anima pariunt effectus, quæ terrenarum rerum prouocant nauseam, quæ voluntatem fortificant & sanant, ac taliter ad diuina excitant, vt in illo statu existens, tam facilè sit ei DEO vacare, illi toto corde inhærere, quam ei vnquam iucundum fuit mundo aut peccato seruire. Ideoque non mirandum, si ij, qui de his materijs per experientiam tractant, sese nonnihil in exaggeratione earum dilatent, multò minùs cogitandum hæc magis in verbis & terminis inusitatis, quam in rerum substantia sonare; adeò enim sublimes sunt & prætiosæ, operationes illæ ab infusione diuina promanantes, vt dignè satis exprimi non possint. Ecquis, quæso, metamorphosim illam & differentiã tã grandẽ poterit effari, quę in eadẽ numero creatura inuenitur, cũ vel in naturâ inferiori vna cum prauis sibi innatis corruptionib. viuit, vel cũ in spiritũ eleuatur ad infusiones diui-

Boni effectus qui ex hoc statu promanant

Aliqui putant quod plus verba sonẽt quam res ipsa.

ni amoris & Intelligẽtiæ experiendas? nil admirabilius differẽtiâ voluntatũ, affectuum aut inclinationũ vnius status ab altero. Anima enim quæ heri secundùm naturam inferiorem viuens, à mille prauorum desideriorum premebatur miserijs, quodcumque, etiam vel minimum quid in DEI seruitio non aliter ac impenetrabile aliquod obstaculum reputans. Hodie secundùm spiritum viuens, nil aliud cogitat, ad nihil anhelat, præterquam ad ea, quæ sunt diuini Amoris, idque tanto ardore & efficaciâ, vt nil videatur illi impossibile, nec ignes, nec tormenta, aut labor vllus à suo sancto proposito deterrere potest. At quid est quod hoc efficit? nisi diuini Amoris vis & efficacia, qui hoc in statu tam frequens & ordinarius est, & qui potenti sua virtute omnia leuia & suauia reddit, omnem amaritudinem & angustiam tollit, & qui quoniam in se tam suauis & desiderabilis est, omnium aliarum rerum contemptum parit. O Amor sancte! quam iucunda tua societas! quam amabilis præsentia tua! sed è cõtrà, quã amara priuatio & absentia tua ijs, qui

ſpiritûs. Idcircò in progreſſu huius ſtatûs edocetur anima ne nimium amori inhæreat, cum ſit quid formale tãtum in ſe, ſed vt in DEO ipſo quieſcat eumque tãquam obiectum & cauſam eiuſmodi Amoris ſedulò requirat, multò minùs ijs libris inhęrebit qui tanto ardore de Amore diſſerunt vt in illa ſenſibilitate quieſcat. Enimuerò totum eius ſtudium eſt ſoli DEO adhærere, illis impetuoſis ſenſibilitatibus, quæ aliquando partem amatiuam replere ſolent, ſeſe inſenſibilẽ præbens; quippe quæ non ſint eius verus finis & ſcopus, nec in quibus quieſcere debeat: ſed purè & nudè in DEO, abſtrahendo ab omni dulcedine aut amoris perceptione. quinimmo ne amori quidem intellectuali inhærere, quantumuis perfecto debet, vt quietem & felicitatem ſuam in eius experientia & perceptione ſtatuat: Nam quamuis obiectiuè & terminatiuè DEO adhęrendo, illos Amoris effectus in nobis operetur, totam voluntatem diuinis eiuſmodi qualitatibus informans, & ſimul cum tali dono ſeipſum donans: Amor nihilominus formalis aut actualis, quem

in nobis experimur, semper eius effe-
ctus est, & non ipse, resque creata, &
non ipse Creator, ipsius donum, & non
ipsemet, ideoque ab eo distinguibile;
veruntamen euidens signum & testi-
monium suæ nobiscum coniunctionis
est, quippe eius vinculum & pignus.
Igitur etiamsi diuini Amoris exagge-
rationes perlegas, ne fallaris, semper
parti amatiuæ inhærendum putans,
nam etsi tot ardentibus vocibus de eo
scribatur, non tamen tam eius sensibi-
litas, quam illius essentialis nobilitas,
ac amor intellectualis explicari inten-
ditur. & quamuis aliquando talis sit in
voluntate superiori abundantia, vt et-
iam in partem sensibilem redundet,
aliud tamen est, sic aliquid de eo perci-
pere, & aliud hoc ipsum directè quæ-
rere, ac in eo hærere. Nam quo quis
purius in spiritum diuinum per sui ob-
liuionem transit, eo abundantior est
intellectualis amor, & copiosior amo-
ris sensibilis redundantia, sed omnis
labis expers. Igitur in huius status pe-
riodo, post tot sublimes amoris & in-
telligentiarum fruitiones, dum inter-
nus status semper in perfectione cre-
scit;

scit, magis etiam in dies purificatur, ac quæcumque imperfectionis labe infecta sunt, vitare edocetur, DEO animā erudiente, ac imperfectiones patefaciente, in rebus, quas etiam perfectissimas, & omnis defectus expertes iudicabat. Quemadmodum ergo DEVS paulatim eā ab adhæsione amoris perceptibilis auulsit, suauiter eam in spiritu pellens, cum actibus simplicibus potentiarum superiorū; in earum vero esse spirituali (quod admodum sublime & ferè omni inexperto incredibile est) & sic modo viuendi per amorem & notitiam merè intellectiuam absque amoris sensibilis perceptione, inspirando, edocens: Sic etiam anima pedentim instruitur, vt independenter ab omnibus illis affectibus & intelligentijs viuat, indifferenter in omni euentu contenta, & in quocumque effectu, quem à Diuinâ prouidentiâ experiri contingit, quantum est de se, & de ijs quæ ad suum esse, sentire, operari pertinent, æqualiter DEVM in pœna & afflictione ac in fruitione & consolatione reperiens, sub hoc conceptu, quod cum DEVS semper sit DEVS, & nobis

Interior status semper magis ac magis illuminatur.

nobis intimus (vti iam satis innotuit) & quod sit immutabilis, semper nos infinito amore prosequens; Eum ergo semper inuariabilem & talem, qualis est concipere debemus ita vt siue nos in tenebris, siue in lumine, siue in fruitione siue in priuatione existamus, ipse semper idem est, & æqualiter eum accedere possumus, nec existimare debemus quod instar nostri variabilis & mutabilis sit. Si igitur quid hoc in se comprehẽdat capiamus, nunquam pro re quantumuis aduersa turbabimur, sed æquè illo fruemur siue in tenebris versemur, siue in gratiarum affluentijs. Cùm enim DEVS in hoc mundo nec percipi, nec cognosci, aut amari queat, nisi per aliquem effectum, quem in nobis causet, quippe cum omnia quæ in nobis ipsis experimur, nihil aliud sint, quam aliquæ qualitates gratiæ creatæ, quę nos cum diuina eius bonitate vniunt, vtique non minus aduersitas aut amara afflictio, ac ipsa prosperitas, effectus vnus est diuinæ eius bonitatis. idque tanto magis quod cùm hæc transitoria vita, nobis ad acquirendum potius quam fruendum sit concessa, satius

Nota, quæ in nobis experimur & quæ potentias informant.

tius

tius est mediante cruce & afflictione, ei cōiungi ac vniri, quàm fruitione & consolatione. Hâc igitur veritate non obscurè animæ inculcatâ, sed crebrius interius repræsentatâ, mediātibus cognitionis radijs, quos DEVS infundit, anima ei se conformare incipit, nil aliud in votis habens, quam eo modo posse super omnia, bona aut mala, sensibilitatem aut ariditatem, cognitionē aut amorē, affluentiam aut paupertatem, purè & simpliciter DEO perfrui, ei æqualiter, & sine differentia adhærendo. & hæc notitia siue illustratio interior, multum est animæ proficua, cum ex vi ipsius, non parum sit in statu subsequēti priuationis, corroboranda.

Quibus in rebus anima fidelitatem suā ostēdere potest.

Quod ad fidelitatem attinet, quam anima in omni statu illo exibere potest, consistit in continuâ perseuerantiâ attentionis ad DEVM in omni pace & interiori serenitate, In eâdem æstimatione nullitatis rerum creatarū, In eâdem reiectione, denudatione, & abnegatione omnium, quâ se in media operationis diuinæ perceptione inclinari sentiebat, seipsam propriâ industriâ suspensam tenens, & in eâdē alie-

natione a terrenis vti in media fruitione, nullam ſpem extra DEVM ponendo, aut ſolamẽ, quã ab eo ſperando.

Conſiſtit quoque, in perpetuâ paruitatis ſuæ, & indignitatis recordatione in medijs delitiarum affluentijs, cum DEI ſint partes animabus noſtris tanquam ſponſis ſuis familiarius ſeſe communicare, noſtræ autem ſint; illum tanquam Supremum Dominum & Patrem toto corde amare & reuereri.

In eo quoque conſiſtit; vt nunquam in eo conſentiat, quod cogitet ſimilia ſibi ob fidelitatẽ, benemerita, aut præſtitam induſtriam obtingere, ſed omnia Amori diuino, eiuſque dignationi infinitæ, ac illius immenſæ largitati prudenter aſcribere.

Conſiſtit etiam in ſuis intentionibus ſemper purificandis, omnes inutiles occupationes, naturalium cogitationum multiplicitatem, affectioneſque humanas, paſſiones aut inclinationes ad exteriora, dum quid tale percipitur, reſecando. Nam illud eſt, quod DEVS ab ea, per tot fauores, familiareſq; communicationes, quibus illam dignatur, expetit, vt ei præclaram ſui

nomi-

nominis notitiam influat, magnam suę bonitatis experientiã, Amoris sui certitudinem, in suo seruitio vires, ac tandem ab omnibus mundanis affectibus abstractionem instillet; illam in omnibus naturæ suæ corruptionibus reformans.

Et sic finem huic gradui imponam, si priùs tamen exposuero, quod ille status præsentiæ diuinæ non sit tam difficilis acquisitu, ac existimari posset. Secum enim plures imperfectiones, ab infirmitate, aut propensione naturali emanantes, dummodo Voluntariæ non sint, compatibiles habet; quamuis ad eas domandas plurimũ conferat. Tantùm enim volũtatem firmam, rectam, fidelem, sinceritatis DEO præstandæ auidam, requirit: quæ nil aliud optet, quam ei placere, sibique quantum fieri potest, renunciare. Nam etsi tam singularia dona cum nostris meritis comparata, procul nimium ab inuicem distét, sic vt meritò ad ea peruenire posse penitùs desperare possemus; Diuina tamen gratia cum sincerâ nostrâ cooperatione tantum potest, vt attoniti tandem miremur, videre nos per in-

Aliqui reputãt hac inaccessibilia & quæ inquiri nõ debeant.

mensam DEI benignitatem ad talia pertigisse, quæ sperare vix fuissemus ausi. Adeò vt tantùm in eius bonitate semper cōfidere, ac simul etiam omnia ad eius acquisitionem requisita conferre debeamus. *Ei autem qui potens est* (ait Apostolus) *omnia facere superabundanter quam petimus, aut intelligimus secundùm virtutem, quæ operatur in nobis: ipsi gloria in Ecclesia, & in Christo* IESV, *in omnes generationes sæculi sæculorum, Amen.*

Ephes. 3

DE STATV PRIVATIONIS, *aut interioris derelictionis quæ est immediata dispositio, pro vltimo perfectionis statu.*

CAPVT X.



RAECEDENS status, qui diuinis illis operationibus in spiritûs apice perfruebatur (vti ante diximus) adeo completus, & perfectus animæ videbatur, quæ ijs gaudebat, vt & si interius

rius se necdum scopum intentum attigisse perciperet, tamen quid esset illud quod ad illam completionem deesset, scire ei erat impossibile, cum se DEO tam immediate frui videret: Ideoque nihil superesse existimabat, quàm continuò in eâ formâ interiori perseuerãdo sese in eum statum trãsformare, & sic vsq; ad finem vitæ in similium gratiarum, amoris & cognitionis affluentia crescere. Sed si illi indicẽ se adhuc procul ab intento fine distare, fortè attonita hærebit, nihilominus vt hoc ipsum rescíat oportet, ad aliaque posthac sese resoluat, si in numerum peculiarium DEI amicorum ascribi velit, quorum fidelitatẽ, per ignem & aquã, per suaue & amarum, probauit. Cùm igitur hæc anima sese in status præcedentis fruitione penitus transformare cuperet, DEVS paulatim eam ad stupendam operationem conducit, aditu procul dubio arduam, quam nihilominus cursum suum habere necesse est, si ad perfectionẽ pertingere desideret. Pro cuius rei intelligentiã: sciendum est quod in illis familiaribus cum DEO communicationibus status præceden-

Status præcedẽs manifestationis diuini spiritus respectu sequentiũ; initium tãtũ fuit, & prælibatio vera spiritualis vnæ.

tis, sæpe accidit, vt DEVS aliquanto tempore abscedat, & animam sibimet relinquat, propriam infirmitatē sinens eam iterum experiri; & quamuis tunc necdum negotiū intelligat, nihil aliud cogitans, quam sese in DEI manus resignare, & penitus abdicare, iuxta rerū occurrentium diuersitates; id quod DEVS, nihilominus per hoc intendit, fuit, vt paulatim eam gratiarum suarū subtractionem edoceret, ac simul modum, quo se in eâ cōstanter habere deberet, per mille sui ipsius integræ derelictionis, in diuinâ dispositione act°, æquè in penuriâ ac in affluentiâ contenta. Tandem post reiteratas modicas illas probationes, DEVS illam animosam videns, omni affectu terrestrium exutam, se per omnia sequi paratam, non obstantibus pœnis & laboribus, nec se vnquam deserere volentē, quantumuis acerbè secum agat, eam satis robustam iudicans, vt in eâ operationem, quam vult exerceat, ei inclinationem secretam infundit, sese per omnia suæ abdicans voluntati, vt sic de se in tempore & æternitate pro suo beneplacito disponat, nihil aliud cupiens quā-

Deus animā ad hunc statum duxit, dū satis robusta, vt non sit periculū ne retrocedat.

Deus primò animæ cōsensū requirit

quâcunque viâ id fiat, quam ei complacere. Postquam DEVS similem consensum ab anima extorsit, illam in statu, in quo plurimum est perpessura, tandem conducit: Et quia hic priuationis status est vnus ex ærumnosis passibus totius vitæ spiritualis, soleatq; DEVS durioribus hic animã onerare, in quantum eius vires sese extendunt, ob incredibilem laborẽ, qui in hoc interiori modo viuendi inassueto, inest, absque eo quod ad extra se effundere patiatur. Idcirco latius, quam de alijs pertractare conabor.

Quomodo hac Priuatio debet intelligi.

In primis igitur, scias velim; quod cum audis fieri mentionem priuationis & derelictionis, non est quod putes, quod DEVS directè animam affliget, aut quod eam in statu meræ afflictionis statuat, in quo duntaxat, quo ad vsque sibi melius sit, expectet, vti ante solebat: nam si nodus ibi cõsisteret, parum mysterij lateret. Sed id est, quod DEVS primo eam omnibus & Superioribus spiritûs operationibus, omnique erga diuinum amorem occupatione, quâ vacare solita erat; destituit; eam in infimo inferiorum potentiarum statuens,

tuens, vbi se sui plenam prospicit, adeo à regione diuinâ elongatam, vt ad se diuinę influētię vix pertingere queant. Ideoque, vbi in statu præcedenti introuersioni inhærere solebat, in pace, & quiete, & spiritûs tranquillitate, nullis attenta, nisi tractum interiorem actualis gratiæ diuinæ sectari, & perpendere ad ei cooperandum. Hic ab omni pace & tranquillitate aliena, antiqua mala redeunt, passio mortificata resurgit, & tam acriter quam hactenus percipitur: nec minus laboris ad ea refrenanda opus ei videtur, quam primo die quo se itinere perfectionis accinxit. Ratio huius est, quod DEVS hic virtutis actibus, aut mentis eleuationi, quam ad se tali casu dirigere vellet, cōcursum suę sensibilis gratię subtrahat, illam animā sineus omnia pro sui amore, purè & nudè absque auxilij, aut adiutorij perceptibilis interuentu exercere, & practicare. atqui hoc & præsertim in initio, cū adhuc hoc DEI opus ignoratur, & ad quem finem tendat, sed duntaxat hæc inordinata sensibiliter percipiūtur, hoc inquam animæ integritatis, fidelitatis, & puritatis,

Præcedētis status Pax & quies, hic subtrahitur.

tis auidæ durissimum est: Se illius causam præbuisse existimans, aut saltem quod haud sufficienter, & non tali quàm par esset auersione & displicentia resistat. Videtur quod Dauid Propheta similem diuinæ fruitionis elongationem, eiusque malos effectus, subsequentes perceperit, dum ait, *Vt quid Domine recessisti longè, despicis in opportunitatibus, in tribulatione.* Ecquid Domine DEVS, inquit, siccine à me elongasti? Cur me sic tuæ fruitionis gaudio priuasti? viduæ instar, charo coniuge orbatæ, & quæ vndique oppressa, neminem ad sui tuitionem inuenit, simili modo, Dæmon, mundus, & caro in animam, à dilecto cœlesti sponso derelictam, insurgere videtur, sub cuius alarum protectione omnia posse videbatur, & in se insurgũtes subsannare solebat dicens, *Non timebo mala, quoniã tu mecũ es,* Inimici minas contemno, & quod ampliùs est animosior facta, nihil metuens ad bellum me offero, quippe cum DEVS sit protector vitæ meæ, & vndiq; me sub vmbra alarum suarum protegat, quis me aggredi audeat? Si ille partes meas tuea-

Psal. 9.

Huius crumnosi status vestigia, notantur in Propheta Regio.

Psal. 22.

tueatur, quem totus timet orbis, quem timebo? nihil tunc poterat eam cõmouere, in eo solũ quod DEVS sibi prope erat, iam triumphans, victoriã in manu tenebat. Sed hic taliter derelicta, cũ Prophetâ Regio exclamare potest.

Psal. 70 *Dixerunt inimici mei mihi & qui custodiebant animam meam consilium fecerunt in vnum dicentes:* DEVS *dereliquit eum, persequimini, & comprehendite eum,* hoc est, diuagatur suaui DEI sui protectione priuatã, aggredimini illam cũ fiduciâ, nemo enim sui tuitionem suscipiet, nec quisquã eam vobis è manibus eripiet; & de facto

Psal. 93. (inquit) *nisi quia Dominus adiuuit me, paulò minus habitasset in inferno anima mea:* id est, ista redacta fuisset ad effectum, ni DEVS misericors, ad me statim conuersus fuisset, Ideo hâc prece frequenter vti solebat, *Non auertas faciem tuam à me; ne proijcias me à facie tua:* DEVS meus, ne amplius suauissimam tuam presentiam substrahas, ne inimici mei denuò in perniciem meam conspirent.

Quantum putas est eiusmodi ani-

mæ,

mæ spirituale Martyrium? quę diuinis rebus hactenus viuaciter perspectis, earum veritatem, ac mundanarum rerum vanitatem, inclinationumque naturalium illecebras, atque peccati turpitudinem clarissimè cognouit, seseq; tam procul ab ijs, ac cœlum à terrâ ab esse existimauit? & post illa omnia, iam iterum mille passionum fluctibus, motibus, ac desiderijs inordinatis, & imaginationibus, tam confusè ac vnquam sese agitari ac obrui percipit? Quod si id ad duos, tres, aut quatuor menses tantùm perduraret, post quos ad pristinam fruitionem rediret, id aliquatenus tollerabile esset, sed medio, imò anno integro, aut plus ijs obnubilari, nec se ad pristinam gratiã reuerti, percipere, id ferè omnem spem isti animæ atque patientiam adimit: vtique si ad DEVM tanquam refugium sese conuertat, nil nisi tenebras, & obnubilationes in spiritu percipit; sibique ex illâ parte aditum esse perclusum acriter experitur: Si ad proprias actiones confugiat, vt virtutes contrarias exerceat, id tam tepidè fit, vt exiguus, aut planè nullus fructus inde resultet. Vnde igitur

Durum est animæ corruptiones naturæ iterũ sentire, postquã spiritûs delitias degustatas.

tur hæc misella in pressuris auxilium requiret? Nam vtique aliquid conari debet, in suis enim naturæ inferioris viribus, in illis prauis inclinationibus, cupiditatibus inordinatis, hærere, ei infernus est, cum antea tam prudenter ex eis emergere nosceret: Ideoq; diutius illis immorari, aut in ijs aliquam consolationem, aut quietem percipere posse, ipsius conscientia ampliùs tolerare nequit, nam eam continuò interius rodit, ei timorem incutiens, ne DEVM suum amittat, sese ad exteriora trahi permittens; & de facto hæc est inter omnes pœnas acerrima, quod omni momento sese à DEO auocare, eumque relinquere existimet.

Quæstio pro cuius solutione sequens caput destinabitur.

Sed dices, quid DEVS per hæc omnia expetit: vt quid talis status? Respondeo hanc operationem tam esse necessariã, quam vllam aliam qua DEVS antea vsus est, vt animã ad diuinum sui amorem eueheret, necessariam dico, non tantum vt à peccatorum reliquijs, ab omni in gratia sensibili commoratione, omnimodaque sui æstimationi eximat & expurget; sed etiam ad statum fruitionis perfectæque vnionis, quæ hunc

hunc ſubſequi debet, eam ritè diſponat, vti in fine huius diſcurſus latius patebit: vt in huius deductione non diuagemur.

Igitur anima poſtquam aliquamdiu in illâ ſpirituali ariditate, in illo conflictu, & omnium calamitatum perceptione hęſit, huc vſque tolerabile fuit, ſpes meliorum eam huc vſque alens. Sed tandem illius continuationem, aut potius in dies augmentationem perſpiciens, quod de ſe actum ſit, quodque id graui ſuâ culpâ contigerit, ſuſpicatur; & quod propterea faciem ſuam DEVS ab ea auerterit, eâ in tam ærumnoſo ſtatu relinquens. Et quò longius, tanto in dies creſcit in Oratione languor, ob difficilem ad interiorem ſtatum acceſſum, quo immorari & DEVM efficaciter orare poſſit. Et quod magis eſt, Impatientia etiam dominari cupit, quippe hæc inferior natura ſe vndique exagitatam, omnis influentiæ cœleſtis gratiæ auxilijque expertem, omniaque in ſui perniciem conſpirare proſpiciens, omnia ex impatientiâ abijcere vellet: Et vbi anteà ad amandũ DEVM prona, & alacris erat, iam incredibile *Miſeria ſemper augetur*

eſt

Homo secundũ naturã inferiorem mori debet, vt ad vitam spiritus resurgere possit.

est, quali cùm auersionis & irresignationis, nauseâ, & citra remedium crucietur; & id de malo in peius cõtinuatur, nam cum sperare, resignare, sustinere locus erat, & si perarduum erat, tamen aliquis fieri poterat progressus. Sed quod hæc natura inferior posthac sit plena impatientiâ, irresignatione, indignatione, rabie, id, est confusio & inexplicabile chaos. Horrendum enim est, cum natura prę rabie, Impatientiâ, & intollerabilitate in spiritum sæuit, & insurgit, immò in ipsum DEVM, dum se prorsus omni solatio destitutam videt: Num aliquando canem rabidum aduertisti, qui cum eum, qui se percutit, attingere nequit, baculum aut lapidem, quo percussus est, rabiosè corrodit: Simili modo hæc natura, vsque ad infimum depressa, sibi tota relicta, suâ malitiâ plena, bili, impatientiâ & rabie concussa, in DEVM ipsum, & in omnia indifferenter vellet insurgere.

Ast cùm ad id pertingere nequeat, sese corrodit, & præ angustijs pressurisque se excruciat, spumantemque rabiem euomit: Et notandum est, quod anima tunc adeo sit natura, id est, in na-

turâ

turâ viuens, vt eius internus status planè à simili formâ & modo essendi depictus sit, nihil aliud pro tunc in anima apparens, quam id, quod sic ex tam misero statu resultat, quippe cùm omnes aliæ superiores vires absconsæ, & sine vllâ operatione aut vigore remaneant. Adeoque exiguus superest in se angulus, qui non sit talis deordinatus status, vt sese distinguere non possit, vel impedire, quo minùs putet semet esse, id est, cum voluntate & consensu quæ faciat, velit, & operetur, ea, quæ sic experitur & sentit. Inde postea tot dubia, anxietates, & scrupuli, ex eo quod omnia, quæ sibi occurrunt, consensus & voluntates existimet. Sed longè aliter se res habet, nam vera voluntas Superior, tàm procul abest nunc, ac dum in medio diuinarũ influentiarum viueret, excepto duntaxat, quod non tam liberè, ac solebat, suâ operatione vtatur: Cæterùm, dum quis sic naturam sibi ipsi intollerabilem percipit, & præ impatientiâ in ipsum DEVM insurgentem, expedit vt creatura se ab illâ naturâ prudenter secernat, nec se in omnibus, quę in eâ percipit, immergat; sed

Natura est instar tertij, interius respicienda & negligenda, vt spiritui melius adhæreatur.

sed eam omnia instar alicuius tertij videat pati, operationi diuinæ sese vniendo & simul dicens, pereat, pereat ista maligna cum omni suâ rabie; & interdum cum magnanimitate in eam his verbis insurgere: In tui, tuæque voluntatis despectum sic fiet, morieris & ad nihilum redigeris. Nonnunquam verò (hâc distinctione notatâ) licentietur, vt secundum suam prauitatem & inclinationem aliquantulum operetur non quidem ad consentiendum, sed ad considerandum, finemq; huius suę maliciosæ Tragœdiæ explorandum. Tandem hæc anima taliter sese oppressam experitur, vt in tot extremis angustijs, & periculis DEVM offendendi sese contemplans, ad DEI misericordiam inuocandam sese instigari percipit, vt ab illo deplorando statu, eximi queat. Sed quoniam ille instinctus, & si bonus in apparentiâ, & tot pregnantibus rationibus fulcitus, nihilominus est duntaxat, naturæ quidam effectus, quæ libenter hanc suam spiritualem mortem, eamque tam amaram diuini amoris operationem euadere cuperet, ideò vt magis animetur, cautelâ istiusmodi

fragili-

fragilitati forſitan ei ſuggeram: Age igitur ô anima pia, quæcunque ad deplorandum iſtum & extremum ſtatum es redacta: Num memor es, quam DEO grata acceptabiliſque ſit mortis & paſſionis Chriſti Domini meditatio? Procul dubio gratam reſpōdebis: Igitur ſi nuda meditatio, quæ in ſola cogitatione peragitur, talis eſt, quātō magis erit ipſius conformitas & ſimilitudo? Cum illa ſacra myſteria meditabaris, exterius tantùm res geſtas, corporales & viſibiles, conſiderabas, dolores cruciatuſque benigni Saluatoris noſtri piè exaggerans, ſed hîc aliud perdiſces: hic enim incipies experientiâ percipere, quod longè grauior, & acrior fuerit pœna interior per derelictionem illā, quā ſacra eius humanitas perpeſſa eſt, ac reliqui omnes exteriores cruciatus; & ſic deinceps longè ſublimiorem meditandi modum ſuper ſacris myſterijs perdiſces, ac vnquam antè, ſcilicet magis anguſtias eius interiores, quā cruciatus exteriores attēdendo. Quod ampliùs eſt, eius interioribus pœnis ſociaberis, hos tuos labores ad ſuorum imitationē patiendo; & ſic longè gra-

Horum laborum experientia, animam: ad aliorum ſecretorum notitiam perducit

tior ei futurus es, quàm si simplici meditationi per imagines externas, semper affixus hæsisses. Ideoque, quantum ad hoc quod te vehementer impulsam asseris DEVM inuocare, vt ab eiusmodi ærumnoso statu te eximat, hic est status, in quo Christo Domino in horto Oliueti existenti quadantenus assimilari potes, qui cum à Passionis suæ primordijs inciperet, ipsius sacra humanitas taliter angustiata fuit, vt secundum suam inclinationem exclamarit his verbis. *Pater, si possibile est, transeat à me calix iste*, illud ipsum natura tua in huius statûs principio facit, per arduos labores, quos sibi perpetiẽdos præuidet, vitare cupiens. Sed caue ne absolutè velis aut ores, vt te DEVS ab eiusmodi statu eruat, nam si ex numero DEI amicorũ esse cupis, vt talis operatio cursum suũ habeat necesse est, & in te penitus perficiatur, & quamuis cũ naturæ grauamine id fiat, parum refert, Macte animo. hic enim amoris Purgatorium est, vbi residuum debitorum tuorum exolues, hic verum generositatis, & constantiæ perseuerantiæque tuæ, in DEI seruitio experimentum

In his ærumnis aliqua ex parte Saluatorẽ imitari potest.

Nota.

mentum facies: quia hîc est, vbi verè standũ erit promissis, eaque omnia ad effectum perducenda, quæ tam serio in eius diuini amoris efflagitatione offerebas: vbi iam sunt oblationes illæ amoris & fidelitatis, quas tam abundè in eius spiritûs fruitione reiterare solebas? quorsum firma illa proposita animosæque illę resolutiones euanuerunt? dum te quantumuis difficilè & arduũ erga te sese exhiberet, eum nũquam derelicturũ iactitabas: hic enim, non verbis duntaxat, sed reipsa verum amatorem te perhibeas oportet: Et quemadmodum Christus Dominus ad tuam vtilitatem, passionem mortemque acerbissimam non vitauit: Tu pariter hac in parte, vbi tam auidè id desiderat, facito, etiamsi secundùm naturæ inclinationem huius status laborem effugere desideres: ne te ab eiusmodi naturę desiderijs pellici permittas: Ast non ignarus expedire tibi, vt quicquid in te corruptum & inordinatum est, tam in esse, quã in operari moriatur, vt illi esse Diuino cum sua superessentiali operatione locus præparetur. Pereant omnia, & nominatim illa inferior natura

Primi feruores reducuntur animæ in memoriam.

tura cum omni prauitate, rabie, atque impatientia sua, non amplius audiatur, sed sepeliatur, & obliuioni tradatur, & dicito DEO *fiat voluntas tua*, id est, quod omnis eius diuina operatio perficiatur, & reliqua omnia illi conformentur, non verò è contrà diuina operatio naturali desiderio obediat: Scio quidem quod nec hanc resignationem per actionem perfectè formatam poteris retinere: nam & illa simul à te auferetur, cũ cæteris virtutis actibus, quos in pressura operari tentabis, cũ impossibile sit; tũc eiusmodi actionem in praxin deducere, quæ securitatem adferat, sese sufficienter occurrenti malo opposuisse. Sed pax, silentium, & quies tecum sit, & satis erit, etiam si resignationem illam aliter nescias efformare: Enimuerò DEVS non nudis verbis, promissis, aut actibus leuiter prolatis & exercitis contentus est: sed simul talẽ esse in re & veritate necesse est: penes se in fundo inferiori pacificè, & in quietè permanendo, & hoc ei sufficit, etiamsi nos, satisfactionem illam non habeamus vidisse nostales actus exercuisse. Esto igitur verè, & reali-

Quod ne ipsa quidem resignatio cum satisfactione exerceri potest.

realiter reſignatus, pacificus, & contentus Deumque in corde tuo lauda, & benedic in omnibus operibus ſuis, & quamuis id ſine verbis fiat, ſatis te tamen intelligere poterit: Et ſic in poſterum cū eo viuere diſcas, illa enim erit tua poſthac viuendi norma. Si quæras quis modus ſeſe in pacifico & contento ſtatu continere poſſe in tantâ irreſignatione & inquietudine quæ percipitur? Reſpondeo, quod omnia adeo ſinenda ſunt transire, quicquid accidat, vt patientiam in medio impatientiæ, reſignationem in medio irreſignationis: Immò patientiam in impatientiâ ſuæ impatientiæ, reſignationem, in irreſignatione, ſuæ irreſignationis perdiſcas neceſſum eſt: Et cùm te in illo tam abiecto ſtatu perſpicies, quod tuæ ipſius calamitatis & ærumnæ miſertus, ad DEVM pias quæremonias effundere cogeris, quod tui obliuiſcatur, ac in extremis anguſtijs auxilio ſuo neceſſario te deſtituat: tum aliquâ in parte redemptori tuo conformis eſſe poteris: dum apud Patrem *lamaſabathani* conquerebatur. Enimuerò certo ſcias tibi hęc omnia ad amuſſim perferenda

Patientia in impatiētiâ inueniēda & Reſignatio in Irreſignatione.

R 3 eſſe,

esse, quodque te verè, & à parte rei desertam, & ærumnosam, totiusque orbis calamitosissimam dijudicabis: Cum nemo tam infœlix existat, qui saltem aut à creaturis, aut à DEO aliquatenus consolationē recipiat, verùm ab eiusmodi consolatione adeo eris elongata, vt tibi videbitur, quod quamuis aliqua creatura, aut DEVS ipse tibi auxiliari velle diceret, tu quo pacto id fieri posset, nō videres, modumque te è tam calamitoso statu eruēdi penitùs ignorares. Et quod in hoc statu stupendum videri debet, est, quod quamuis anima compertum haberet, quod ille ariditatis & derelictionis status, esset vera ad supereminentem vitam præparatio, id nihilominus angustiarū suarum pressuram nō facilè alleuiare posset: quippe status ille extremus, peculiare Domini manûs opus est, & tam præcisè ipsius manûs, vt alius ab eo nil quicquam conferre possit. Sed veluti etiam hæc anima solà, quātitatem pœnarum suarum experitur; sic è conuerso etiam magnitudinem gaudij, quo DEVS eam implèbit, solà percipiet, quia *secundùm multitudinem dolorum*

con-

consolationes letificabunt animam suam.

Inter mille alios angores, quibus hæc anima cruciatur, hic etiam vnus esse solet, dum intra se cogitat: Si me in hoc tam arido statu, in amore diuino tam tepidam, ex hac vita discedere contingeret, quid de me foret? mirum enim est, quod omnes totis viribus DEI laudibus tanto cum zelo & feruore, tã sedulò & meritò quidem incumbant; ego autem ab eiusmodi exercitio tam procul, ac cęlum à terrâ, sim elongata; vtique si secundùm naturę meę instinctum profarer, ad murmurãdum contra eum, ei obganniendum, in eumque blasphemandũ, magis me impelli sentio, quam vt eius voluntati me humiliter submittam, illum vti par est laudẽ, & glorificem, nam etiamsi quid simile faciam, videlicet me coram eo humilem præbeam, resignem & annihilem, id non ex purâ, perfectâque partis meæ inferioris voluntate & consensu, sed vi, & diuinâ voluntate quodammodo coacta, id exequor, quid igitur de me fieret in tali statu expirante? quomodo coram tribunali DEI mei in tali statu

Anima in tam ærumnoso statu, mori perhorrescit.

existens, auderem cōparere? Cùm si in statu præcedenti diuino desiderio & amore flagrans obijssem, quæ maior voluptas? quod affluentius gaudium, quam moriendo amare, & amādo mori? Hoc quidem verum, charissima anima, nil beatius, quam amando mori, sed nihilominus ille nōdum erat modus amandi perfectissimus: Equidem crediderim, maiori cū alacritate tunc, quam nūc, te morti obtulisses, Sed mirata fuisses, illum amorem, quem tam sincerum, & omnis labis expertem existimabas, impurum, & imperfectionibus humanis admixtum reperire, quippe cum, operatio diuina non in ea puritate qua decebat susciperetur. Ast in hoc statu moriens, nequaquam tuis meritis innixa (cum tibi nulla ascribas) nec propriâ industriâ, aut solertiâ, nedum sedulæ tuæ operationi, cum tibi penitus adempta videatur, sed purè promissioni hæreditatis filiorum DEI, meritisq; Passionis Christi vnicè confidens; & sic absque vllâ de te ipsa confidentiâ expirans, post mortem te tot meritis affluētem, tot gratijs decoratam, tantisque

Respōsio.

Rom. 5. Gloriamur in spe gloriæ filiorū Dei.

que

que dotibus, & affluentijs spiritualibus repletam mirareris. Deinde scias velim, quod etsi in statu præcedenti, in amoris diuini perceptione securior viueres, nihilominus ipsa eadē, & æquè imperfecta eras, ac nunc te percipis, tametsi enim naturæ tuæ rabies prauitasque non apparebant, eo quod à tantæ gratiæ affluentiâ oppressa latitabat, nihilominus DEVS illam clarè perspiciebat, teque ad intima vsque perscrutabatur, non ignarus tuarum virium, & quem tui ipsius mortificationis gradum attigisses: nunc autem, vt id etiam tibi innotescat, teque vanâ illâ in proprijs viribus confidentiâ spoliet, suæ diuinæ operationis auxilium sensibiliter tibi substrahit, vt, qualis verè sis, perspicuè intuearis: Igitur in hoc statu, cum tui perfectam notitiam habeas, de teipso diffideas nullisque tuis innitaris meritis, confidenter morere.

Natura corrupta tantum erat abscondita sub præfatis diuinis cōmunicationibus, & nondum mortificata.

Sed huius status deductionem prosequendo, quid consequenter in eo fiat videamus. In hoc igitur statu anima ad sui infimum, ad regionem inferiorem à spiritu, quam fieri potest elongatam,

Continuatio descriptionis huius status.

est depressa, & vno pede tantùm à totali extrouersione distans, id est, quasi ad puram naturalitatem redacta, omni gratiâ, lumine, auxilio, quibus antea fruebatur, penitus exuta; Et quidem in initio id parum est, quippe ipsa cum DEO conuersari solita, scit quam variæ tribulationes, & angustiæ in dies occurrãt, sed eiusmodi anxietatis diuturnitas plurimum fastidit; & quod tediosissimũ, est quod diuina operatio sedem suã in interiori statu amiserit; & quo diuertat, aut superius aut inferius nescit; quocunq; enim tendat, nusquam peruenit, sic vt quiescere & in seipsa respirare cogatur; quod ei tediosissimũ est, & planè ijs quæ hactenus percipere solebat, contrariũ; Sciendum enim est, quod in statu præcedenti ab eo tempore, quo aditus ei patefactus erat, vt per spiritum in DEVM sese immergere posset, præcipuus eius conatus fuerat sese sibi perpetuò insensibilem præbere, vt se magis in DEO absconderet, totum ipsius desideriũ, respiratio, quies & sentimentum non nisi de DEO erat, neque Creaturas aliter quam in DEO vel videbat, gustabat, aut experiebatur, ac

Spiritûs diuini præsentia in statu præcedenti efficiebat, vt anima omnia ad Deũ referre posset.

acsi diuino radio affixa, anima quasi per rectam lineam in DEVM vsque referre posset; adeo vt cùm contingeret, quod ob interiorem aliquam confusionem id facere non posset, sed in sese respirare, ac se extra DEVM percipere cogeretur, id vnicum eam incredibili modo cruciabat: Iam autem quod aditu, ad eiusmodi quietem, & respirationem in DEVM ob interiorem confusionem percluso, nil aliud quam sic, & semetipsam, & alias creaturas extra DEVM, id est, in pura naturalitate, extra interiorem illam, & actualem in DEVM relationem percipere cogitur, quid miserius excogitari potest? Ideoque conscientia id tollerare non potest. vtpote ijs, quæ hactenus percepit diametraliter opposita, videlicet se tandem aliquando taliter in DEO penitus immergendam iri, vt nihil nisi ipsum prorsus in omni re videre, desiderare & sentire posset. Igitur luce meridianâ clarius est, quod hæc illud sibi obuenire percipiens ob id, quod penitus à statu interiori facta sit exul: ideo sese introuertere, ad DEVM eleuare, & ab hoc naturę inferioris statu emer-

gere, totis viribus conatur: sed omnia in vanum, immò de malo in peius fieri aduertens, vsque adeo, vt iam fere operationum spiritûs meminisse ampliùs non possit; hoc opus hic labor est: nam vbi hactenus in statu precedenti vitam planè diuinam egerat, DEVM tanquam finem & terminum, tam facilè in omni intentione & operibus inueniens, iam ita ab eo remota est, vt illa vnitas spiritus, illa amorosa in eum tendentia penitus euanuit: atque ad talem interiorem formam redacta est, vt parũ ab ijs qui vitam spiritualem inchoant, differat, cum ei tot & tam variæ cogitationes, & obiecta, occurrant ac nouello in ea vita Tyroni fieri solet. Sed & illud aliquatenus tolerabile esset, dummodo ab ijs, qui eundẽ tramitem triuerunt, id solere fieri, ei innotesceret. Sed in hoc consistit nodus, vt fructuosè tempus terere quis possit, introuertere se, orationi vacare, proficere in meliùs, cooperari cum DEO, & confirmiter ad ea, quæ in hoc statu vtilia sunt, hæc enim omnia, quæ tamen illi maximè sunt cordi, ob aditum ad ea perclusum, difficillima sunt: Quod si eius

si eius malum merè patientia esset, nec quicquam aliud, quam sic tolerando permanere: id non adeo arduum foret, sed id non sufficit, nisi simul cum patientiâ, in hoc etiam vlterius totis viribus incumbat, vt perditam DEI fruitionem recuperet; quæ in re extremus subest labor, & tantus, vt parum absit, qui omnia abijciat: Nam hoc pro certo tenendum, quod hîc DEVS copiosum auxiliū suum supernaturale, quod olim tā palpabiliter ad actiones altioris ordinis sublevare solebat, ampliùs non communicet: sed illud tantum ordinarium & commune omnibus iustis elargitur. Et quod magis est, tanta est in aliquibus casibus difficultas, vt nō aliter, quàm etiam aliquid de ordinario concursu sibi substrahi, existimet; iuxta scilicet omnimodam sui in DEI manibus resignationē. hoc saltem ideo sit dictum, ad insinuādum, quàm imperceptibilis sit concursus diuinus; ad hoc tendens, vt ei verâ experientiâ innotescere faciat, quàm continuò à suâ gratiâ dependeat, quamque parum sine eius efficaciâ possit.

In hac priuatione nullatenus est otiandū aut immorādum: sed iterū versus Spiritū in Deum tendendum.

Mirum igitur, & planè inauditum est,

Multū temporis labitur, antequā ad finē harum rerum perueniatur.

est, animā in suis operationib. ita perpeti, quodque dies, hebdomadæ, menses, & ferè anni absque huiusmodi ærumnarū terminatione elabantur, non quod semper in eodem statu permaneant, sed quod nequaquam finiantur, sicque ad DEVM, eiusq; diuini amoris operationes, vti hactenus, reuerti non permittant, id, inquam, non modicè animam affligit, quæ ad perfectionis iter potiùs volare, quam tātùm currere solebat, lōgum iter modico tempore perficiens; nunc vero, quodammodo more reptilium parum progreditur: Cùm tamen in contrarium totis viribus conetur, nec modum inuenit: idq; à DEO venire debere intelligit, nihilque magis ad id cōducat, quam eiusmodi operis consummationem exspectare, & interea tantum, quantum potest suâ ex parte adminiculi adferre: & sic pedetentim secundum illius status cursum incedere addiscit: Postquam autem aliquamdiu in illo infimo statu detenta, & ferè penitus extrouersa permansit, æquè ac vnquam ad sese introuertendum rudibus operationibus indigens ad malum auertendum, tandem præ-

Tandem status iste in melius abit, & anima in eius profectione confirmatur.

præter, & vltra occulta quædam, & intima testimonia; quæ DEVS illi de illius status excellentiâ patefacit, percipere incipit; potentias paulò superiores reuiuiscere; quodque ab eiusmodi depressione pedetentim emergat, sese in suo fundo solidiorique statu & aliquãtulum recollectam percipiens; vnde & de facto ad notabiliorem introuersionem deueniens, palpabilius in se habitare incipit, quamuis id non sine innumeris extrauagantijs prauisq; affectibus illam adeo defatigantibus, vt deplorandum sit totum orationis tempus transijsse, & nil salutare, cum quo se applicaret, impetrare potuisse. Verum eis non obstantibus, vt diuinæ bonitati innitens, cum proposito de defectibus à sua parte prouenientibus confitẽdi, vlterius progrediatur oportet, conetur que duntaxat, ne temporis diuturnitate, aut harum rerum importunitate obruatur, sed quieta & trãquilla sese cõtineat, quâcumq; inquietudine, aut perturbatione quæ semper insurgere vellet, non obstante; eiusmodi enim pace, in interiori statu cõseruata mediante, semper fundum suũ recol-

recollectionemque crescere & corroborari percipiet: & de facto iam animaduertit, quod sui interioris fundus non amplius sit illa natura aut inferior status, sed quædam portio superior illam tamẽ immediatè subsequens, cum interiori quodam lumine, illam, qualiter in eiusmodi statu sese habere, aliumque inferiorem, vt prætergressum negligere debeat, erudiente. Non quod hęc speculatiuè in mẽte reuoluat, sed ea infrà tanquam consummata intuetur; estque reipsa hoc, quod DEVS eam sic viuere facit, id est, statum interiorem tali modo disponit, vt pars superior quodammodo basis & fundamentum introuersionis existat: Vnde resultat illud, quod natura inferior tanquã quid tertium transactumq; perspiciat, de qua, aut de cuius doloribus nulla amplius est ei cura; spiritusque iam illud ægrè fert, quod pœnis & angustijs, quas hucusque ipsa subijt, sese defectu clarioris luminis ei associauerit, ac vnà negotium cum ea suscipiens, ei sese quodammodo identificauerit. Posthac pro arbitrio patiatur, quippe spiritus sese alium quam ipsa,

Diuisio naturæ & spiritus.

Videantur ea quæ antea circa finem ca. 8. dicta sunt à pa. 312.

ipsa,& quid ab ea distinctum percipit, ideoque ampliùs à partibus ipsius stare non vult, vt simul cũ ea ad DEVM conqueratur, sed potius omni conatu sese ab ea secernens, eam pati, mori, & sepeliri permittit, in illa subiugatione, & annihilatione, quam DEVS in ea operatur, illam quantum fieri potest, pertransiens, atque negligens: En ea, quæ ei interius quandoque patefiunt, cum DEVS suæ claritatis radios in illo tenebroso statu diffundere dignatur: Et quamuis ea omnia iam ei innotuerint, non tamen hoc statim obstabit quominùs iterum reuertatur, vt secundum eiusmodi naturam inferiorem, & viuere & pati, debeat, tanquam quæ sola iterum intùs apparet, cum difficultatibus & molestijs, vt antè: Sed etiã, si patienter agat, præcedens illustratio, & notitia, status ceu visio interior redibit ac reuiuiscet, vigorem quoque & incrementum accipiet, vsq; adeo vt tandem spiritus sese à natura secernat, & distinguat, illam semper intuens & veluti portionem prætergressam & sub se domitã ac subordinatam percipiens: Id nihilominus non sine incredibili inte-

Diuisio illa non sine labore peragitur.

interiori conflictu, ac perpetiendi modis, tam explicatu quam intellectu inexperto difficillimis perficitur: Qui conflictus (vti æstimo:) non aliunde, quam à statûs nouitate, interiorisque modi essendi immutatione originem trahit, quam non ausa amplecti, nec sequi, illas ærumnas exinde consequitur. Quod verum est, non solum in hac materiâ, verum etiam in omni nouitate, quæ his operationibus durantibus in interiori suo statu reperitur. Diuisione spiritûs à natura peractâ, anima iam se euasisse putat; quandoquidem illa misera (quæ tantùm fastidij cũ suis prauis inclinationibus ei facessebat) sub annihilatione, quam DEVS de se fecit sepulta, penitusque sopita sit: Sic vt nouas & recentes vires in se experiatur, hanc maledictã supplantandi; Secretum illud satis hic penetrans, vndenam Sancti & Amici DEI, tantam fortitudinẽ in exercitio odij sui ipsius perhibuerint: Et hic paulatim respirans, secundùm spiritum operari velle incipit, & modum pristinę illius optatæ spiritûs operationis recuperandæ inuestigat, in quem finem sese rebus inferio-

Ex quo fundamento procedat odium suiipsius

ferioribus insensibilem, & in DEVM euolandum promptam exhibet, si ei potestas esset data: Sed quid? impossibile est eò pertingere, eò quod versus superiora, per modum eleuationis nil nisi tenebræ, densæque obnubilationes existant, ac si grauitatis mole, ad suum fundum & statum eam reflecti faciente, opprimeretur: & vtique necdum esse huius operis finē percipit; Iam quidem natura prætergressa est, spiritus enim mediante operatione diuinâ occultissimâ & penitus incognitâ, eam sibi suppeditauit in suæ prauitatis, rabici, omniumq; prauorum effectuum, quos producere potuit; despectum, id totum verum est, sed cùm tria in nobis sint: natura, spiritus, & DEVS, quoniam hic status sese ad DEI fruitionē accingit, non solum per præsentiam, attentionem, aut intuitum internum, vti ad tertium aliquem aut distinctum, numerum & pluralitatem rerum in interiori animæ statuens, sed in fundo & radicitùs per modum status, in arctissimo cordis amplexu, duobus, scilicet brachijs superiorum potentiarum simul in illa fruitione concurrentium,

Anima nō potest in hoc statu per modum eleuationis procedere.

Anima secundū se totā, & totaliter in spiritum eleuatur

co

eo tamen modo, ac si in eiusmodi possessionis ambitu, cuncta, quæ aut in cęlo aut in terra continentur, in eiusmodi fruitionis vnitate comprehensa essent; nulla alia capacitate existente ad videndum, desiderandũ, aut aliud quærendum, quam quod in eiusmodi fruitione comprænhensum ac contentum est; & hoc per modum fundi & status, non autem eleuationis & visionis tantum. Ideò nõ licet hîc animæ, huic modo eleuationis aut attentionis incumbere, vt diuinæ operationis influẽtiam cœlitus recipiat: Sed opus erit, vt eodem modo eius spiritus sese sub DEO habeat, ac natura sub spiritu sese exhibuit. hic igitur ad nouum, iterum opus accingere se debet: spiritus enim, qui naturam domuit & supplantauit, ipsemet à spiritu diuino domari & suppeditari debet. qui diuinus spiritus vnicus & solus in illa Creatura dominiũ & regimen, vna cum suâ sequelâ fruitionum & diuinarum communicationũ habere vult, alijs omnibus viribus internis in bonum ordinem subiectionis redactis. *Omnia subiecit sub pedibus eius &c. vt sit Deus omnia in omnibus.*

Pars superior debet etiam spiritui diuino subijci.

1. Cor. 15

bus. Ordinaria igitur superioris partis operatio est, sese cum feruenti amore ad DEVM eleuare, eius faciem & præsentiã requirere, & sic donorũ & gratię suæ influẽtiam recipere, eisq; per fidelem attentionẽ & mentãlem intuitum sedulò cooperari. Atqui hic in carentiã omnis perceptibilis auxilij diuini cõtinuatur, ita vt nil quicquam ex alto expectandum sit. Et cum huius rei mysterium, nec dum ita confestim percipere queat, quo se diuertat nescit, quicque hac in parte magis expectet, vt adiuuetur, prorsus ignorat: illi extraneũ valde apparens ad normam huius præsentis status viuere. Spiritus enim operationes quæ adeo diuinæ, sublimes, & excellentes essent nihil præter affectũ amoremq; diuinũ spirãtes si eas perficere posset mortificare debere, an nõ id planè mirabile est? quis audiuit huic simile? id citrà omnẽ rationẽ est atq; intelligentiam, omnibusque totius orbis Creaturis, quæ totis viribus DEI honori & laudibus insistunt, planè aduersantur. Sed hoc non obstante ratiocinetur spiritus, quantum velit, vt se tamen humiliet, deprimat, annihilet ac

Debet hic anima secũdũ proprium conatũ cessare: vt tanto actiuior fiat iuxta diuinũ motum.

ac conatum proprium captiuet necesse est, scilicet, vt quietem cessationemque requisitam perdiscat: non quidem qualemcunque, sine modo vel ordine nec mensurâ, sed omnia accommodatè, & cum debitâ proportione, conformiter ad mensuram progressus, quem in hoc statu faciet, ac secundum quod lumen internum cum experientiâ coniunctum edocebit. Extat verò libellus quidam de interiori abnegatione, qui hac in parte perutilis futurus est.

Hæc conueniunt cum ijs, quæ in cap. 8. dicta sunt.

Quod [illegible] fiat, vt scilicet operationi, cum possibile est incumbatur, è contrà verò omnis operatio propria cum tempus est deseratur, tùm experientiâ comperietur, quam difficile sit spiritum compescere, vel quietum continere, quin sese ad DEVM eleuare, eumque vt alterum & distinctum quærere, vt olim, velit. Non quod cessare à tali operatione recuset, postquam ita faciendum esse intellexit, sed ideo est, quod cû illa cessatio ritè oportuneq; practicanda sit, nô verò adeò perspicuè videre & discernere liceat, quando aut quomodo id faciendum: hinc ne in perniciosum otium incidat, aut in debito

bito officio erret, perpetuò, vt sese moueat, aliudque facere tentet, instigatur. Hoc vnum porrò monitū putarim tali animæ fore consultum, vt videlicet huic operi hilariter & alacriter cooperetur, non autem tepidè, cum timore, aut morosè. Nam si vnquam pax, amor, & gaudium in Spiritu sancto necessaria, & requisita fuit, id nunc est in hisce operationibus, quibus cum impossibile sit, crassioribus actionibus cooperari, sed subtilissimis, & maximè secretis, omnis solertia aut cooperatio, qua hac in parte vti potest, est, vt hilarem, serenam, interiusque contentam sese exhibeat, & sic mediante eiusmodi dispositione omnia aduersa occurrentia pertranseat: Vtiq; dispositio illa est quam maximè immediata, quam ad diuini amoris operationem à DEO in intimo sui centro infundendam adferre potest, quæ quidem transitoriæ infusiones veræ perfectiorisq; fruitionis postea subsequēdæ prænunciæ erunt. illam igitur pacem, quietem, atque animi serenitatem acquirat, eamque tanquam vnicam sui progressus causam sedulò conseruet, nec

Omnis cooperatio animæ est Pax, & serenitas mentis.

queri-

ac conatum proprium captiuet necesse est, scilicet, vt quietem cessationemque requisitam perdiscat: non quidem qualemcunque, sine modo vel ordine nec mensurâ, sed omnia accommodatè, & cum debitâ proportione, conformiter ad mensuram progressus, quem in hoc statu faciet, ac secundum quod lumen internum cum experientiâ coniunctum edocebit. Extat verò libellus quidam de interiori abnegatione, qui hac in parte perutilis futurus est.

Hæc conueniunt cum ijs, quæ in cap. 8. dicta sunt.

Quod[illegible]a fiat, vt scilicet operationi, cum possibile est incumbatur, è contrà verò omnis operatio propria cum tempus est deseratur, tùm experientiâ comperietur, quam difficile sit spiritum compescere, vel quietum continere, quin sese ad DEVM eleuare, eumque vt alterum & distinctum quærere, vt olim, velit. Non quod cessare à tali operatione recuset, postquam ita faciendum esse intellexit, sed ideo est, quod cũ illa cessatio ritè oportuneq; practicanda sit, nõ verò adeò perspicuè videre & discernere liceat, quando aut quomodo id faciendum: hinc ne in perniciosum otium incidat, aut in debito

bito officio erret, perpetuò, vt sese moueat, aliudque facere tentet, instigatur. Hoc vnum porrò monitũ putarim tali animæ fore consultum, vt videlicet huic operi hilariter & alacriter cooperetur, non autem tepidè, cum timore, aut morosè. Nam si vnquam pax, amor, & gaudium in Spiritu sancto necessaria, & requisita fuit, id nunc est in hisce operationibus, quibus cum impossibile sit, crassioribus actionibus cooperari, sed subtilissimis, & maximè secretis, omnis solertia aut cooperatio, qua hac in parte vti potest, est, vt hilarem, serenam, interiusque contententam sese exhibeat, & sic mediante eiusmodi dispositione omnia aduersa occurrentia pertranseat: Vtiq; dispositio illa est quam maximè immediata, quam ad diuini amoris operationem à DEO in intimo sui centro infundendam adferre potest, quæ quidem transitoriæ infusiones veræ perfectiorisq; fruitionis postea subsequẽdæ prænunciæ erunt. illam igitur pacem, quietem, atque animi serenitatem acquirat, eamque tanquam vnicam sui progressus causam sedulò conseruet, nec queri-

Omnis cooperatio animæ est Pax, & serenitas mentis.

querimonijs, tristitiâ aut ęrumnis grauitate vllo vnquam prætextu sese obrui permittat: Nam cum hæc spiritus subiugatio, quam hic DEVS operatur, sit genus patiendi satis mirabile, quippe interi⁹ omnia angustijs plena sunt, nec cuiquam tamen nedum DEO, aut secum, aut vlli mortalium, liceat conqueri, si quis suo interiori statui sese conformare velit; eo, quod cooperatio debeat esse pax & quies, omnem euentum exspectans, ideò si vnquam eiusmodi tranquillitatis status amitteretur, animaque præ impatientia ad querimonias sese conuerteret, de hac operatione conquerens: interius inexplicabilis confusio suscitaretur, quæ nisi mediante pace & tranquillitate ad suum esse ordinatum, de facili non rediret. Ideoque natura in inferiori statu perpetiatur, spiritusq; ad vltimum gradū subiectionis redigatur, & quoad DEO placuerit, si anima suo progressu cooperari desiderat, necessarium omninò est, vt pacem, hilaritatem, tranquillitatemque conseruet, totis viribus hanc diuini spiritûs operationem amplectens, quodque omnia ei eiusque

legibus

legibus cedant, eiusque voluntati pareatur efficiens, & sic perdiscendo huiusmodi diuini spiritus operationibus parere, eisque pacificè subesse, ineffabile est quàm domitus, & flexibilis Deoque derelictus sit hic spiritus; omnis enim ipsius operatio iam aliud nil est, quàm sui ipsius & omnis interioris intuitûs, quâ aliarum rerum perquisit omni intenta esse posset, humilis quædam & serena depressio in fundum suæ recollectionis, quæ tamen tantæ est efficaciæ: vt per illum vnicum actum omnis imaginatio, & quicquid mali occurrit, insensibile & nullius vigoris efficiatur; & sic anima in eiusmodi dispositione existens, *super quem requiescet Spiritus Domini, & cui erunt optima quæque Israel?*

DE EO QVOD DEVS AB ANIMA *expetijt per tædiosos status præcedentis conflictus, cum dicti status priuationis ampliore explicatione.*

CAPVT XI.

QVemadmodũ præcedens status, vti suprà expositus, indubiè multum

 admini-

querimonijs, tristitiâ aut ęrumnis grauitate vllo vnquam prætextu sese obrui permittat: Nam cum hæc spiritus subiugatio, quam hic DEVS operatur, sit genus patiendi satis mirabile, quippe interi' omnia angustijs plena sunt, nec cuiquam tamen nedum DEO, aut secum, aut vlli mortalium, liceat conqueri, si quis suo interiori statui sese conformare velit; eo, quod cooperatio debeat esse pax & quies, omnem euentum exspectans, ideò si vnquam eiusmodi tranquillitatis status amitteretur, animaque præ impatientia ad querimonias sese conuerteret, de hac operatione conquerens: interius inexplicabilis confusio suscitaretur, quæ nisi mediante pace & tranquillitate ad suum esse ordinatum, de facili non rediret. Ideoque natura in inferiori statu perpetiatur, spiritusq; ad vltimum gradū subiectionis redigatur, & quoad DEO placuerit, si anima suo progressu cooperari desiderat, necessarium omninò est, vt pacem, hilaritatem, tranquillitatemque conseruet, totis viribus hanc diuini spiritûs operationem amplectens, quodque omnia ei eiusque

legibus

legibus cedant, eiuſque voluntati pareatur efficiens, & ſic perdiſcendo huiuſmodi diuini ſpiritus operationibus parere, eiſque pacificè ſubeſſe, ineffabile eſt quàm domitus, & flexibilis Deoque derelictus ſit hic ſpiritus; omnis enim ipſius operatio iam aliud nil eſt, quàm ſui ipſius & omnis interioris intuitûs, quâ aliarum rerum perquiſitioni intenta eſſe poſſet, humilis quædam & ſerena depreſſio in fundum ſuæ recollectionis, quæ tamen tantæ eſt efficaciæ: vt per illum vnicum actum omnis imaginatio, & quicquid mali occurrit, inſenſibile & nullius vigoris efficiatur; & ſic anima in eiuſmodi diſpoſitione exiſtens, *ſuper quem requieſcet Spiritus Domini, & cui erunt optima quæque Iſraei?*

DE EO QVOD DEVS AB ANIMA *expetijt per tædioſos ſtatus præcedentis conflictus, cum dicti ſtatus priuationis ampliore explicatione.*

CAPVT XI.

QVemadmodũ præcedens ſtatus, vti ſuprà expoſitus, indubiè multum

 admini-

adminiculi & solatij afferre poterit ei, qui verè in eiusmodi statu se percipiet, quandoquidem de ijs, quæ in eo accidere solent præmonitus, non tam dubia aut inaudita ei videbuntur: sic etiam è contrà ijs, qui quidem aliquam diuinæ operationis priuationem percipiunt, atque in carentiâ veræ introuersionis, & diuinæ fruitionis versantur, & nihilominus ad hunc statum necdum pertigerunt, eò quod nondum satis profecerint, etiamsi diu viam istã triuerint, sed potius in statu primę eleuationis in quarto & quinto capite descriptæ collocandi sunt, in quo proprius labor & conatus necessariò requiritur, ijs inquam hæc doctrina admodum nociua & perniciosa esse poterit; nam etsi reipsa pergrandis sit differentia, nimirum inter veram hanc priuationem in hoc statu descriptam, & illam quæ in infimis statibus aliquãdo experiri contingit, in verbis tamen vix aliqua differentia subest, nec facilè absque magnâ experientiâ dijudicari poterit, quippe cum omnia, quæ de vera dicuntur, fallę & captiosæ etiam attribui possint. Nonnulli sunt visi pri-

mam

mam adhuc in DEVM eleuationem practicare, & nihilominus omnem conatum & industriam propriam ad voluntatis excitationem, aut actum amoris productionem conuenientem vitare, in interiori tantum progredientes, cum aliquali interno intuitu, & versus spiritûs apicem attentione, ex parte verò amatiuæ partis nihil habentes, is sese habendi modus illis inde prouenient, quod aliquos vitæ spirituali deditos consulentes id persuadere soleant, serio cauendum esse ne gratiæ aut operationi diuinæ per propriam operationem, aut anxium conatum obex ponatur, sed quod duntaxat gratiam sequi, Deoque & suo interiori attentum esse oporteat. Sic optimè loquentes iuxta id, quod ipsimet experiuntur & obseruant, & quod hi status vltimi requirunt, verum non satis memores differentiæ, quæ est inter incipientes nouitios, & eos, qui ad istos vsque gradus, progressum fecerunt: Si experientiâ constaret, quantum damni hæc verba afferant, & quam noceant ei, qui primam tantùm mentis ad DEVM eleuationem exer-

Hæc ita dicta sint conformiter ad ea quæ c. 5. sine tamen præiudicio eorum quæ c. 8. dicũtur.

cere incipit; cuius cor in amore diuino, mediantibus attractibus, diuinisq; infusionibus sępè reiteratis necdū consolidatum est: non mirum videretur, quòd tam crebrò ea de re mentionem faciā. Sed quia multi inde quoque damnificari possent, cū adhuc nobis explicandum supersit, quid Deus ab anima per tot tædiosos status intenderit, nos simul hūc priuationis statum magis elucidare conabimur, vt facilius discerni, intelligique possit. Igitur explicare volentes, quid Deus ab hac anima prætenderit per tot, & tam tædiosos conflictus præallegatos, tot rationes eius rei possem reddere, quot proficui effectus ex ijs nascuntur, qui ferè innumerabiles sunt: Nam inter alia quidem, quam clariorem sui nihil posse notitiam: quam maiorem sui à DEI gratia depēdentiam, aliâ viâ quàm hâc addiscere potuisset? quis expeditior modus excogitari potuisset, expropriationem donorum, gratiarum & sensibilium auxiliorum DEI perdiscendi, quam ille quem hîc experta est; qui non cessauit, donec omnia radicitus reformârit, cū causam tum effectum, tam posse quàm

Boni effectus præcedētis status priuationis.

exe-

exequi, tam potētias etiam interiores, quam eorum actus, & operationes sub se prostrādo; vt omnibus ad veri amoris calculū comprobatis: omnia etiam conformia sint & correspondeant illi puritati & candori, quam ad coram se comparandum requiritur. Dicam nihilominus, quod illud, quod DEVS præcipuè per eiusmodi operationes expetit, est, vt animam ad statum & vitam vnitiuam subsequentem disponat, in quo plane distinctus est procedēdi modus, tam cum DEO, quàm in suo interiori statu, ac in præcedentibus; ideoq; opus est eam quasi à longè & pedetentim secundùm exigentiam talis status disponere, iuxta regulam ordinariam, quod dispositio semper prærequiratur ad formam aliquam, aut operationem, quę in aliquo subiecto introduci debet. Estque de facto nouum planè iter ad DEVM iterum incipere, denuò ab infimo ad supremum vsque incipiens, idque eâ normâ & tenore, quo vita vnitiua requiret, vti anteà eleuatio mentalis ad vitam contemplatiuam conducebat, quippe DEO hic totalem istius animæ sub se annihilationem, id est,

Ad quē finē fuerit status priuationis

rior animæ ita coniuncti, duplicati, ac replicati insimul sunt: vt idipsũ, quod in suo fundo est, hoc ipsum sentit, videt, & experitur, & nihil aliud. Nam vnio amoris in centro, ita omnem & quamcumq; potẽtiam sub suo imperio & in sua recollectione continet, vt in sua fruitione id totum amplectatur & comprehendat, quicquid in cœlo & terra esse potest, nulla capacitate restãte ad videndum, quærendum aut desiderandum aliud, præterquam quod inibi contẽtum est, & quòd sic in suijpsius intimo amplectitur & possidet amore, omnia in se complectente, & (vt apparet) in solis voluntatis limitibus & capacitate, vbi tunc tota anima collecta est.

Secunda differentia. Secundò diuersitas in eo consistit, quòd hic affectio, quodammado catenis vincta, in amoris vinculis constringatur, mediante diuturnã & accuratã statuum præcedentium praxi & exercitio. Sic vt ferè semper in introuersione ac sibimet præsens anima ista viuat; etiamsi valde ad inferiora sit depressa, & absque multo auxilio, gratiæque diuinæ actuali prẹuentione ac concursu relicta,

licta, Vbi in statu eleuationis supra cap. 4. & sequentibus cito ac operatio diuina eam inoccupatam sinebat, subitò etiam extra suam introuersionem se percipiebat, vtpotè quæ ab actuali infusione dependeret, extra quam facilè solatium aut complacentiā in creaturis sumere poterat, nisi fideliter sese ad Deū conuertendum, conata fuisset. Hîc autem, etsi quis gratiâ sensibili priuatus sit, in sua tamē introuersione sese continere potest, estque hoc illud ipsum, quod eiusmodi miserū statum, tā sensibiliter percipere faciat: Vtique si quis extrouersus, sese recreare & exhilarare exterius posset, nō tantoperè hic priuationis status perciperetur. Is qui parùm DEVM diligit, nec multum est introuersioni deditus, quid DEO verè adhære sit ignorans: parum ei curæ est an diuinâ præsentiâ priuatus sit vel non, ab eaque procul absit, quippe alia habens, quibus inhæreat, & in eis solatiū inueniat. Ast animæ ad hunc gradum euectæ, non simili modo accidit.

Tertiò hęc differentia est status pręsentis cum præfato eleuationis statu, quod hîc, conatus ex parte virtutis ama- *Tertia differentia.*

omnimodã, sub diuino suo spiritu subiugationem & subordinationem operante; vt eã sanctarũ suarum operationum vas, instrumentum, & subiectũ capaxabsq; resistentiã, & proprietate efficiat. Atque in his omnibus rei nouitas modusq; viuendi insolitus, tot labores & ęrumnas initio causare sufficiens est: Nõdum enim ipsius habitâ sufficienti notitiâ, illam intromittere, nedum ei cooperari audet, persæpe ea, quæ ex se optima forent respuens, atque è contra prosequi cupiens, modumque interius effingendi tentans, qui planè ad id est inconueniens. Quæ nouitas inter alia in hoc consistit, quod in prima præcedenti eleuatione, anima sese in continua in DEVM tendendia exercebat, cũ semper, vbique & in omnibus pro intento fine atque scopo, sibi proponens, idque mediante intuitu, & attentione internâ, quam accuratè obseruabat. Et quantumuis secũdùm fundum, aut statum suum in parte inferiori degeret, nihilominus eiusmodi attentionem, tendentiam, visionemque erga spiritum habere poterat, vbi quam ocissimè se erigere, refugiumque aduersus omnes

Differentia huius gradus, à primaria eleuatione mentis in Deũ.

nes inimici insidias, inuenire conabatur; semper nihilominus cum DEO vti secundo & à se distincto conuersans, quamuis præsens, & actu sese communicans, sub cuius immensa magnitudine mille sui abnegationis, profundæ Reuerentiæ, admirationis, oblationis, atq; orationis actus exhibebit. in quorum exercitium indicibile in illius diuinę Maiestatis pręsentiā gaudium percipiebat, ob magnam interiorē correspondentiam, eiusq; qui ea operabatur, ab eo in quem dirigebantur, tanquam diuersorum atque seperatorum omnimodam distinctionē, eiusmodi modum interiorē, nunquam immutandum, sed potius indies augendū iri existimans; Quandoquidē, vt aiunt Doctores, & etiam verum est, in quocunq, etiam statu perfectionis Creatura semper creatura, Deusq; id quod est permaneant. Nihilominus in statu vltimo, quod ad modū sese habendi, attinet nō eo modo se res habet, siquidē omnis eiusmodi distinctio euanuit, nec potest creatura taliter sese habere, vt in suo fūdo seu statu vnū sit, & secundū visionē & attētionē aliud exquirat. Fundus enim, & intuitus inte-

Nota. quātum ad modum sese habendū

rior animæ ita coniuncti, duplicati, ac replicati insimul sunt: vt idipsũ, quod in suo fundo est, hoc ipsum sentit, videt, & experitur, & nihil aliud. Nam vnio amoris in centro, ita omnem & quamcumq; potẽtiam sub suo imperio & in sua recollectione continet, vt in sua fruitione id totum amplectatur & comprehendat, quicquid in cœlo & terra esse potest, nulla capacitate restãte ad videndum, quærendum aut desiderandum aliud, præterquam quod inibi contẽtum est, & quòd sic in suijpsius intimo amplectitur & possidet amore, omnia in se complectente, & (vt apparet) in solis voluntatis limitibus & capacitate, vbi tunc tota anima collecta est.

Secunda differentia. Secundò diuersitas in eo consistit, quòd hic affectio, quodammado catenis vincta, in amoris vinculis constringatur, mediante diuturnâ & accuratâ statuum præcedentium praxi & exercitio. Sic vt ferè semper in introuersione ac sibimet præsens anima ista viuat; etiamsi valde ad inferiora sit depressa, & abs que multo auxilio, gratiæque diuinæ actuali preuentione ac concursu relicta,

licta, Vbi in statu eleuationis supra cap. 4. & sequentibus cito ac operatio diuina eam inoccupatam sinebat, subitò etiam extra suam introuersionem se percipiebat, vtpotè quæ ab actuali infusione dependeret, extra quam facilè solatium aut complacentiā in creaturis sumere poterat, nisi fideliter sese ad Deū conuertendum, conata fuisset. Hîc autem, etsi quis gratiā sensibili priuatus sit, in sua tamē introuersione sese continere potest, estque hoc illud ipsum, quod eiusmodi miserū statum, tā sensibiliter percipere faciat: Vtique si quis extrouersus, sese recreare & exhilarare exterius posset, nō tantoperè hic priuationis status perciperetur. Is qui parùm DEVM diligit, nec multum est introuersioni deditus, quid DEO verè adhære sit ignorans: parum ei curæ est an diuinâ præsentiâ priuatus sit vel non, ab eaque procul absit, quippe alia habens, quibus inhæreat, & in eis solatiū inueniat. Ast animæ ad hunc gradum euectæ, non simili modo accidit.

Tertiò hęc differentia est status pręsentis cum præfato eleuationis statu, quod hîc, conat⁹ ex parte virtutis ama- *Tertia differentia.*

tiuæ non sit tam violentus, sed vniuersus eius labor circa intuitum & attentionem versatur, quærens cum illa, vnà cum amore in corde, frui (vt antè) diuinâ præsentiâ, per lumen gratię, quod tamen ampliùs nõ erit saltem eo modo quo hactenus, veluti dictinctus & alter. Conatus inquam nõ tam crassus & violentus est, eò quod eiusmodi affectus, iam in manibus DEI sit, ac infra diuini amoris ordinem conclusus, illud duntaxat deest, quod illius vsus exercitiúque ei substractum sit, defectu principij gratiæ, vt ad actum reduci queat; quod & satis quandoque apparet in eo, quod si vel tantillus radius communicetur, incredibile est, quàm ardentem de corde suo exhalare possit amorem, sed qui latitare adhuc cogitur, donec anima ad superiora euecta, serenior, pacatior & extra violentiæ aut excessus omnis periculum esse possit: quod tunc in omni plenitudine, qualis sit, cõstare satis faciet. Amore igitur hîc duntaxat suspẽso & abscondito, nõ autem sopito, anima in eo sese exercẽdo nequaquam laborat, parumque de amoris sensibilis perceptione est sollicita, sed eius

labor

labor vniuersus ab intuitu interno atq; ad spiritus apicem attẽtione originem trahit, vt DEI præsentiã quærere possit: Nam cùm procul ad dissimilitudinis, & multiplicitatis inferiorem regionem depulsam sese percipiat, à superiori portione quam maximè elongatam, in qua tamen vera fruitio peragitur, ne multiplicitate & importunitate horum statuum obruta aberret, libenter mediante visione & attentione ad DEVM sese erigere conaretur, sed cum aditus ei sit perclusus versus spiritum, iuxta eiusmodi operationis tenorem, nil nisi densas & obnubilatas tenebras inuenit: ac veluti, si graui põdere oppressa, vbi antea tam fœliciter sese eleuare, contemplari, attentaque esse solebat, iam non aliter ac si omnia prius experta mera somnia fictaq;, nec à parte rei verè talia fuissent, sibi venit in mentem. Inde labor vniuersus proueniens quòd necdum in eiusmodi status arcanis, nec in ijs, quæ DEVS per illa intendat sufficienter edocta, nec in vitæ quoque vnitiuæ norma satis instructa. hinc etiã fiat vt eiusmodi operationes nec capere, nec amittere, nec

Vnde proueniant labores huius status priuationis

in actibus suis quietem, & securitatem inuenire audeat, semper apud se timēs, ne fortè alia plura facere, & alia media sui iuuandi quærere, quam quæ facit, teneatur, eo modo sese omnemque diuinæ operationis ordinem perturbans.

Nam antequam ea in interiori elucidata sint, ac innotescat ratio, cur sese ad DEVM supra se sustollere nō liceat, curque virtutis actus, & similes, qui occurrunt nequeant exerceri; sicut finis illius nouitatis ignoratur: ita etiā insolita omnia, & ad rem non pertinentia videntur. Sic vt ad ijs cooperandum sese resoluere nō inclinetur. Porrò ratio horum omnium est, quod sicuti in actuali fruitione, quam in superioribus potentijs anima perceptura est, ipsa taliter in spiritum transformabitur, vt non solùm attentione: sed secundùm se totam erit in tali statu immersa, fundusque & summitas illius interioris, ita erunt idem in diuina fruitione, vt nulla ampliùs nec visio nec attentio, ad aliud quicquam restabit: sic quoque se res in istis inferioribus statibus habet. quod ita immergitur in eo quod hic & nunc est. vt nec visio nec attentio ad

ali-

aliquid aliud quærendum, eam iuuare possit. Sed de eo quod ipsa est contenta. DEVM in eiusmodi suo statu laudare debet. DEVM (inquam) quisquis tandem ille sit, quia directum vllum, vel determinatum, & ad quem tendat, conceptum de eo efformare non potest, sed sic indeterminatè vt ignotum & abscõditum in omnibus benedicit. id quod reipsa aliud nil est, si benè penetretur, quam in omni & quocumque interiori statu, qui occurrere potest, atq; in omni tali, quali nobiscum operatur effectu, DEO perfrui. Adeò quod expeditior ratio, conuenitiorque quis sese iuuãdi ac DEO cooperandi modus, sit, sese contentam & tranquillam in omni occurrente statu continere. Tentationis verò tempore viriliter illas negligẽdo, animosè eas à se repellere, nec ampliùs desursum auxilium aliquod sensibile expectare. Iam enim hoc conclusum esse videtur, ac veluti in secreto animæ dictum, quod deinceps discere debeat semetipsam, omni quo potest meliori via & modo iuuare, sibique prouidere, ac DEI etiam auxilio carere. nihil ad varios & tædiosos eiusmodi occursus pa-

nescens. Non quod à continua diuinæ gratiæ dependẽtia eximere se velit, sed quod omne perceptibile auxiliũ sic ei substrahitur, vt nihil manifestè experiatur. Secretũ verò & ratio huius pacificationis in sua quacumque occurrenti dispositione, est quod tali medio fundus siue status interior clarificatur, & vbinam sit anima, & in quo statu versetur, melius percipere possit. Imaginatio etiam vires suas perdit. immò ipsa in recollectione illius pręsentis status, in bono ordine, comprehenditur, & tandem pedetentim in portionem supremã deuenitur, vbi horum incursuũ malorum nulla amplius est mentio.

At nunc, ad huiusmodi pacẽ, & tranquillitatem cõseruandam maximè adminiculabitur, si non semper sibi eiusmodi interiorem statum efformare velit, qui DEVM actualiter pro obiecto & termino habeat: quandoque enim anima experietur, quod in infimis statibus depressa existens, si DEVM pro scopo & fine actuali suæ recollectionis habere vellet, ac veluti in suo introuersione inclusum, ipsius status interior vim pateretur, morosusque & ingratus

gratus existeret, cùm tamen, si de minori recollectione foret contenta, etiam statum suum & dispositionem interiorem, quietiorem ac tranquilliorem experietur, seseque manifestè cōtentam, etiamsi nō in actuali fruitione DEI reperiet. Etenim benè notādum est, quod vera pax & quies, non in actuali DEI fruitione cōsistat, nec vt quis eum semper pro obiecto ac termino, actualiter in sua introuersione inclusum habere debeat: Sed in eo quod quis se ita tranquillum in omni euentu, & quicquid tandem accidat, continere possit, quod vicissitudine rerum ita requirente, vel vndecunq; tandem accidat, quod quis ad inferiora deprimatur, semper nihilominus intra ordinem diuini amoris, & in via ad eum requirendum persistat, etsi nō actualiter statum internum informans nec terminans, suntque hęc ijs conformia, quæ in cap. 6. tradebamus, quod nimirum in aspirationibus ad DEVM, non semper esset necesse in secunda persona loqui, sed vel in tertia, vel etiam secum, iuxta præsentis suæ dispositionis rationem. Ad hæc autem omnia, & ad has omnes nouitates rela-

tionem

Quare toties pax & trãquillitas animæ inculcatur.

tionem habet, omnes illa tam frequens inculcatio, pacis & tranquillitatis internæ, nec non & cessatio crassioris conatus, ad quærẽdũ cum anxietate quicquam aliud, quàm id, quod hic & nunc præsens est. Cùm enim auxilium illud, quòd hic anima à DEO recipit, non sit abũdans, nec perceptibiliter ex alto (vti sibi semper imaginatur & expectat) sed occultissimè & quasi ex centro prouenĩens: ideo etiam ipsius attentio, non tã in expectatione alicuius auxilij perceptibilis debet esse, quam in pace & trãquilla sui ipsius collectione; in qua nec vllus crassius conatus, nec anxia vlla dispositio, loco aliquem habere potest. Sed benè, quieta tantùm intra seipsum attentio, vt omnia illa cum DEO fiant, quæ præsenti dispositioni conuenire possunt. Omnes illæ regulæ & præcepta, tantaque animæ inculcandi sollicitudo, vt sese in pace & quiete contineat, inde originẽ trahens, quod ipsa sui iuuandi semper cupida, media etiam pro suo modulo, & pro vt putaret rem, venturam sibi efformare semper vellet: Et quia certò certius vera diuina operatio efficax & infusa, alio quàm cogi-

cogitat, aut quàm etiã cogitate posset, modo sit futura (quippe qui numquam est expertus, id neque scire neque verè præconcipere potest) hæc inquã est causa, cur nihil illi melius, quàm si in pace & quiete, contra omnem perturbationem sese contineat; In silentio, aduersus mentale multiloquium; in quiete, contra anxiam sollicitudinem; in gaudio spiritûs, cõtra morosam tristitiam. Et tandem in interiori prçsentis dispositionis & statûs satisfactione, contra inordinatum alterius rei desiderium & quæsitionem. Vt sic corde hilari, spiritu sereno, interiori pacato, & dispositione resignatâ, per has inexplicabiles vias tãdiu ambulet, donec ita semper secundùm interiorem dispositionem, & pro vt præsens status requirit cooperando, tandem ad portionem supremam pedetentim subleuetur.

Quare anima hac sequi dubitet.

Quantum iam ad originem tot dubiorum & perplexitatum, quibus hæc anima angitur, quo minus hanc doctrinam de quiete & pace seruanda, sequi, vel ei fidem adhibere cito possit, inde prouenit, quòd gratiam eo modo, quo ducit sequendo sese frequenter, aut te-

nuiter

nuiter tãtùm occupatam, aut etiam depressam, & non iuxta potentiarum superiorum viuacitatem operantem percipit, sic lentè ac tardo passu incedens, vbi si eiusmodi diuinum ordinem non sequeretur, tunc, aut hunc aut illum actum, conatumve exercere posset. Dubitat igitur num propriam industriam, & conatum naturalem consultius foret resumere, conductu illo gratiæ, quæ aliquando tam exilis & imperceptibilis est, relicto? Ad hoc Respõdeo, quod necessariò conductum gratiæ sequi, ac in eius ordine manere necesse sit. Non verò omnia perturbare, sese cum propria operatione inde emancipando. Nam vt tibi statum illius depingam, qui fideliter hisce gradibus cooperari nouit, Dico, quòd ita depẽdenter à gratia progreditur, vt omnis ipsius conatus, quem sui iuuandi gratiâ facit, intra diuinæ operationis ordinem, diuinique Amoris radium perficitur, ita quod non quæcunq; vult, facit, sed secundùm correspondentiam internę suę dispositionis. Nunc enim sublimes experitur secundùm intellectum operationes, nunc verò secundùm virtutem ama-

Quæstio

Respõsio

Vide etiam illa quæ c. 8. pag. 351.

amatiuam, pòst, inter vtrumque, & tandem neutrum, sed in priuatione vtriusque versatur, nihil ipsamet intelligens eorum, quæ apud se fiunt. Atqui nō debet seipsum in hoc vel illo statu constituere, nec hoc vel illud pro arbitrio absque ordine incipere: sed omnis eius conatus debet esse iuxta consensum & harmoniam cum operatione diuina, & interiori sua dispositione, & licèt extra talem ordinem hunc vel illum actū elicere posset, cum DEO colloqui, hoc vel illud desiderare (nondum enim hic totaliter à diuino spiritu absorptus est) defectu tamē interioris correspondentiæ id totum, quod sic à propria marte procederet, nihil amplius quàm littera sine spiritu, vox sine significatione, illi prodesse posset, quin poti⁹ oberit: cùm statim id non conuenire præsenti dispositioni sit percepturus. Ideoque licet ad infima depressus, & sublimioribus operationibus priuatus, aut ad eas nondum euectus, nihilominus tamen celeriori gradu post eleuationem progredi non poterit, quàm diuina fuerit voluntas, & quam ipse, diuinæ operationi in omni pace & tranquillitate locum

Non debet amplius viribus suis internis: nisi intra ordinē diuini amoris.

cum dabit, quam ſequens, de eaque ſeſe contentum exhibens, aberrare non poterit. Hic verè ſunt Diuini Amoris & carcer, & compedes & vincula, in quibus ſeſe proprium velle frangere, proprium ſenſum captiuare, ac proprio iudicio mori, ducique quo quis non vult neceſſe eſt: ad ea, quæ DEVS interius permittit, ſedulò ſectanda; quibus admodum conformis eſt doctrina in libello Pallioli ſponſi contenta, at verò quam glorioſi ſunt hi compedes! quàm aurea planè talia vincula! quamq; fœlix carcer, hæc voluntaria ſeruitus! à qua quidem erumpere bene poſſet: ſi ſecundùm proprium ſenſum, aliud quam id præſens ſtatus requirit, operari vellet; libertas enim ſemper integra manet. Sed ad illud etiam tam notabilis ſequeretur totius ſtatus interioris perturbatio, vt carè ſatis eiuſmodi ſenſus proprius redimeretur. Secretum ergo negotij huius, non in multum operari,
Nota. ſed in operari *ſicut oportet* ſitũ eſt, induſtriam propriam cum diſpoſitione & ſtatu præſenti ritè accomodando, omniaque ad futuram diuinam operationem, quæ ſperatur, prouidè referen-

do;

do; ac se ipsi, quantum fieri potest assimilando, vsque dum realiter & de facto veniens, longè efficacius omnes potentias ad actuum suorum productionem applicet. Quis hæc sufficiēter persuadere poterit illis, qui pio zelo ducti mira in exterioribus patrant. & tamen quia in isto *sicut oportet* plurimum deficiunt: ideò ad veram Spiritûs DEI fruitionem numquam pertingere possunt. Quare quæso tam pauci ad harum semitarum notitiam, aut suorum desideriorum consummationem perueniunt? nisi quòd multa quidem: ast non cōuenienti modo factitant. Quantum ad illos, quibus etiam ipsa bona voluntas, zelus, ac desiderium deest. Ac procul ab eiusmodi semitis remoti, nullū est periculum, quod sese in externorum exercitio lædant aut nimium fatigent, sed dumtaxat naturæ & sensibus affixi, nulli alteri rei magis quam propriæ commoditati student; hanc amoris scolām per legitimā Negationis suijpsius portam numquam ingredientes; sicut in eis nullum huius amoris cœlestis vestigium apparet, sic nulla quoque de ijs est facienda mentio. Vtpote *quibus*

Act. 8. *bus non est pars neque sors in sermone isto; cor enim eorum non est rectum coram* DEO.

DE VLTIMO STATV, QVI EST *perfectæ vnionis, fruitionis, & possessionis spiritus & amoris diuini.*

CAPVT XII.



AM toties in superioribus capitibus huius vltimi status facta est mẽtio, vt iam dudum eius aliquam habuisse notitiam quis possit, & quis, qualisve is sit intellexisse. Ipse quoque DEVS hîc ita in diuinis suis operationibus abundans est, totaliter animam possidens, eamq; spiritu suo taliter replens, vt ipsemet sit, qui eam pro beneplacito suo mouet, regit & gubernat, eius operationibus vitam, animam & vigorem subministrans; vnde nõ magnopere nostris ipsa legib. ac præceptis opus habebit, postquam prima status huius principia trãsierit, & nonnullum eius habitum assuetu-

In his gradib. anima nõ depen det multum aut parum à regulis & præceptis exterioribus.

ſuetudinemq; contraxerit. Nam Deo fidelis, & iam pridem in cœleſti eius curia benè educata, facile etiam deinceps & non inuita, diuinum eius ſpiritum, quacumque tandem viâ is ipſam deducere vult, ſequitur, veri, puri, & ſinceri amoris diuini leges in perfectionis regulam & viam ſumens. Quia tamen harum ſecretarum diuini amoris ſemitarum explicationem, iam cœpimus, & hactenus in ea progreſſi ſumus; ſic adhuc Deo dante exprimere conabimur quam poterimus minutiſſimè, quidquid iſthuc in ſtatu inter Deū & animam peragitur. Etſi enim vna eademq; ſit Regio ſpiritus, vel ſuperior animę portio, & eadem quoad ſubſtantiam gratiæ & operationum principia, quæ in ſtatu præſentię Dei; tam magna tamen eſt mutatio in ſtatu interiori animæ, vt infinitum propè ſit diſcrimē modi, formæ, vel diſpoſitionis, in qua ipſa modò eſt, ab ea, in qua antè fuit. Iā antè cap. 10. animam in vltimo deiectionis & humiliationis punctò à Deo cōſtitutam reliquimus, quòd tam actiua eſſe nō poſſet, quàm fortaſſe voluiſſet, ad ſe verſus Deum per ſuperiores poten-

Status animæ his in gradib. valde mutatur.

potentias extollendam, seq; vehementer incitandam ad effectus aut similes actus concipiendos vel producendos; idque defectu interioris ad hunc conatum correspondentiæ, & per absentiam gratiæ abundantis, quam in se reclusam DEVS continet, non aliter ei quam pro beneplacito suo eam cōmunicans, nec potentijs eam suis velut proprijs vti sinens, eo quòd ipsemet eas possidere, & in hoc palatiolo suo terrestri solus dominari & regiam suam constituere vult: anima autem hæc diuini amoris secreta, nondum ad fundum vsque penetrans, non parum vias has adeò difficiles demiratur, quę per portam adeò angustam eam trāsire faciunt, antequam ad optatum bonum perueniat, ex istis omnibus autē facile colligens originem & rationem eorum, quæ dicuntur de nitore & puritate, quæ ante requiritur quam coram DEO quis comparere possit, puro eius amore fruatur, vel in cęlum intromittatur: reipsa sentiens, quàm DEVS examinet, percolet, cribretur, & inaudito quodam modo expurget, quidquid ex parte sua est, ibi næuum & imperfectionem inueniens, vbi

Non possumus hic amplius esse vt primus operans.

Nihil sordidū potest coram Deo cōparere

vbi eam ſubeſſe nemo vnquam cogitaſſet. tamen animæ occaſionem vult eſſe, ad plenè ſatisfaciendum pro omni eo, quod diuinæ ſuę iuſtitiæ ipſa adhuc aliquaten⁹ debere poſſet. Quia enim ipſa, nõdum harum moleſtarũ operationum vidit finem, & neſcit, quam relationem ac proportionem exotici hi modi, quos ipſa in ſe ſentit, cum vero fine finali quẽ ipſa ſpectat habeant; hinc permoleſtum & perdifficile illi eſt, omnes haſce moleſtias ac difficultates digerere, & id ſępè, vt maximè ſuſpectum & impertinens arbitratur, quod illi optimum & certiſſimum eſt; dum ſe priores ſuos modos agendi ſemper retinere & perceptibiliter cum DEO conuerſari debere putat, vtpote quẽ ipſa, magno quodam honore & reuerentiâ vel apprehenſione magnitudinis ac maieſtatis eius, contemplari vel concipere ipſa ſupra ſeipſam in ſpiritus ſui ſummitate deberet; cùm tamen, ſi gratiæ ductum ſequatur (modò ſuprà indicato, quem ibi neceſſariò, etſi lentè & non magnis paſſibus, ſequendum eſſe diximus) longè aliter ſe rem habere comperiet. Hoc enim modo ipſa hic conducitur.

Quid in hoc ſtatu anima inueniat

ducitur. Primò sæpè se interius sentit ab omni prorsus re denudatā, nullum perceptibilis gratiæ principiū vel correspondentiam sentiens, quò se actiuè habere possit, in summâ se solitudine internâ inueniens, muto quodam vel mentali clamore in intimo cordis sui DEVM, Patrem suum, & Dominum, & vnicam exspectationem suam, qui tam diu se abscondit, inexorabilem se præbet, nec videri accediq; se patitur compellans; hacque ratione diuinam eius opem implorans, eiusque tam longam absentiam, & priuationem suumq; diuturnum incolatum quodammodo deplorans, tacitè tamen consentiens omnibus ijs quæ operatur & permittit, & simul sperans aliquando se finem rei huius visuram.

Duplex diuinarum operationū genus.

Secundò, antequam ad veram, & ita optatam spiritûs & amoris diuini fruitionem vel possessionem perueniatur, duo præterea notabilium diuinarum operationum genera paulò ante experiri solent. Vna est velut quędam intellectus excitatio, quæ ipsum valdè moueat ad cognoscendum, ratiocinandum, reflectendum, conferendum, & com-

comprehendendum harum rerum internarum non paucas, quin & alias externas, tum studio, tum scientiâ comparatas; ita vt apertè particularem quãdam dispositioné interno lumine confortatam sentiat, ad penetrandum & intelligendum omne id, ad quod se applicaret: ac id quidem eis quæ suprà, ad cap. 7. finem, de diuinis illustrationibus dicta sunt respõdet. Altera est transitorius quidam tactus amoris, valdè penetrans & secretus, vt plurimum per modum præuentionis & efficacis motionis diuinæ enascens, partem amatiuam, ita efficaciter afficiens, vt sicut nihil ei intimius est, ita nihil aptius ad eam in suauissima amoris operatione constituendam, vt etiam de facto eius vi ac efficaciâ, ex toto corde eum amet, seipsam sæpè admirans quòd videat se nihil præter amorem, gaudium, & pacem in corde suo respirare, & rationem reddere nesciat, vnde hoc ita aduenerit, vel cur sese sentiat producere actus adeo ardentes (vti etiam mox iterum dicemus;) cùm instar riuuli ab amoris fonte & scaturigine procedentis, qui in voluntatis centro absconditus est, tam- *Tactus transitorij amoris diuini.*

diu viciſſim, ſic itq; reditq;, doneceum ad fonté, è quo ortũ habet, cõduxerit:) atq; ita ſe ſentiens dilatare, & tẽperare preſſuram vel reſtrictionem, in qua verſabatur, dũ timeret, ne ſemet è vinculis vel captiuitate diuini amoris expediret, & ſic reipſa hos bonos effect⁹ in ſe experiens, aliquem ſimul cognitionis ſtatus ſui radium percipit; vnde planè corroboratur ad eum tã diu proſequẽdum, donec totalem eius exitum videat. Poſt multas trium horum ſeſe habendi modorum viciſſitudines, qui modi multis ei laboribus conſtant, quo benè ijs reſpondeat, & ab vna operatione ad aliam ſe conduci ſinat (cùm procedendi ratio vnius multum differat ab alia, atque ideo difficile ſit tam diuerſis ſe rebus accommodare) anima ſe tandem planè ſublimatam ſentit, vt ſecũdùm portionem ſuperiorem operari poſſit, tribus potentijs iam iuxta operationes ſuas ſupernaturales agentibus, prout DEI beneplacitum fuerit, ſuũ, quod ad ipſam quidẽ attinet, procedendi modum ſemper continuans, vt nimirum diuino eius ordinationi totaliter ſe ſubordinet ac cedat, ſequendo impreſ-

Actualis infuſio diuini ſpiritus replet potentias operationibus.

impreſſionem & applicationẽ, quã ipſa ei dat, ita vt ipſa eã per rudem quẽdam conatum proprium, vel aliam operationis ſuæ intruſionem non præcedat, ſed prout ſe quàm intimiſſimè & in ſecretiſſimo pacificæ recollectionis ſuæ ſentit, & principium & poſſe recipere, ſequatur : vtpote cùm videat ſine hac præuentione gratiæ omnem ſuum conatum nihil prorſus eſſe, & vitâ ſimul & ſpiritu carere: ipſa tamen aſſimulatio futuræ diuinæ operationis, quam facit, (cùm ſcire poteſt quid ſequatur,) ei diſpoſitionis loco eſſe poteſt.

Quomodo anima ſe in hoc ſpiritus ſtatu habeat.

In hac portione iam ſuperiore experitur primò, quod modus, quo in ipſa ſumus non modò ſecundùm attentionem, viſum, vel intuitum quendam interiorem fit: ſed ipſa anima tota penitus & totaliter huc eleuata exiſtit, ſic vt eius fundus ac ſtatus, ſuum eſſe & viuere, & reſpirare, prorſus in præſentem hanc ſupremam portionem ſublimata ſint, non minus quàm olim ſola eius viſio & operatio, iamque hic pedes & poſſeſſionem habeat, vbi tantum caput & attentionem extollere licebat. Benè ſiquidem notandum, hoſce gra-

dus ita ſublimes, tam hunc vnionis, quàm præcedentem diuinæ præſentiæ, de quo c.9.non ſolū tranſitoria,breuiſque durationis dona DEI vel operationes eſſe, nec ſolùm ſimplices actuales infuſiones, quibus anima nonniſi ſubinde repleatur, informetur & actualiſetur, & non aliud; ſed totus fundus, ſtatus,& diſpoſitio animæ mutatur, inuertitur & reformatur per diuinā gratiam,quæ cùm participatio quædam ſit eſſe diuini,ſicut nos diuinę naturę conſortes facit, ita nobis quoque ſtatum aliquem permanētem & ſtabilem in interiori adfert, ad viuendum vitâ diuinâ & ſupernaturali, & iuxta ea quæ ipſum conſequi ſolent lumen, cognitionem, experientiam,& inclinationē erga res diuinas: perinde ac dū in imo agebamus, iuxta naturam inferiorem viuebamus, eius inclinationes, motus & corruptiones ſentiebamus. Adeò vt primò concipere oporteat ſtatum internum permodum vitæ & eſſe, ad quē anima eleuatur,& deinde actus & operationes cōnaturales & conformes huiuſmodi vitæ diuinæ, qui ſunt tactus amoris & illuſtrationes cognitiones, & alij

Hoc etiā latiùs declaratum eſt in primo huius tractatus prolog.

& alij singulares fauores quos DEVS pro beneplacito suo, velut transitoria quædã dona animæ cõmunicat. Quemadmodum in Scriptura nobis videmus insinuari, priùs DEVM habitare in nobis (per gratiam scilicet statum & vitam diuinam nobis adferendo) quàm charitatẽ in nobis operetur & infũdat. *Charitas* DEI *diffusa est in cordibus nostris per Spiritum sanctum qui datus est nobis.* Spiritus sanctus ergo primò animã personali suã præsentiã replet, à quo deinde ipsa diffusio charitatis, velut eius fructus, effectus & operatio dimanat.. *Rom. 5.*

Secundò, quod in hoc statu homo iam quidpiam nesciat de DEO cogitare per modum sublimioris siue per eleuationem; sed per modum æqualis & vniformis, perinde ac quis dum ad montis alicuius fastigium iam peruenit, ipsius summitatem comperit esse planitiem latam, & longè diffusam regionem vniformem & planè æqualis extensionis, & quæ ipsam ascensus formam, (quæ tamdiu durabat, quamdiu adhuc aliquis gradus ascẽdendus erat,) prorsus amittat: pari modo anima cùm

Anima cùm eò peruenit vt viuat in Spiritu non amplius per eleuationẽ procedit.

ad culmen eleuationis ad DEVM peruenit, in quo ipsa tota habitat, nulla iam ampliùs forma vel modus ascensus vel eleuationis est; sed omnia fundo suo vniformia sunt, in eadẽ regione, in qua ipsa est, tamquam si hîc coelum intellectuale foret, in quo quidquid quærimus continetur, idque non tamquam quid sublime vel eleuatum, sed velut æquale & vniforme quid, cùm DEVS hîc habitet, secũdum communicationẽ cognitionis suæ & amoris intellectualis, etsi non tam citò adhuc videatur. Nescio quomodò meliùs verbis simplicibus & conuenientibus hæ res adeò subtiles & delicatæ, necessariò tamen prȩaduertẽdȩ, vt & cognosci possint, & admitti dum offeruntur, exprimi possint. Sicut enim anima hic hunc DEI concipiendi deque eo cogitandi, per modum altiorem & sublimiorem, quàm sit fundus & status eius, modum perdit, ita ipsa miratur, quòd respectũ, timorem & reuerentiam, quam solebat erga ipsum, formare non possit, hoc ipsum vt suspectum habens. Hic tamen aliquid simile est cum eo, quod requirebat Aristoteles de amicitiȩ conditionibus

Bonũ est promoueri de nouis his sese habendũ modũ.

nibus

nibus agens, dum nimirum inter duos amantes quamdam requirit æqualitatem. Nam diuinus amor vilem hunc terræ vermiculum ita sublimem extulit, vt illum donis & beneficijs pretiosis paulatim cumulans, diuinæ ipsum naturæ consortem faciat, & DEVS econtrà benignè paruæ huius creaturæ captui condescendens, incomprehensibilem immensitatem suam ad illius capacitatis modulum attemperat. 8. Ethic. cap. 5. 2. Pet. 1.

Tertiò, quia in hoc statu non semper actualis diuina operatio sentitur, anima sæpè se intra seipsam tantum & benè recollectam in hoc spiritûs statu, reperit occupatam multis rebus, quas hic videt & reperit, præcipuè actus trium potentiarum memoriç, intellectus, & voluntatis, quæ (vnaquaque iuxta modum & proprietatẽ suam agente) tranquillissimè quã possunt optimè in diuinæ releuationis absentia operãtur; realem fruitionem quodammodo imitando, quam ipsa sibi exprimere allaborat, secundùm experientiam, quam iam habuit; per memoriam & simplicem apprehensionem secundùm intellectum, & deinde comprehensionem vel am- *Diuina operatio nõ semper est actualiter præsens.*

Quid anima interim faciat. plexum secundùm voluntatem, omniũ eorũ, quæ intellectus sic de DEO concipere vel apprehendere potest, iuxta similitudinem experientiæ, quam iam habuit; potentijs his ita se in operationibus suis immanentibus voluentibus & reuoluentibus, idq; mutuo & ordinatissimo quodam concursu, in motu circulari, de quo S. Dionysius Areopagita *Cap. 4. de diuinis nominibus.* loquitur, à simplici memoriâ ad conceptum intellectus procedendo, & deinde ad voluntatem velut à dextris, vt amando, denuò per amplexum & fortem tentionẽ vel possessionem redeat, ad primum punctum, à quo motus hic incepit; sicque vniformis conuolutionis circuitum perficiendo; potens hæc ita ruminare, interim dum actuali diuinâ impressione caret, parum tamen ex seipsâ loquens, sed multum auscultans; hoc modo se in silentissimâ, simplicissimâ, & valde pacificâ DEI recordatione continens, & in summâ serenitate, simplicitate, & satisfactione, sine alio impetuosiori conatu vel anxiâ solicitudine, quasi adhuc aliud ei faciendum, aut modo quodã profundiori in seipsam intrandum sibi esset. Tum

nom

non multò pòst, vel cùm DEO placuerit, simplici hac memoriâ fęcunda redditâ, & talis factâ per infusionem vel impressionẽ intimissimi cuiusdam luminis, omnem intellectum præuenientis & informantis, vniuersum hoc interius replet, tam verbo mentali cognitionis & admirationis diuinæ, quã fruitione & possessione aliquâ amoris, qui huic cognitioni respõdeat. ita porrò suauiter hęc omnia ex se procedunt, virtute principiorum gratiæ ibi communicatorum, vt anima nihil se facere aut operari putet, nisi duntaxat quod eadem admittat, ijs consentiat, & cooperetur, aliquot actus reiterando, breues quidem verbis, sed lõgiores extensione, idque tamdiu ac hæc auxilia vel principia durant. Nam quod ad cognitionem attinet, ita se intimè sentit, sine vllo strepitu pręuentam ab impressione luminis, quod diuinam magnitudinem & immensitatem ei manifestat; vt à tali principio intelligili, quod immensitatem, infinitatem, incircumscriptionem, sine fine, sine termino, sine loci, vlla temporis nationisve distinctione referat, planè informata, intellectum

Inebriatio potentiarum per actualem præsentiam diuinæ operationis.

ſuũ ſentiat eſſe potiùs inſtar guttæ cuiuſdã immerſę & circumuallatę ab illa regione æternitatis, ab hoc mari ſimilitudinis, imaginis & repræſentationis diuinæ magnitudinis, quàm vt eã intra capacitatis ſuæ limites cõplectatur, reipſa experiens quomodo DEVS immẽſum, infinitum, & illimitatum quoddam eſſe ſit, à quo ipſa potius comprehendatur, quàm ipſum comprehendat; potiùs in ipſo immergatur & abſorbeatur, quàm ipſum comprehẽdat, tam viuè impreſſionem, quam à tali diuino lumine recipit ſentiens, quàm actuum, quos producit, expreſſionem, vt hoc ei potiùs infuſio quædam quàm operatio, paſſio potiùs quã actio videatur. Quod ad amorẽ verò ſpectat, quia in hac ipſa ſuperiori regione, in qua omnis fundus & ſtatus animæ eleuatur, volũtas æqualiter procedit, cùm in eadem vniformitate operationis ſit, & immediatè ſequatur, immediatè etiam poſt talem intelligentiæ diuinæ fœcunditatem ſequitur amplexus, poſſeſſio, & arctiſſima per voluntatem conſtrictio; adeò vt in tali interiori veram diuinæ generationis & proceſſionis in Trinitate perſona-

ſonarum imaginem & ſimilitudinem videre ſit, cùm à ſimplici memoria verbũ cognitionis gignatur, indéq; procedat amor, qui eſt amplexus, tentio & arcta quædã conſtrictio DEI & creaturę, Spiritu S. hunc amoris & cõiunctionis effectũ per gratiã ſuã cauſante, ſicut ſeipſo in diuinitate duas perſonas ſimul annectit & counit, cùm ipſe vinculum, nexus, imò & ipſe earum ſit amor.

Et quoniam hæc omnia ita intimè per modum ſtatus & vitæ, vel eſſe peraguntur, cùm omne interiùs in hanc diuinam infuſionem tranſierit, ac nõ ſolum per modum tranſeuntis & actionis, videmur nõ ſolum talẽ actum cognitionis diuinæ intelligere vel producere, ſed planè eſſe diuini & Deiformes; tamquam ſi eſſe naturale prætergreſſi, aliud quoddam eſſe planè diuinum recepiſſemus, vt per gratiam hîc fiamus DEVS. *Ego dixi, Dij eſtis.* Idque propter lumen hoc Deiforme; quod intellectum tunc replet, creaturam hanc ita conueſtiens, & intimè penetrans, vt totus ipſius fundus, ſtatus & reſpiratio in hoc Deiforme lumen tranſiſſe & immerſus eſſe videatur. Se-

Nota. cundùm explicationem tamē suprà allatam apparet nos eam non constituere nisi in cognitione & operatione, non verò in essentia & reali identificatione; in esse inquam accidentali, non autē essentiali, vt creatura semper in suo esse puræ creaturæ maneat, sed tantùm vestita Deiformi quodam lumine, & à diuina cognitione circumfusa. Etsi enim DEVS hîc animæ realiter & substantialiter se communicet, in spiritu eius mansionem suam constituens, (*Ad eum veniemus, & mansionem apud eum faciemus*) quod tamen ita formaliter animam informat & actuat, & omne quod à potentijs videtur, sentitur, & experitur, non est ipse DEVS; sed intellectualis quædam similitudo, imago, vel repræsentatio, tam ratione impressionis receptæ à DEO per modū principij, intellectum fœcundantis & ad actualis cognitionis productionem sustollētis, quàm etiam ratione expressionis huius actualis formalis cognitionis: est nihilominus testimonium realis suæ præsentiæ & extremum mediū quod in simplici intelligentiæ caussat, diuinam suam cognitionem communi-

Deus realiter se animæ communicat, quod lumē ipsa in potentijs sentit, non nisi eius effectus sunt.

municando, eam non aliter, quam per effectū vel operationem aliquam, quā in nobis producit, causare, distillare vel infundere valens. Sic impulsio vitalis vel inclinatio amoris, quæ in voluntate est, tam eius quæ ab hac cognitione oritur, quàm eius de qua postea loquemur, extremum medium est interuentu necessarium, quodque Spiritui sancto appropriatur, quod pignus, certitudo, & testimonium est diuinæ suæ personalis præsentiæ, vt qui in nos venit, & in nobis commoratur, & diuinum hunc effectum spirat.

Spiritus diuinus replere potest simplicē intelligētiam, vt ad voluntatem non transeat.

Quantum porrò ad diuinam hanc operationem vel fruitionē de qua hic agimus, quę sic à simplici intelligentia orditur, spectat, hæc nonnunquam ita pertransit, vt nihil prorsus ex amore sentiatur, tam quam si anima, eatenus non procedens, solum in hac formali cognitione absorpta vel immersa foret: Interdum quoque vt indicibile talis diuinæ infusionis gaudium generet vnà cum admiratione, dulcem, pacificum & valdè serenum gaudij & delectationis in voluntate motum. Interdum quoque ita se habet, vt frons eius,

vti

vti de Mose legitur, tota cornuta reddi debere videatur. adeò id in cognitione solum ac velut in interiori capitis parte fit, non quòd hoc corporali & rudi quodam conatu, qui adhibetur, fiat; sed quia diuina infusio & interior correspodentia ita eam cõducit, & quod sic rudi modo explicẽ, quod tã spiritualiter peragitur, vt rudiores & simpliciores me intelligant.

DE FRVITIONE QVAE PVRE *amoris fit, per realem tactum diuinum in centro voluntatis.*

CAPVT XIII.



VOD si quis, cùm omnibus superioribus lectis huc vsque peruenerit, existimet nihil ampliùs in vniuersæ huius viæ explicatione superesse; eò quòd cognitione & amore iam expositis, nihil amplius deducẽdum videatur; cùm etiam, cùm de futura beatitudine loquimur, non aliter de ea loquamur quàm de visione

ſione per intellectum, & de amore per voluntatem: norit is nihilominus notabiliſſimas ac præcipuas vitæ myſticæ partes adhuc exprimendas reſtare, quæ diſputationum ac diuerſorum loquendi modorum inter Scholaſticos ac myſticos Doctores ſunt occaſio: Si enim in his vijs internis aliud nihil ſentiretur, quàm ea, quæ ſuperiùs dicta ſunt, non tot hic difficultates occurrerent, cùm præcedens fruitio conueniat cum terminis, quibus vtimur, cùm de contemplatione loquimur. Sed quia vera viarum harum ſecreta in hac re non conſiſtunt, clarè explicandum nobis reſtat, quid ergo adhuc reliquum ſit, & quid experientia doceat. *Tactus amoris explicãdi reſtãt.*

Iam ſuprà amorem quemdam quietum, pacificum, & ſerenatum deſcripſimus, qui è præcedẽte intellectuali operatione cognitionis infuſæ promanabat, prout Angelicus Doctor D. Thomas docet, qui veram, formalem, & eſſentialem contemplationem in actu intellectus cõſtituens, ait voluntatem cum actibus ſuis eam præcedere & ſequi, id eſt, eam cauſare & terminare. Pręcedit quidem & cauſat, in quantum volun- *2.2. qu. 180. ar. 1.*

voluntas omnem aliam potentiam ad actuum suorum exercitium mouet, ideoque intellectum ad actualem cõtemplationem applicat; sequitur verò & terminat illam, in quãtum obtento eo quod quærebat, ipsa in eo se oblectat, conquiescat & delectatur. *Vita contemplatiua*, inquit, *quantum ad ipsam essentiam actionis, pertinet ad intellectum: quantum autem ad id quod mouet ad exercẽdam talem operationem, pertinet ad voluntatem, quæ mouet omnes alias potentias & etiam intellectũ ad suum actum*, &c. *Et quia vnusquisque delectatur cùm adeptus fuerit id quod amat, ideò vita cõtemplatiua terminatur ad delectationem quæ est in affectu, quæ etiam amor intenditur.* Omnia hæc, inquam, & quidquid sub his explicandi modis continetur, ad litteram reperitur & sentitur in fruitionis modo superiùs explicato. Sed quod vltra hæc, sint & alij interni sese inueniendi modi, & aliæ diuinæ communicationes per realem immediatæ præsentiæ diuini esse experientiam, in centro cordis & voluntatis, adeò vt crea-

creaturam modo quodam admirabili tangat, & eam quodammodo animam suam, per amoris spiraculum quod illic indit, ex halare faciat, vt reipsa iam experiatur illud Apostoli, *Charitas* DEI *diffusa est in cordibus nostris per Spiritum sanctum qui datus est nobis*. Diuina illa oscula & amplexus sponsi, introductionem illã in cellam vinariam, in ebriationem illam torrentis voluptatis, hanc illam in sacrarium amoris; in cõclaue, in interiorem thalamum & lectum nuptialem intromissionẽ. Impossibile est hæc silenter transire, & per magni illius DEI amoris qui in essentia, potẽtia, & consilijs magnus, sed ob bonitatem & dignationem erga nos adeo incomprehensibilis est, mirabilia non enarrare.

Vt ergo ad explicationem eorũ quæ adhuc restant veniam; post has operationes & fruitiones, quæ potissimùm in forma contemplationis & actus simplicis intelligentiæ potiùs consistunt, quàm vnionis & amoris; intellectu velut præcipuo, in hac fruitione, postquã à diuina cognitione planè informatus fuerit, & voluntate velut vicina & proxima,

Duo hæc operationis diuinæ genera duæ sunt animæ dispositiones admodũ diuersæ.

xima, solùm adiunctâ & participante attractionis obiecti per intellectũ cogniti, DEVS istud occupationis genus iam aufert, & animam in omnis huiusmodi procedẽdi modi priuatione collocat; videturque animę, quòd ab intellectualibus suis operationibus prorsus descendat, & occupationibus adeò sublimibus, quas cum DEO habebat, egrediatur, cui permolestum est sequi vel cooperari ijs, quæ iam de nouo in anima sentit; dum se putat, stupidiorem fieri minusque DEVM versus eleuari, sicque ab eo recedere. Verùm dum patienter fert, Deumque agere sinit, quæ iubet, omni eo quod agit contenta, sentit haud dubiè hoc ipsum sibi in bonum conuerti, & ad operationum omnium, quæ quidem in hac via sunt, acceptissimam conducere; quod sanè aliud non est, quàm eam: quanta quanta est, intra voluntatis suę ambitum cogere, in qua ipse diuini sui amoris actus operari queat, modo quodam à superiori magis differenti, quàm distet dies à nocte, cùm in eo non iam sublimitatis aut eleuationis, non visus & contemplationis, sed intimitatis & profundæ introuer-

sionis

ſionis fiat mentio. Cùm ergo hæc anima durante huiuſmodi priuatione, magnam forſan ſentiet moleſtiam in huiuſmodi obſcura occupatione ſequenda, imò fortaſſe interim, dum in requirendis ad felicem hanc intellectualem occupationem, quam experta erat, denuò inueniendam medijs ſudabit & laborabit, nihil aliud cogitans quàm de hoc modo, & quâ hunc rurſus ratione recuperare poſſit: vel fortaſſis interim dum ſecundùm intellectum planè diſtracta erit, & alijs rebus occupata; tunc in parte amatiua, & in voluntatis intimo tractum & tactum amoris adeò efficacem, & abita profundè in ſe ortum ducentem ſentit, vt quidquid demum de foris accidit, impedire nequeat, quo minùs ſentiat ab admirabili hâc præuentione amoris totum corſuum, & ſinceriſſimam affectus ſui erga DEVM partem repleri. Non quod neceſſe ſit, vt aliquid extra de ſuſpenſione reliquarum potentiarum appareat, vti aliàs in viarum harum initio: etſi enim hoc in ſolo voluntatis ambitu fieri videatur, alijs potentijs nihil huc cõferentibus, ſubitâ DEI præuentione (vti dictum

Nihil externũ impedire poteſt efficacitatẽ huius diuini motus

(eſt

est) supplente omne id quod alioquin hic requireretur, ipsamque realiter & ita efficaciter mouente, vt Pharaone durius esse deberet cor, quod ei resistere vellet. Suspensio tamen tantum negatiua est, nõ autem positiua, ipsarum concursu & auxilio opus non habens, sed eas alioqui inferiùs subordinatas, & in suis operationibus ad extra liberas relinquens, pari modo ac sensus, qui etiam nõ concurrent, nihilominus liberi in suis functionibus ordinarijs esse permittuntur; & perinde se res habet, ac si in solis limitibus voluntatis Spiritus sanctus principium amoris in animam hanc suum beatũ amoris spiraculum inspiraret, ipsâ solùm ipsum admittente, amplectente & exprimente cum ipso; DEVS verò sentire hic se facit in hac voluntate, vt totus amor, sicut antea se totum vt verbum mentale cognitionis per intellectum communicabat.

Cùm anima totaliter hic se omnes potẽtias suas & facultates in debitum bonũ ordinem reducta sit, nulla suspensione positiua opus est.

Vbi ergo se per consensum diuino huic tractui, qui ei tam potentem inclinationem ad amandum imprimit, coniunxerit, erit vnde producantur actus planè formati & mentaliter expressi, qui

Quid anima faciat praeuenta ab hoc diuino tactu

qui violenter quodammodo ex tam ardenti fornace, tum quidem interiùs æstuante egrediuntur; vel vbi se ipsa immergat, absorbeat & huic ita abundanti, imò excessiuæ & quasi intolerabili impressioni cedat, aliud non spirans (nihil tamen dicendo) quam flammas & ignem amoris diuini, & non satis ex hac experientiâ bonitatem ita excessiuam valens admirari, ideoque desiderans vt omnes homines eum nossent, quò idoneos se ad eamdẽ participandã redderent. Dixit olim Isaias, *Tunc videbis & afflues, & mirabitur ac dilatabitur cor tuum, quando conuersa fuerit ad te multitudo maris*, &c.

Si autem iam causą & motiuum, tam ardentis amoris ab ipsa petatur, & quę eam ratio ad talem affectum induendum impulerit, aliud respondere non posset, quàm voluntatis suæ efficacitatem hîc ad actualem operationem redactam esse, idque excitatione tactûs diuini, motionis, & impressionis realis, quam ipsa & horũ principium sentit & experitur. Vnde dicere cùm Propheta potest, *De excelso misit ignem in ossibus meis*, cùm hoc illi nihil minùs cogi-

Causa tam efficacis affectionis est solus realis tactus diuinus.

Thre. c. 1

cogitanti, & aliam quamdam occupa-
tionem per aliam viam, per modum co-
gnitionis conquirenti accideri. Ideo-
que id petẽdum esse ab eo, qui in se tam
efficacem motũ impressit, vt sæpè pa-
rum absit, quin per huiusmodi tractu
vitam ipsam simul extrahat, dum ani-
mam simul cum expressione actuum
amoris ipsam quasi exhalare facit; quo
tam potens principium iam media ex
parte in ipsa fecit, ipsam experiri fa-
ciens ipsum nõ obiectiuè modò in spi-
ritu eius per cognitionẽ, verùm etiam
realiter per præsentiam in cordis sui
centro esse, tamquam primùm princi-
pium, quod ipsam quocumque volue-
rit mouere, vertere & inclinare potest,
cùm ex pura sua libertate & voluntate
plenam ei sui potestatem & fruitionem
dederit, hac ei oblatâ & resignatâ tam-
quam re, quam habebat ad ei offeren-
dum pretiosissima, & quam ipse toties
petierat. *fili præbe mihi cor tuum*, haud
dubiè vt de eo quid pro voluntate sua
faciat.

Vide S. Bon. in fine Theolog. mystica.

Experientia huius operationis, &
modus, quo accidere solet, rationẽ eui-
denter ostendit, cur plurimi Doctores
mysti-

myſtici dicant, amorem & vnionem aliquam poſſe ſine præuia & concomitante cognitione ſubſiſtere, ſed omni actu intellectus ceſſante & quieſcẽte: prȩſuppoſitâ enim volũtatis efficacitate, & reali DEI in ipſa motione, quȩ ab immediato eius auxilio procedit, ipſa ſubita gratiȩ excitantis & ſimul efficacis præuentio ſuppleuiſſe videtur omne id, quod alioquin ad tam felicem diuini amoris actum producendum requireretur: & quia anima tũc intra voluntatem tota cõtracta eſt, iuxta illam valde differẽter à priori modo, qui per intellectum fiebat, operans, hinc videtur res hæc adeò clara & manifeſta quoad experientiam eſſe, vt mirum ſit, nonnullos magni nominis Scholaſticos docere, hoc eſſe etiam omni poſſibilitate diuinâ impoſſibile; & eo quidem magis, quòd, ſicut in ſuo actu ſæpè inopinatè accidit, ita etiam in ſuo progreſſu nullum aliud obiectum cognitum, ratio, motiuum aut cauſa ad ſe excitandum videatur, cogitetur, ruminetur quàm tactus vel motio diuina; multò etiam minùs aliquid facere ipſa poſſit ad ipſum quando non habetur produ-

Amor quidam eſt ſine cognitione.

V cen-

cendum, vel dum habetur, adaugẽdum: nam quantum illi datum est, tãtum habet, & non ampliùs, iam tum mediâ ex parte se actualiter amare, & realiter inclinari sentiens, antequam se etiã consensu suo cõiungat. *In die illa,* ait Isaias
Cap. 40 Propheta, *sciet populus meus nomen meum, quia ego ipse qui loquebar ecce adsum.* Si verò hi, qui credunt rem possibilem esse, ipsam nihilominus vt miraculosam ducunt, mirum non est, cùm magnus ille Deus amoris ipsam efficiat, se verò Dominũ vniuersi huius parui regni esse ostẽdens, nec à legibus quæ alijs præfixæ sunt dependere, sed velut delicias ducere, ita cum creaturâ sua ludere, manifestando se per hanc viam centri & intimioris partis voluntatis; longè secus ac ipsa, dũ per fastigium intellectûs, ita sedulò & operosè quærebat; dum ostendit non se solùm obiectiuè in cognitione eius esse, verũ etiam realiter in eius centro, ac proinde non aliter in hanc volũtatem venire quàm olim ad Apostolos, *cùm ianuis clausis stetit in medio eorum, & dixit. Pax vobis, ego sum, nolite timere.* Pari modo aliquid simile etiam facit cum ani-

anima sibi dilecta, cùm ipsâ aliquando de eo per cognitiones intellectuales quærēdo prorsus solicitâ, vel etiam in negotiorum exteriorum strepitu occupatissima, ipse euidenter ostēdit, quam habeat ad se in intimiorem voluntatis huius partem insinuandū, potestatem, & ad ostendendum se esse principium amoris, pacis & diuinæ affectionis: in momento, per hunc tactum adeo efficacem, nihil vt eo sit mirabilius, ipsum huius suæ realis præsentiæ effectū eam experiri faciens. Vnde etiam hoc creaturæ inter omnia quæ ad amandum excitare nata sunt, occasionem dat efficacissimā, cùm tam immensam & ob magna amoris eius mirabilia, ita incomprehensibilem bonitatem diuinam non satis admirari valeat; loqueia deficiente, calamo de manu prolabente, & viribus satiscentibus mox vt tam intimissima operatio diuina ei accidit; quin imò intellectus ipse velut ab his amoris secretis exclusus petere quodammodo videtur ecquidnam in hoc centro sit quod per se non transierit, & de quo nihil scit, nisi fortè id è rumore quem in hoc fundo percipit, intelligat,

ita vt ei aliud nõ communicetur, quàm quod communicare fuerit collubitum. Sed voluntas ei respondens sese per admirationes dilatare & diffundere potest: *Quàm terribilis est locus iste! verè Dominus est in loco Sancto isto, & ego nesciebam.* Vnde bene deuotus Bernardus: *Nonnunquam Domine quasi clausis oculis ad te inhianti, mittis mihi in os cordis, quod non licet mihi scire quid sit. Saporem quidem sentio, dulcẽ adeo, suauem adeò & confortantẽ, vt si perficeretur in me, nihil vltrà quærerẽ; sed cũ accipiens nullo corporis visu, nullo animæ sensu, nullo spiritus intellectu, aduertere me permittis quid sit, &c. Sed re & experimento cogor discere, quid illud sit, quod in Euangelio dicis de spiritu, & nescis vnde veniat aut quo vadat.*

Gen. 28.

Quàm, ô amor, ô diuina bonitas, ô sũme DEVS es in bonitatibus tuis admirabilis! fecisti exteriùs continuum miraculum amoris in sacratissimo altaris mysterio, adeò quidem incomprehẽsibile, vt homines, dum vix quidnam de eo credunt, mille occasiones capiant dubitandi, num id fieri possit; Tantum scili-

Duo Miracula Amoris quæ considerare possum.

ſcilicet exſuperat omne id quod à tua magnitudine exſpectare poſſent: Et ecce in intimiori amicorum tuorum centro ita adhuc tegeris & operaris, vt qui ipſum non eſt expertus, credere nolit, mille rationes adinueniens & procudens, quibus id ſibi perſuadeat fieri non poſſe. Amici tui immenſa bonitatis tuę effectus, nec nō admirabilis condeſcēdentię tuę erga animas tibi dilectas ſingularitatem enarrant, & teſtantur ita ſeſe rem habere; alij econtra id incredibile & cōtra ordinarium rerum curſum, & præter ordinem quem naturaliter inter animæ potentias, & actus internos conſtituiſti, eſſe dicunt, & hoc nihil aliud eſſe, quàm cuncta peruertere; ideoque nihil credere velle. Verùm cùm duo hi amores, vnus quidem exterius in Ven. Euchariſtia, & hic interiùs in animæ fundo conſiſtens, ſimul concurrunt, ita vt interior exteriori occurrat, ecquæ verba dignè hæc diuinarum affectionum ſecreta queant exponere? Nam per hunc interiorem creatura, quoad appropriationem, recipit Spiritum ſanctum in ipſa habitantem, qui ipſi dono amoris quod ei infundit

coniunctus est, semper se magis ac magis perfectiori gradu cõmunicans; per exteriorem verò, cùm debitè sacramẽtali modo ipsum recipit, corpore simul & animâ huic diuinæ personæ humanatæ verbi æterni caro facti, quod sub mysticis his symbolis continetur, se vniens; accipit præterea radicis fundamẽtalis gratię & charitatis augmentũ, nec non actualem in actibus amoris & fruitionis exercitationẽ; Ab hoc DEO homine IESV CHRISTO, tanquam à mystico suo capite, motum suum spiritualem, & operationes planè Deiformes accipiens. Vbi ergo creatura hæc, inter has duas ardentes diuini amoris fornaces cõstituta erit, quem calorem, quas flammas non experietur?

Verbum Dei humanatũ apud S. Ioã. Damasc. l. 3. de fide c. 6.

Ceterum, quidquid demũ sit de quęstione, num in hac experientia de qua aginius, intellectus etiam comprehensus sit; id saltem certum est, hanc operationem per præuentionem tactus diuini, & motionem realem adeò efficacem, esse verũ totius vitæ mysticæ fundamentum, vt quæ animam doceat magis per actus amoris ex propria eius efficacitate vna cùm gratiæ præuenientis auxi-

Fundamẽtum vitæ mysticæ.

auxilio elicitos ambulare, quàm per præuias rationum causarum, motiuorum vel occasionum ab intellectu propositarum ponderationes: vtpote quæ iã resoluta sit amare, iamque gratiam receperit, id actu exercendi quomodocumq; demũ hoc ipsum illi venisse potuerit; atque ideo intellectum comprehẽdens in recollectione amoris, suum ipsa ambitum prorsus cõclusum tenet, & vlteriùs quàm ipse progrediens, vacat actibus amoris & fruitionis, intra ambitum voluntatis, tamquam intra cubiculum interius, conclaue sacrum, Reclinatorium, & nuptialem sponsi cœlestis thalamum. Atque inde ad animam experimẽtalis quædam sublimissima DEI cognitio deriuatur, vt qui seipsum cognoscendum dat, non velut obiectum, per intellectum cognitum, sed velut primum principium voluntatem tangens, mouens, & efficaciter inclinans, tamquam omnis amoris origo & fons immediatè in centro cordis assistens, & velut primus auctor omnis boni quod hæc creatura fecisse potuit, ipsam mouens (eo quòd intellectũ iam transcendit) sine ratione & causa, imò

Talis tactus amoris magnã adfert cognitionem.

ſine intelligentia; ſed immediatè, ad inſtar ſapientiæ illius ſtultæ,& ratione carentis, non quidem per defectum & priuationem,ſed per exceſſum &negationem, quam S.Dionyſius Areopagita omnis ſapientiæ, Spiritus & rationis cauſam ait eſſe, vtpote à qua omnis ſcientia,conſilium, & intellectus procedit; quæ diuina ſcientia hauritur ab ignorantia per coniunctionem quamdam mentalem,quæ omnem intellectũ excedit; tunc nimirum cùm anima primò ab omni alia re abſtracta poſtea ſeipſam relinquit, & diuinis luminoſis radijs ſeſe coniungit. *Intelligendum enim eſt* (dixerat paulò antè) *mentem noſtram vim quidem ad intelligendum habere, qua ea, quæ intelliguntur cernit, ſed cõiunctionem præterea, mentis natura ſuperiorem, qua cum ijs, quæ ipſam ſuperant coniungitur.* Vbi ergo hoc modo intellectus in fine curſus ſui, & in ſummitate eleuationis ſuæ retro relinquitur, volũtas per attractus amoris & diuinarum affectionum ad præcipua omnis huius viæ arcana admittitur. Quæ cùm in experientia & non in intel-

De diui. nom. c. 7

Intellectus relinquitur.

intelligentijs consistant, commodè exprimi nequeunt vel describi, sed sunt, vt loquitur Apostolus, *Arcana verba, quæ nō licet homini loqui*. Et S. Bernardus. *Quid huiusmodi secreta colloquia proferimus in publicum? cur ineffabiles & inenarrabiles affectus verbis communibus conamur exprimere? inexperti talia nō intelligūt, nisi ea expressius legant in libro experiētiæ, quos ipsa docet vnctio. Modicùm sapida est lectio exterioris litteræ, nisi glossam & interiorem sensum sumat ex corde.* Et alio loco: *Solus spiritus est qui reuelat: sine causa paginam consulis; experientiam magis require; Sapientia est, cuius pretium nescit homo, de occultis trahitur, nec in terra suauiter viuentium inuenitur ista suauitas. Suauitas Domini est, nisi gustaueris, non videbis.* Porrò in his infusionibus amoris DEVS sentitur non vt sublimitatis immensæ, maiestatis formidandæ, vel magnitudinis infinitæ; sed velut constrictus, tentus, comprehēsus & possessus in intimissimis huiusmodi interioris statûs visceribus, idq; modo ita intimo ac diuino,

2. Co. 12.

In scala claustrali.

Serm. de conuers. ad Clericos.

vt nullus sermo satis elegans & conueniens sit ad res adeò subtiles & inexplicabiles explicandas. *Inueni quē diligit anima mea: tenui eum, nec dimittā.*

Cant. 3.

Et est quod reipsa amor ita primas tenet, & ita omnē aliā potētiam sibi subiectam habet, vt ipse etiam intellectus, qui ei oculi & visus interioris loco ad præsentiam DEI indagādam erat, modò etiam ei subiugatus sit & velut replicatus vel collectus intra numerum earum rerum, quæ in interiori statu infra tamquam prætergressæ cernūtur, & vnà cum ipso omnis intelligendi, concipiendi vel contemplandi, vel etiam vllum diuinum influxū per ipsum recipiendi capacitas. Et sanè duplex esse videtur diuina fruitio: Prima per cognitionem & illuminationem intellectûs præuiam, & ferè principalem iam antè explicatam, quæ contemplatio potiùs appellanda esset. Et altera quæ est hæc: per modum centri & cōiunctionis realis in obscuritate potentiæ huius amatiuæ; de qua omnes illæ exaggerationes, quarum fit mentio, verè afferi possunt, amplexuum, inebriationum, iubilationum & similium; vna quidem per

Duplex fruitio.

cogni-

cognitionem & lumen, altera per ignorantiam & caliginositatem; vna in intellectu potissimùm locum habens, adiunctâ dumtaxat voluntate; altera verò potissimùm, vel etiam totaliter intra terminos & ambitum voluntatis; prima respondens opinioni Angelici Doctoris Thomæ, altera opinioni eorum qui beatitudinem & contemplationem in actu amoris secundùm voluntatem constituunt.

Quia tamen propositum nostrũ non est hic disputare, sed simpliciter narrare quod deuotis animabus vsui & instructioni esse poterit. Etiam quia, vt ait Sapiens, consilia DEI scire non possumus, nec cogitare quid DEVS velit, cogitationes enim mortalium timidæ, & incertæ prouidẽtiæ nostrę; corpus enim quod corrumpitur aggrauat animam, & terrena inhabitatio deprimit sensũ multa cogitantem. Et sicut postea subiungit si difficile æstimamus quę in terra sunt, & quæ in prospectu sunt inuenimus cum labore: quis certò sibi promittere audeat ita clarè penetrare, & liquidò cognoscere se res adeò abstrusas, vt certus sit non errare se dum eas Cap. 9.

exprimit; aut quis non potiùs cogitet, quod omnia in futurum seruentur incerta? Vnde si tam certò credatur, vti scholastici Doctores credunt & docēt, impossibile prorsus esse vt amor sine præuia cognitione sit; taliter tamen id concipiēdum est, si aliquam ideam secundùm veram expedientiam formare velimus, vt imaginemur, talem cognitionem ita subitò in amorem transire, vt nec illi, nec vlli practico iudicio, cōuenientiæ, vel rationis mouētis, intuitentes in interiori aliud nō videamus, quàm amorē adeò efficaciter perceptū, eius vt causam & rationem non videamus. Quippe cū in tali amore eius cognitionis sit modus, aut potius, talis efficacia particularis, ad sic statim fouendum, vt voluntas actum suum intimissimæ affectionis producat, quod alij præcedētes modi facere non poterant, qui potiùs per modum contemplationis quàm vnionis erant. Atq; ideo quòd non omnis cognitio intellectualis erit vera contemplatio mystica, sed illa dūtaxat, quæ immediatè amorem producit. Et tum quoque dicendum erit, quòd ratio, ob quam concursus cognitionis cum

Sola simplex apprehēsio concurret.

cum hoc amore non appareat, eſt, quia (vti dictum eſt) cognitio quam anima in ſtatibus his ſublimibus recipit, eſt lumē quoddam interius per modum rei cuiuſdam immenſæ, illimitatæ, & interminæ; nihil vt videatur fixū vel determinatum, tum quod intellectûs ſit obiectum, ſicut in rerum exteriorū cognitione habemus, vel etiam in cognitione DEI, cùm à nobis ipſis efformata eſt; ſed quod intellectus potiùs immerſus & comprehenſus eſt quam comprehendens & percipiens. Atque ideò, omnibus illis reb. vlterioribus in hoc deiformi lumine, ita ſe habentibus ipſum tamen lumen non videtur, ſed ea dumtaxat, quæ in illo lumine peraguntur; per ipſum tamē loquimur, vt videmus, & ſine eo nihil penitus intelligere poſſemus, nec aliquid referre eorum, quæ reipsâ ſentiuntur. Conſtat tamen, longè melius facturam animam profectus ſui cupidam, ſi inclinet ad opinionem amoris ſine cognitione, quàm ſi ad aliam; quia etſi aliqua intercedat cognitio, anima tamen ad eam non attendit, in ea nō ſiſtit, nec quicquam notare poteſt in ſuo interiori, ſed dumtaxat ad

Cur prauia cognitio non animaduertatur.

Melius eſt amorem hūc cogitare ſine cognitione, & quare.

experientiam actualis amoris efficacis quẽ in se sentit, & qui iã mediã ex parte factus est, vndecunq; tandem deriuari is possit, attentionem habet potius eum debens reprimere, moderari; imò verò subinde diuertere, quàm eum adaugere vel adiuuare, non quidem ob abundantiã sensibilitatis (tametsi alioqui ea subinde etiam in partem sensibilem redundet) sed potiùs ob extremam intimitatem, à qua suam originem habet, quæ animæ propè intolerabilis est; vbi si intellectu suo vti vellet, eum ab hoc amore discernendo, vel per actus differentes diuidendo, nil absurdius contingere posset. Intus ergo fit, perinde ac si totus internus status factus esset inclinatio & amor erga DEVM, & nihil in nobis præter hoc conspiceretur, & tali in statu essemus, cui ita connaturale sit erga DEVM & quidquid diuinum est inclinari, quàm ei, qui secundùm naturam inferiorem est & viuit, cõnaturale est post terrena & commoditates proprias ante se abire. Et cùm dico, erga DEVM, non id ita intelligo quasi id per eleuationem fieri debeat: nam absolutè omnis ille modus iam euanuit

Internus status hic totus amori immersus est, sicut in alio genere fruitionis plane transformatus erat in intelligentiam

uanuit per intellectus depressionem; sed ad propriè, sicut id sentitur, explicandum, est amare, & tamen non videre & scire quis ametur: nisi quòd certum est, quòd ipsa, si interrogaretur, diceret se amare DEVM; attamen ipsa intus eum non videt, & nullũ circa quod versetur obiectum habet; sed quod recipit dum amorem actualem sentit, id illi velut à centrali voluntatis puncto videtur podire, sicut è suâ respiratione, suo statu, & totâ suâ experientiâ ipsa colligere potest. Vnde Hugo de S. Victore: *O anima quid putas est tam dulce & tam suaue quod in recordatione dilecti deuotas animas solet tãgere, & tam suauiter afficere, vt iam totaliter à seipsis alienari incipiant;* &c. *Iam nesciunt vbi se esse conspiciunt, & quasi amplexibus amoris aliquid intus tenent, & nesciunt quid sit, attamen totis viribus tenere concupiscunt* &c.

Cùm ergo in hoc statu sese solidare conatur, in eo deinceps mansionem faciendo, videtur ei quòd iam tãtum primùm DEO verè incipiat seruire, laudare & amare, cùm omne quod præces-

sit,

Tactus diuini sunt transitorij: sed status fundamentalis permanens est.

sit, potiùs ad suijpsius reformationem & totalem recollectionem spectarit quàm directè ad DEVM. Et licet tactu diuini nõnisi transeuntes sint, cùm huiusmodi infusionũ realitas breui transeat, hoc ipsum tamen, esto exiguum, permultũ est. Posito enim (vti iam suprà dictum est) animam primò ad sublimes illos status per nonum quoddam esse diuinum & deiforme, à quo postea illæ operationes & diuinæ communicationes fluunt & deriuantur, eleuari sicut ipsa hic valdè est à partibus inferioribus, imaginatione & sensibus, qui iam amplius non mouentur, & nihil impertinens intus suggerunt, abstracta, ita manet in summa pace solùm cum impressione diuinarum communicationum, cuius adminiculo ipsa diu in hoc statu perseuerare potest, sufficienter occupata, vt cum iteratò DEVS cum aliqua suarum operationum venire voluerit, parata sit; in hoc interiori statu tamdiu manens, ac placuerit DEO, & non quamdiu ipsa voluerit: Cum enim tempus venerit, extra talem statum se esse comperit paulatim descendens, ad status vsque inferiores; ac postea iterũ

eodem

eòdem conatur reuerti, prout ei datum est conari, aliquas operationes secundùm intellectum resumendo, vt postea rursus ad eas, quæ secundùm voluntatem sunt, transeat: itaq; sępè ascendens & descendens, prout à diuino spiritu cōducitur, semper etiam in amore, cognitione, & rerum istarum internarum illustratione magis proficit; ac per tales frequentes iterationes & augmenta fit, vt ipsa tandē se planè diuino amori videat immersam in hoc obscuro, caliginoso & ignoto procedendi modo, adeò vt tota in diuinos hos amplexus absorpta, non modo gratiæ & amoris diuini aquam in fonte proprio bibat, sed etiam tota inebrietur & absorbeatur, semper vlteriùs procurrens omniaque transuehens, donec tandem sic in immensum Diuinitatis mare prouehatur, vt iam & seipsam & modum omnem ac formā deserere cogatur. Nam de gradu in gradum ascendens, & diuinum spiritum quòcumque is duxerit, sequens, nescit subinde quid tandem euenturum sit, dum videt se assiduò mirabilia sine fine inuenire. Intellectu enim, vti diximus retro relicto, & quod

non

non facile creditur, quid iam sibi volens quod ipsa etiam voluntas, vnà cum sua inclinatione amoris, in insensibilitate perdi & euanescere videatur? vt anima tota in ignoratione caliginosi huius luminis planè perdatur, sine dubio quidquid præterea dicetur, velut insanum, stolidũ & inane reputabitur. Mirandum sanè non est, si modos loquendi, quibus hi viæ mysticæ auctores vtũtur, tam parum comprehendere possimus, nam terminis durè sonantibus in Theologia scholastica, vti solent, quales sunt annihilationis, mortis, exspirationis spiritus, nescientiæ, priuationis cognitionis, caliginositatis, transscendentiæ suijpsius, & similium quis enim explicet quod hic reperitur? Circuitu tamen aliquo vtens ad id ipsum adumbrandum, dicam, esse hoc beatum silentium & Sabbatum sanctum supremæ partis affectiuę, est enim in interna hac caliginositate exspirare, seipsum planè transcendere, & perdi in statu incognito & inexplicabili, in quo nihil videri, sciri ac desiderari potest, eò quòd omnis ad se reflectendum, videndum, & desiderandum capacitas retro

relin-

relinquitur; & qui hæc vult reassumere, vt operetur (sicut anima initio facit, dum satis capere non potest, quòd ita velut immobilis & insẽsibilis maneat) malè agit, & nõ gerit se prout præsens status exigit: qui enim id facit, is velut è sepulcro educere, & viuificare, videtur quod DEVS per transcendentiam quamdam interiorem sepeliri & obrui vult. Hic ergo, est pro cõclusione finali & totius huius viæ cõsummatione, certam quandam essendi plenitudinẽ inuenire, quæ non nisi in DEO quiescere & viuere & respirare possit; & in quo tamquam in profunda, pacifica & deliciosa quadam requie absorbetur & immergitur (*In pace in id ipsum dormiã & requiescam*) ita vt nulla res mundi præterquam peccatũ, animam à DEO separare aut medium aliquod causare valeat; eò quòd distractionis vel intractionis: extrouersionis vel introuersionis mentio nulla, iã amplius sit futura, *sed per omnia & in omnibus Christus* dicebat Apostolos. Et, *Viuo ego, iam non ego, viuit vero in me Christus; Mihi viuere Christus est, & mori lucrum.* Et Christus Dominus hanc nobis vnita-

tem

Ioan. 17. tem à DEO Patre suo deposcens dicebat, *Volo vt sicut ego & tu vnum sumus, ita & in nobis ipsi vnum sint.* Et S. Bernardus. *Hic est finis, hæc est consummatio, hæc est perfectio, hæc est pax, hoc est gaudium Domini, hoc est gaudiũ in spiritu sancto; hoc est silentium in cœlo: quamdiu quippe in hac vita sumus, hoc felicissimo pacis silentio, in cœlo, id est in anima iusti, quæ sedes est sapientiæ, aliquãdo fruitur affectus. Sed hora est dimidia vel quasi dimidia.*

De Amore Dei, cap. 14.

Et quia hoc tanto interuallo rem omnem creatam, omniaque obiecta videtur transcendere, & ita intimus esse quàm omnes actus & operationes, vt magis status videatur & vita & esse, quàm operatio; hinc multi fruitionem istam constituunt in essentia animæ supra eiusdem potentias. Et reuera experientia docet talem statum interiorem ita omnem visionem, omnemque possibilitatem ad aliquem conatũ huc afferendum transcendere, vt per solam respirationem se homo in tali statu viuere, ac in ea vita renouare se sentiat, & rursus per respirationẽ discernat, quòd extra

Hæc requies in Deo vita esse videtur potius quàm operatio

extra eum sit? contentus tamen ijs quæ dixi, vnicuique liberum relinquam opinari quod voluerit. Hoc solũ dicam, dispositionem animæ de cæterò in maxima ignorantia suijpsius versari, idq; defectu visionis vel reflexionis: intellectu enim humiliato & depresso, vti dictum est, nulla introrsum capacitas est, quâ hunc suum statum extollat & magnifaciat; quin imò videtur ei res omnium simplicissima, maximè connaturalis & facillima, nisi quòd ex ijs rebus, quas experitur, facilè conijcere possit esse hic velut suburbium Patriæ cœlestis, præludium æternitatis, vitæ beatæ pignus, & solo vitæ huius mortalis pariete intermedio ipsam à beatis ac cœlestibus separari. Nam secundò status eius dumtaxat pax est & gaudiũ in Spiritu sancto, cum aliqua participatione immobilitatis & impossibilitatis: ita quidem, vt, etsi vellet, ob nullam prorsus rem contristari, vel dolere, aut conqueri posset, quamdiu hæc fruitio durat. Sicut enim dum in statu paupertatis iam antè explicato versabatur, adeò afflicta & paupertate repleta erat, vt ne DEVS quidem satis potens ei videretur

Quæ sit dispositio & sensus animæ.

retur ad ipsam è tantâ tristitiâ ac calamitoso hoc statu educendam; ita è contra adeò iam se ab omni dolore & angustia remotam experitur, vt, esto eam DEVS in infernum præcipitem iacere vellet, modò statum hunc interiorem retinere posset, se nihil prorsus putet passuram, idq; propter fortem tentionem, possessionem & amplexum quē de DEO habet, qui ei nonnisi à DEO ipso, cùm ei placuerit, tolli potest; (vti etiā tollit, cùm tempus aduenit) quin imò credit, quod si corpus penetraretur, si viscera aperirentur, & omnia eius mēbra singillatim in specta excuterentur, solum DEVM in ijs inueniendum, qui omnia penetret ad intimas vsque medullas, perinde ac si id quod corp⁹ hoc mouet & informat; totum diuinum, Deiforme & Deificatum factum esset. Vbi tamē tempus venit, iuxta diuinum beneplacitum, DEVS paulatim hanc fruitionem minui finit, & ab ipsa anima, quantùm ad actualem fruitionem, se sequestrat, illam reuerti permittens, vt ordinariam exulum mūdi huius vitam denuò viuere incipiat, ad vsq; primos eleuationis huius gradus, eam descen-

Sicut tenebræ, ita & lumē eius. Psal. 138

Talis fruitio transit & anima descendit vsq; ad gradus inferiores.

ſcendere faciens, quin etiam vlteriùs vſq; ad imum naturę inferioris, in tanta priuatione & carentia gratiæ, in qua erat nuper antequã hac fruitione gauderet; eo tamen diſcrimine, quòd, poſtquam ſic aliquã experientiam finis huius operis habuit, ipſa iam libera ſit à tot dubijs à quibus cùm primũ has vias tereret, obruebatur, nõ tam multas iam hîc difficultates inueniens, vtpote iam ſimilium moleſtarum operationum ſecreto, & fundo reperto. Et poſtea rurſus, poſt has deiectiones & paupertatis ſtatũ, ipsã denuò paulatim ad ſuperiores operationes aſcẽdere facit, & tandẽ ad eandẽ, quę priùs, fruitionem; atq; ita ſemper alternando ad mortẽ vſq; adeò vt per has viciſſitudines ſemper in cognitione & ſciẽtia diuinarum harũ ſemitarũ creſcat. Nemo tamen exiſtimet velim, has eleuationes & deiectiones breui aliquo tempore durare, & ſubitas quaſdam operationes eſſe, vti ſub initiũ perfectionis accidit. nam annus totus quandoque tranſit interim dum in ſuperioribus hiſce operationibus & fruitionibus verſatur: & iterũ alius annus antequam è priuationibus inferioribus emer-

Fruitio rurſus reuertitur.

emergere possit, sed tãdem omnia, tam extrema paupertas, quàm affluentia abnudantissima, ita ei familiaria & vsitata redduntur, vt omnis difficultas in consuetudinem & facilitatem ei vertatur; adeò vt ex hinc in posterum omnes has operationes, esto permolestas, sequi possit, iam inde ab infimis vsque ad sublimissimas; semper tamen in melius proficiendo, prout diuersæ experientiæ semper magis & magis lucem dant.

ANIMAM AD SVBLIMES *hos diuini amoris gradus euectam, non esse otiosam; & quid ipsa faciat.*

CAPVT XIV.

Quid anima faciat durãtibus fruitionibus.



TSI in sublimibus his gradibus tam notabiles sint fruitiones & aliç diuinæ operationes, vt animam satis longo tempore in DEVM eleuatam teneant, sibimetipsi illam penitus quantum ad sensum & reflexionem surripiendo, vt non nisi

nisi adeò diuinarum cõmunicationum experientiæ vacet; quibus durantibus aliud ei non est faciendũ, quàm vt DEO se permittat, diuino ei⁹ spiritui se credat, eiusque amore se repleri patiatur; hoc tamen tempus adeò breue est comparatione eius, quod ei ad interiùs negotiandum reliquum est, vt bona documenta & monita non tam id, quod huius temporis est, quàm id, quod alterius, in quo aliquid de eius cooperatione, fidelitate & bona administratione interuenit; spectare debeant. non omittẽdo scilicet exprimere id, quod à parte sua necessarium est, & præmonendo id, quod ipsa initio nondum tam clarè videbit: nam profuerit (etiam in his statibus) bonis documentis illustrare, quod experientia nondum tam cito ostẽdere potest. Totus igitur animæ scopus cùm sit, vt semper magis magisque sibi moriatur, vt eo feliciùs viuat & profundet se in DEVM; cumque precipua eius cura sit naturã superare & vincere, eamq; in suis corruptionibus reformare, vt non ampliùs ipsa sit, quæ peruerso quodam ordine in interiori, viuat & sentiatur; sed Spiritus DEI, qui

Et quid post illas

Quis scopus & præcipua solicitudo animæ sit.

solus sit Rex, Dominus, & Imperator in vniuerso hoc paruo regno, omnibus iam proculcatis & subactis. Sicut nunquam in hoc mundo tãtum hoc acquirere potest, quin semper infinitè plura acquirenda restent: ita nunquam naturam hanc tantùm subigere & conculcare possumus, quin semper satis multa supersint, in quibus secundùm ipsam moriendum est. Vnde hoc totum animę esse exercitium debet, vt studeat negligere seipsam quàm potest maximè, imò, si fieri possit, non amplius esse, vt solùm DEI nomen in ipsa sanctificaretur, DEI regnum in ipsa adueniendo, semper crescere posset, & sola diuina voluntas plenum suum & quem spectat cursum in ipsa habeat. Adeò vt anima deinceps tam suauiter Vinculis diuini amoris constricta sit, tam feliciter intra ordinem diuinæ gubernationis in suo interiori conclusa, vt multis verbis non sit opus ad explicandum, quid ipsa faciat, aut quibus exercitijs cum DEO occupetur. Cùm enim non ignoret, totum suum bonum in eo cõsistere, quòd ita semper magis & magis locum det, in se diuino spiritui (à cuius vita & san-

Quid eius sit exercitium.

Anima est captiua Dei.

cta,

cta eius operatione ipsa semper animari vellet) non potest extra tam beatum carcerem securè viuere, & extra hunc diuinum ordinem vllam delectationē inuenire; ideoq; se adeò mobilem, obedientem, & flexibilem secundùm diuinum beneplacitum reddit, vt per omnia & in omnibus diuinam ipsius internam ordinationem sequi studeat. Non propterea tamē fingenda & imaginanda est in pura exspectatione passiuitate vel otio agere, quasi planè nihil aliud ageret, quàm diuinam operationem expectare, & modo actiuo nihil prorsus facere auderet; etsi enim initio vix se audeat mouere, dum semper veretur, ne gloriosâ hâc captiuitate emancipetur; postquam tamen in hoc statu spiritûs, (ad quem tandem sustollitur, vt iam dictum est, non modò per operationes transeuntes, sed etiam per modum statûs, vitæ ac permanentiæ;) meliùs confirmata est, tantâ tunc spiritus libertate fruitur, vt quidquid ei placuerit, id facere, cogitare, ruminare, eique se applicare possit. Vbi namque omnis potentia interna diuino spiritui subordinata, & in debitum ordinem redacta

Spiritus libertas.

erit, nihil omnino est quod in DEO facere non possit sine vlla pacis ac serenitatis, quâ semper interiùs fruitur, læsione; illius tamen operatio non iam rudis, imaginaria, discursiua & inquieta est; sed subtilis, intimissima, immanens & pacifica, respectu semper habito ad id, quod pręsens eius status requirit, & ferre potest.

Quale sit operari ipsius animæ.

Quid anima faciat in statu fruitionis amoris.

Primò namque status est fruitionis amoris, tunc cùm actuales tactus amoris diuini ordinarij sunt. Et tunc omne eius studium in eo versatur, vt in tactibus illis se detineat; & respondeat, spiritum suum ab omni alia re auocando, vt pacificæ diuinorum horum tactuum attentioni vacare, & adeò inexplicabilium amoris diuini secretorum mirabilia percipere possit. quòd si aliquando per accidens interior status per occupationes externas, vel aliâ occasione turbetur; illius recollectio est ad huiusmodi pacificam attentionem reuerti, & semper magis ac magis hæc diuinarum affectionum secreta experiri. si tamen eam contingat nullum huc accessum aut aditum inuenire, nō propterea turbatur.

Hoc

Hoc in statu anima propè semper in habituali quodam interno tactu affe- ctionis agit, qui illius desiderium non finit otiari aut quiescere, sed efficit, vt penè continuò respiret DEVS, DEVS DEVS meus, ipsum hoc modo in centro suo velut constringens & complectens, nulla vt materiâ vel motiuo opus habeat ad se excitandam, sed duntaxat vt per attentionem ad seipsam reuertatur. Vbi ad orationem accedit, iam inde à primo instanti, eam ab huiusmodi affectuosa respiratione orditur, vt nullâ præparatione opus habeat. hoc enim ei tunc velut in naturam transijt; & vlterius singulariori cuidam attentioni insistendo, humiliter admittit, quæcumque DEVS illi dignatur communicare, nempe multo sinceriora & magis seria desideria, aut saltem actuũ suorum reiterationes, secundùm correspondentiam, quam interiùs reperit; non quidẽ indifferẽter operando quidquid ei ocurrit, sed semper, vt dictum est, iuxta insignem harmoniam prout stat⁹ eius, in quo in prę͏sens agit, dispositio requirit. Non tamẽ propterea existimandum est, animâ hic mysteria vitę

Status fruitionis amoris.

Luminatio Christi Domini passio & vita.

ac Passionis Dominicæ ruminare non posse: Nam sicut intellectus per familiaritatem cum DEO, & rerum harum internarum penetrationem magis illuminatur quàm antea, ita etiam à superiori quodam lumine illustratus est, quod mirificè eum iuuet ad longè enucleatiùs fidei mysteria recogitanda, quam antè per crassas suas imaginationes faciebat; adeò vt cùm tempus longum sit, orationes frequentes, recollectio ordinaria, quæ alias impertinẽtias excludat, quid aliud putas animam cogitaturam, quid eius menti se insinuaturum? nisi quòd plura & diuersa & seriò satis illi sæpè repræsentantur, non quidem per longas meditationes, sed breui tempore, ita vt simplex super aliquod mysterium reflexio iam non minoris efficaciæ & virtutis sit, quã olim admodum prolixa & laboriosa meditatio. Nihil ergo hinc exclusũ est, quod non aliquando ruminari & recogitari possit, verbi gratiã, mors, iudicium, infernus, & cœlestis gloria; isque deciperetur, qui aliter se rem habere putaret hoc tantùm hic singulare est, quòd potiùs puriores sint intelligentiæ, & velu

Qua ratione id fiat.

lut singulares quædam illustrationes, quàm crassæ imaginationes; quæ tamen non ab exercitio, cui quis proprietariè affixus sit, sed potiùs ab aliqua alia occasione externa, puta lectione, colloquio, reflexione, applicatione propriâ aut alia huiusmodi procedat; adeò vt anima nunquam antè prolixis & rudibus suis meditationibus, tam efficaciter de his rebus cogatauit; quàm modò huiusmodi simplex reflexio intellectualis est ad bonos effectus in ipsa producendos efficax.

Conclusio, animam in hoc statu non esse otiosam.

Anima ergo hæc in statu, vt videre est, non est otiosa; nec in nuda puraque expectatione tantùm, sed velut in continua operatione, non quidem eleuationis, vel interioris quæsitionis DEI, sed potiùs amplexûs eiusdem in cẽtro; vt quę in pace non sit, nisi ita se in DEO respirare sentiat, vtpote quæ ferre nequit, quod aliunde se solatia emendicare sentiat, vel in alterius rei exspectatione consquiescere, cùm diuini desiderij testimonium ipsi valdè intrinsecum sit, non quod dicere velim, omnem omnino cogitationem extrauagantem penitus ab ea exclusam esse, &

nullum in ea locum habere (hoc enim in hac vita impossibile est) sed nullius efficaciæ tales cogitationes esse, si modò vel minimum sibi prospicere non negligat.

Status & vita spiritus.

Secundò, est præterea quidam status & vita spiritus, iuxta quem anima non potest amplius mentaliter ita cum DEO loqui, nec, vt antè dictum est, dicere DEVS DEVS, DEVS meus. Sed dispositio aliud non continet quàm pacem, serenitatem, gaudium spiritus, & securitatem in DEO, vt ne verbum quidem loqui possit, quod actuali diuinâ operatione plenissima sit, & diuino spiritu velut ad fauces vsque repleta, quæ hinc vehementem quandam rei omnis inferioris compressionem operatur, & simul illinc vehementem quandam attentionem vel tendentiam versus dicti spiritus sublimitatem, in cuius caliginositate ipsa tandem immergitur, absorbetur & disperit, vt seipsā amplius nec videat, nec sentiat. Hìc ergo in tali regione deiformi verè reperitur requies quædam in DEO in plenitudine quadam essendi, vbi totus homo se sentit totaliter in spiritum transijsse, & omnia

Anima in spiritu diuino disperditur.

mnia inferiora supplãtata & illius sub imperiũ redacta, nihil vt propriæ partis reliquum sit, quàm centrale quoddam diuinę affectionis punctum, & hoc ipsum à tam potenti supiritu superiori penitus obrutum & oppressum; maneteque interior status verè & summè pacificus ac in DEO velut immobilis: verè tamen anima esse otiosa dici minimè potest. Nam vel actuali sensu diuinę infusionis plena est, vel si suijpsius est, ad euitandum velut interiorem quendam inutilitatis saporem, sunt parua quædam excitamenta, quibus vtitur, ad status huius sui sensum subinde iterandum, & vitam & respirationem suam, ita continuandam; non dico solum in DEO, anima enim hic planè diuina est, & ad similitudinem ipsiusmet DEI; de qua re hic plura afferre nolo, cùm verè isthæc fruitio nullum post se otiositatis dubium relinquat. Hoc solum, quòd, sicut ab hac sublimitate status, vsque ad inferiorem depressionẽ magna distantia est, & ipsa huc nõnisi paulatim ascẽdit; ita nec etiam vnâ vice simul tota descendit; sed postquam satis longo tempore in hac impressione talis frui-

Conclusio, nulla est hic otiositas, quæ totatis actiuitas sit expers.

tionis perseuerauit, sentit interea sublimitatem eleuationis in spiritu paulatim imminui; & quamuis in contrarium omnibus modis niteretur, nullâ tamen re mundi impedire posset, quo minùs ita fieret. Vnde contenta est, & in cooperatione sua interiore, prout præsens eius status exigit, sese gerit, ita vt toto illo tempore sui descensus ad inferiora, nullam penè operationem eleuationis ad DEVM exercere possit, quod ea tali interiori dispositioni conformis non sit; sed alium quēdam modum interiorem, qui præcedenti fruitioni amoris respondeat; quòd quidem tamdiu durat, donec hæc deiectio ad vsque inferiorem naturam perueniat; tunc quippe dicta impressio fruitionis in horum statuum inferiorum multiplicitate disperditur.

Quomodo anima à tā sublimi statu descendat.

Status priuationis.

Tertiò, est præterea illemet status deiectionis, priuationis, & tenebrarum interiorum, cùm scilicet anima, quę rerum præcedentium experientiam habuit, in præsens est ad status inferiores redacta; quo tempore durante, nec habet actualem illum affectionis suæ sensum, nec tendentiam ad DEVM, sed

omnia

omnia solũ virtualiter, voluntate semper manente bonâ; sed de facto, cùm in interiori suo necessaria gratiæ principia ad formandos actus spiritus & veræ internæ conuersationis cum DEO non habeat, sed imaginatio potiùs vigeat, & natura inferior dominetur, super est dumtaxat desiderium & sancta quædam inquietudo, denuo adspiritum atque intimissimam recollectionem reuertendi. Etsi autem anima ad hanc sui nouam eleuationem nihil possit, nisi in quantum DEVS ei ianuam aperit, & ipsa pacem ac fiduciam in DEVM conseruando, diuinum ipsius beneplacitum sequitur; multum tamen propriæ industriæ hîc interuenit, quam anima huc potest & debet adferre; adeò vt otiositas nõ magis hic locum habeat, quàm in statibus præcedentibus. Solummodò aliquando dubitat, num maior aliqua sibi adhibenda violentia & conatus sit, quàm de facto adhibeat, præsertim quando ipsa priuatio diu durat, & anima in suis imaginationibus, & sensibus naturæ, & grauitatis inferioris, reddita est stupidior. Ad quod respondeo, animam mediocriter in his

Multũ hic cooperatio nis animæ interueniet.

vijs exercitatam, hoc tempore se debere dumtaxat in pace & serenitate continere, nec cogitare quòd maiores & intensiores ei sint conatus adhibendi, aut alia exercitia vsurpāda, quæ ipsam ab hoc suo pacificę attentionis statu secundùm viam hanc mysticam auertant: si enim homo ad se reflectat, aduertere poterit, quòd cùm à diuino auxilo non prçuenimur & sustollimur, nihil ad nos huc disponēdos facere, possimus, quàm per industrias internas, & per mentalia quędā aspirationis & desiderij conamina pro modulo nostro hinc facere quod possum⁹, illinc verò in tali exspectatione, diuinæ dispositioni nos cōmittere, nec aliter nos in interiori nostro turbare debemus. In hoc ergo statu sæpè fit, vt tempus orationis videatur longum, labor verò satis grauis & magnus, ad se in bona mētis recollectione, cōtra aliarū impertinentiarū importunitatē cōtinendū. Anima namq; verè in imo est, multiplicata, & à reali in spiritu eleuatione satis distans, non solùm quod iuuare ipsa se diligenter debeat, ad se introrsum occupandam, sed, cùm hîc ipse eius conatus nullam efficaciæ latitudi-

Permolesti casus.

tudi-

tudinem, nullam durationis extensionem habeat; orationes ita elabuntur, vt ne simul quidem ad DEVM se conuertere, vel vnam ad spiritum eleuationē operari queat: sed nescio, quomodo, à molestâ quâdā dispositione planè oppressa, suam ipsa pacem & fiduciam retinere tantùm possit, meliorem sortem in posterū sperans. Vnde etiam totum secretum in eo situm, leuiter scilicet & sereno quodam spiritu, recollectioni suæ cooperari, omnem prorsus grauitatem, morositatem, & internam tristitiam euitando, contenta quod statum suum pacificum & serenū saltem retinere possit, tametsi heroicos in Deū actus, prout quidem vellet, producere nequeat. Virtuale enim quod DEVM inueniendi habet desideriū, & tendentia habitualis, sincero ei placendi desiderio cōiuncta, satis id quod deest supplet, modò homo se semper humiliet, & agnoscat quàm parum pro nunc in id genus formalibus actibus ex se possit: cogitando hæc (vti reuera sunt) heroicis animabus propria esse, quę à gratia actuali præuentæ, huiusmodi actus facere, cum interna correspondentia

possunt, pro nunc verò, quod hoc ipsius non sit, sed tum futurum sit, cùm illi DEVS ianuam ad operationes spiritus exercendas rursus aperiet: interim in hoc suo statu gaudens, suâ est paruitate contenta, Deumque laudat. Sed incipientes his loquendi modis abutuntur, cùm hasce veras internas & spiritus supremi res nõdum experti, & imaginationibus & alijs inferioribus multiplicitatibus pleni, nimis tempestiuè hunc exspectationis, vel in diuinam dispositionem resignationis modum in se formare volunt, suam ipsorum non adhibentes industriam. Nam nimis quã multũ differunt status eius animæ, quæ gradus præcedentes iam prætergressa est, & eius quę solum se ad primas operationis spirit⁹ admissiones debet disponere. nam hæc nondum vllas veræ infusionis diuinæ species, vestigia, vel impressiones internas habet, & consequenter aliam introuersionem quam speculatiuam imaginariam, & à seipsa procusam, & forsan suis in opinionibus quoad hasce vias impertinentẽ, dũ eas pro libitu suo capit & intelligit.

Notanda pro incipientibus.

De

DE VIA MYSTICA ET SCHOLASTICA: vbi tractatur de eo quod à parte voluntatis inuenitur. Deque harum duarum viarum discrimine.

CAPVT XV.



X ijs, quæ suprà commemorata sunt, facilè videri potest, ecquod sit inter viam mysticam ac diuinam, & viam naturalem & scholasticam discrimen, vti & id, quod à parte voluntatis statuimus, cùm ipsa totius huius vię mysticæ fundamentũ sit, immediatum diuinæ operationis amoris subiectum, totius huius ædificij diuinarum communicationum sustentaculum, primum mobile omnes alias sphęras intellectuales post se rapiens, & prima horologij nostri spiritualis rota: atque ideo permagni referre exactè nosse ei⁹ secreta, vt cũ nouerim⁹, quid in eâ & apud eã reperitur, ipsum alibi nõ quę ramus. Vt ergo veræ cognitioni, elucidationi & plenæ informationi vię hui⁹ nihil desit, etiã hic vniuersum ejus statum deducemus, nec non

Deus realiter est in centro voluntatis.

non modum quo quis se in via hac mystica gerere debeat. Primò, cùm voluntas omnium potētiarum animæ nostræ intimissima & nobilissima sit (tametsi nonnulli refragentur) hunc etiam ipsa in centro suo & intimiori sinus & ambitus sui parte, realem diuini Esse præsentiam & immediatam assistentiam habet, tactum & effectum diuinę ipsius operationis immediatè recipiens, tamquam viuum ac liberum diuini amoris instrumentum, templum DEI, sacrariū Spiritus sancti, hortus deliciarū ipsius, eiusque reclinatorium aureum, cubiculum nuptiale, & secretus sponsi thalamus: quæ de cetero ita in suis operationibus libera est, vt vera, formalis & intrinseca libertas in solo eius territorio habitet, indifferentem se in semetipsa & ab vna parte in aliam flexibilem, ad bonum vel ad malum, ad volendum & non volendum, consentiendum vel repudiandum sentiēdo: motiua & motuum suorum causas vtrimque recipiendo, vel à parte obiecti ab intellectu propositi (qui è rebus consideratis prȩteritis, futuris, multas causas & rationes elicit, ad voluntatem persuasionibus

Volūtas à duab. partibus motus suos recipit.

bus

bus & vrgentibus motiuis quæ ei proponit, versus DEVM mouendam) vel etiam à parte suijpsius, cum immediatè à DEO propriæ efficacitatis applicationem recipere possit ad volendum, vel se versus diuinum eius amorem inclinandum. Cùm enim adeò propè ei sit, vt ei intimiùs præsens sit, quàm ipsa sibi, hinc etiam continuò ad cordis vel voluntatis huius ostium stat, quo ipsam ad bonum emoueat, eiusque consensum eliciat.

Ego sto ad ostium, & pulso. Non solũ ait, Rogo vel inuito, sed pulso, verbero, & exercito. Et sanè solus DEVS, & nullus præter ipsum, ita seipsum ingerere, insinuare & irrepere in intimã voluntatem potest, non obiectiuè solùm vel metaphoricè ipsam mouens, verùm etiam realiter & de facto eam immutans, inclinans, & inducens ad volendum id, ad quod volendum ante nec vires, nec gratiam, nec facultatem habebat, scilicet ad amorẽ eius actualem: per præuẽtionem tactûs sui, quem ei imprimit, & per applicationem non solùm formalem, qui in effectu terminetur, verùm etiam præuium & in causa,

sa, ipsammet voluntatem realiter tangendo, vt sentiat se tunc amare non solùm ob aliquas causas, motiua, vel rationes, quas ei intellect' proponit, verùm etiam ob realem immutationem quam in se sentit, quæque à DEO velut primo principio supernaturali omnia mouente, in se ipso tamen immobile persistente, venit. ipsa verò huic efficaci motui se coniungit, ipsum acceptat, ei locum dat, & in huius virtute efficaciter vult id, ad quod à tā potenti principio diuino mouetur; non quod vllam ei præuentione suâ necessitatem imponat, sed efficaciam dumtaxat, in vnaquaque causa secunda iuxta naturam & proprietatem ipsius operando. Adeò vt cùm omnis alia creatura, qualiscumque demum ea sit, bonus Angelus aut malus, nonnisi exteriùs à parte obiecti, per exteriores & morales persuasiones voluntatem mouere vel incitare possit; DEVS solus in ipsam-met potentiam intrare, eam immutare, inducere, & efficaciter ad quod voluerit inclinare potest, sine vlla tamē libertatis eius iactura. Nihil vt melius aut felicius accidere homini possit, quàm vt se conuenien-

D. Tho. 1. p. q. 19 art 9. q. 83. ar. 1. ad 3. qu. 106. a. 4 & 5. & q. 106. ar. 2.

uenienter gerat ad dulces hosce tactus diuinos (qui semen & origo sunt omnis profectûs in via mystica, & quibus ipsa potissimum innititur, & non nudis persuasionibus per intellectum) audiendos & percipiendos, ita vt eos non offuscet non modò per ea, quæ terræ & huius sæculi sunt, verùm etiā per alias inordinatas occupationes, tametsi alioqui bonas & meritorias, quæ immediatam ad modum procedendi quem diligens horum diuinorum tactum ita intimorum & secretorum obseruatio & sequela requirit, relationem non habent. Quia ergo ex omni demum re homines artem & sciētiam aliquam conflare conantur, bonis quibusdam indūstrijs, Spiritui sancto cooperari, atque alijs per bona documenta prodesse studentes, vt, quantum fieri potest, vnumquemque ad DEVM pertrahant; hinc res iam cò processit, vt, sicut ex primo procedendi modo per intellectuales persuasiones, libri bonis regulis, legibus & præceptis scatent, vt per bonas & salutares effectuum DEI, quos nobis in hoc mundo dedit, tam gratiæ quàm naturæ, meditationes, intellectui occasionem

Experimentalis Dei cognitio è diuinis eius tactibus nascitur

Nota summariam horū duorū distinctorum modorū explicationem.

ſionem demus conſiderandi rationes & motiua, quibus voluntas per hanc viam ad amandum inclinetur; ita è ſecundo modo conducendi animam, vt ad intimum cordis ſui, & ad cētrum voluntatis ſuæ reuerti poſſint, ibiq; primā originē & fontem, qui nos inhabitat, mouet, omneque bonum in nobis operatur, ac præſertim actus hos ſupernaturales ita ſingulares, per mille occultas ſemitas ad finem ad quem nos deſtinauit, nos conducendo, inuenire poſſit; eſt explicata via myſtica & diuina, fundata nō tam ſuper perſuaſiones humanas, quas adferre intellectus ad inducendam voluntatem poteſt, quàm ſuper realem tactum, impreſſionem & infuſionem, quam in hac ipſa voluntate DEVS facit, eiuſdem efficacitatem applicans, & efficaciter eam mouens vel inclinans, vt amare velit. Ad quod tamen homo ſe per gratiam præuenientem diſponit, vnà cum vſu huius efficacitatis propriæ dominij, ac libertatis, quam ſuper actus ſuos proprios voluntas habet, proinde pro poſſe ſuo & pro adminiculo gratię, actus deſideriorum & affectionis erga DEVM producens,

cens, vt eum ex toto corde ſuo amare ac diligere poſſit, exſpectans tamen interim, ampliorem manifeſtationem, quã DEVS ita interiùs requiſitus circa ſummitatem ſpiritus, ex ſe ipſo facere dignatur per intellectum, & puriſſimum ſinceriſſimum & perfectiſſimum amorem, quem per voluntatem pro beneplacito ſuo, & quoties & quomodocũque ei videbitur, operari dignatur: vt quem ipſa mille ſuſpirijs, precibus & internis in diuinam ipſius diſpoſitionem ſubmiſſionis actibus implorat, non verita aliquid de libertate ſua deperdere, ſi eum ſine fine & inceſſanter, noctu & interdiu oret, vt hãc ſuam voluntatem gratiâ ſuâ præueniat, & impulſione ſuâ diuinâ eam moueat, & efficaciter applicet, ſeruitutem & vincula diuini eius amoris gloriæ loco potiùs ducens, quò nihil aliud facere poſſit, quàm quod illi gratum; & in hoc ſuam perfectionem conſtituens, quòd nihil facere poſſit quàm quod ille priùs voluerit, & quod eam velle vel amare fecerit; adeò vt huiuſmodi volũtas velut expeditiſſimũ quoddam ſit inſtrumentum, & ita facilè iuxta ſolam eius

dire-

directionem diuinam mobile, vt aliud velle non possit, quàm quod ipse vult & quomodo vult, non iam volens ex se, sed mouente Spiritu sancto, qui in se & per se velit.

Quia ergo via, quà ad DEVM itur, vt dictum est, diuersa & duplex est, hinc diuersimodè etiam sequuntur, qui de hisce materijs tractant. Multi, & quidem magni nominis Doctores Scholastici, primæ solùm adhærentes, etiam primò negant hanc realem & præuiam ipsius voluntatis motionem; ac deinde credere non possunt alium esse procedendi modum, quàm per præuias intelligentias, ratiocinationes & motiua voluntati proposita, quibus ipsa vt potentia quædam cæca, inducatur ad volendum, vt quæ aliter moueri nequeat, imo verò impossibile putent, etiam omni possibilitate & virtute diuinâ, aliter posse moueri, quàm per præuiam intelligentiam, aut aliter à DEO posse applicari ad amandum, quàm per præcedentem intellectus aut cognitionis amori, qui in voluntate residet proportionatæ illustrationem, qui etiam hâc de causâ Seraphicum Doctorem S. Bonauen-

Aliqui negant realẽ & præuiam voluntatis motionem.

nauenturam,& alios mysticos Scriptores sugillant, tamquam si subtiliter decepti experiri putassent, quod reipsâ & in effectu nihil erat; impossibilitatem tot rationibus confirmando, vt nullus tam valida argumenta refutandi, iam videatur superesse modus. Alij econtra, cùm experti sint modum, quo DEVS se interdũ in intimissima voluntatis parte sentiri facit, non per modum obiecti cogniti, sed per modum primi principij tam mouentis & applicantis voluntatem ad amandùm per tactum suũ immediatum, quàm intellectũ ad quærendum faciem & præsentiam eius, quem cor ita tactũ diligit, dicunt, præter naturalem & humanum ad DEVM tendendi modum per cognitiones prę-uias, & persuasiones intellectuales (quæ haud dubiè, nihilominùs prima est, quam exercere debemus) esse & alium procedendi iuxta voluntatem, qui super realem præsentiæ & immediatæ assistentiæ DEI in voluntatis centro experientiam innititur, quæ nõ in præuijs plurimarum rationum per intellectum cõceptionibus, sed potiùs in præuio tactu & impressione diuina in voluntate

Alij testantur de tactu diuino sine præuia intelligentia.

luntate consistit; animâ comperiente se amare, & cor suū à diuino amore, iam incipere repleri, & tamen nihil antea concepisse velut motiuum aut causam, & ne quidem in progressu; imò nihil quod eius ratio sit vel origo, nisi dumtaxat realem DEI in intimissimo suipsius penetrali experientiam; cùm DEVS possit voluntatem ita inclinare & immutare, vt alijs potentijs id non indicet, imò verò pro delitijs illi esse videatur, quòd ita se in hoc centrum *ianuis clausis* & improuisò insinuet; pacem & quietem in animam hanc inferrēdo, omni illâ anxiâ solicitudine depulsâ, in quâ vt eum per modum obiecti cogniti & per intelligētiam actualem; quęreret, versabatur, efficitq; vt huius loco anima actualiter experiatur, quomodo ei realiter in centro assistat, & quomodo ipse primum principium sit, à quo ad omne bonum moueatur, & singulares diuini amoris sui actus eleuetur, ideoque de facto ita efficaciter tangatur, vt, quamuis liberè ipsum prosequi eique cooperari se sentiat, ignem adeò diuinum inexplicabili quâdam fęlicitate ex corde suo exhalando, originem

Per hūc tactum anima ad experiētiam realis præsentia Dei venit.

ginem

ginem tamen nullam aliam huius rei agnoscat, quàm diuinum tactum & diuinæ operationis præuentionem, velut gratiam efficacem, quæ omni humanæ duritiei præualeat; illius dispositioni non aliter se submittēdo, quàm instrumentum inter manus artificis, aut potiùs sicut manus pueri scribētis sub manu magistri, pro beneplacito suo eam mouentis ac dirigentis, ita alioquin eā post se habentis, vt, etsi scribat, magistri tamen sui ductioni & impressioni se submittat. Quòd quidem ita videtur verum, vt intellectus de foris manens, & volunntatem diuino amore sic repletam sentiens, vt tamen nihil omnino per se transierit; admiretur obstupefactus, quid vicinæ suæ acciderit, & petat, quid habeat, quâ ratione aut motiuo ad ita ardenter amandum excitata fuerit, vt intra suos limites consistere, aut rem, quæ vires suas subinde ita excedat, ferre non posse videatur? Sed voluntas, vti etiam iam antè superiori capite dictum est, respondendo, exclamare posset: *Quàm terribilis est locus iste! hic domus Dei est, & porta cæli: verè Dominus est in loco sancto suo; &*

Intellectus manet obstupefactus.

ego nesciebam. Vel vnà cum D. Augustino ad DEVM loqui: *Ecce intus eras, & ego foris, & ego te ibi quærebã, &c. mecum eras, & tecum non eram,* &c. *Vocasti & clamasti, & rupisti surditatem meam. Coruscasti, splenduisti, & fugasti cæcitatem meam; fragrasti, & duxi spiritum, & anhelo tibi. Gustaui, & esurio & sitio. tetigisti me, & exarsi in pacem tuam.*

Lib. 10. Confess. cap. 27.

Quocirca nemo non interiùs cognoscit, tactum hunc venire à re, quæ omnibus potentijs preuia est, id est, immediatè à DEO, nõ autem ex virtute creaturæ alicuius; ipsumque esse, qui in secreto omne bonum operatus sit, quod anima per hanc aut illam potentiã facere potuerit, ipsum paulatim clarissimè & apertisimè videndo; ac præsertim tũ, cùm ipsa intra voluntatis limites totâ coactâ, & intellectu & omni aliâ potẽtiâ sedatâ, transcensâ & iussâ quiescere, iam vsque ad fontalem aquæ huius diuinæ gratiæ originem peruenit; Interea verò, & antequam eò perueniat, has saltem excitantes gratias recipiens, à quibus ad actus sublimissimos,

mos, quoties, & quomodocumque, & quamdiu DEO beneplacitum est, extollitur: est frequens horum tactuum reiteratio, quæ principalis existit origo & fons omnis eius felicitatis, profectus, & consummationis in cognitione secretorum viæ huius mysticæ. Etsi enim motus hi initio tenues sint & delicati, vtpote secretissimè venientes, & nonnisi per modum illarum gratiarum excitantium, de quibus in scholis Theologicis, in materiâ de gratia agitur, vbi docetur, DEVM solere, etiam ante omnem nostram deliberationē, vel vsum libertatis nostræ, nos præuenire, tum intellectum illuminādo, tum cor tangendo, & bonum inspirando; & quod sicut hæ præuentiones interdum sunt, timoris & horroris diuinorum iudiciorum, ita eas realis tactûs amoris esse posse; ita vt creaturā benedictione coelesti etiam ante omnem suam industriā humanam præueniat, quando vero hi motus & tractus aliquando tempestiuè in nonnullis contingunt, thesaurumq; hunc in intimo voluntatis penetrali absconditum reuelare ijs incipiunt, & ipsi eos non offuscant, tandem etiam

Frequētes tactꝰ diuini, sunt causa profectus animæ.

Aliqui tempestiuè ab his tactibus præueniuntur.

valdè citò vsque ad fundum eos cõspiciunt, & in centrum suum penetrant ad vsque primam harũ diuinarum operationum originem; atque ita per verã & realem experientiam comperiunt, DEVM fuisse, qui intus omne bonum quod facere potuerint, operabatur, palpabiliter sentientes & velut manu tangentes, quod simplices dumtaxat credunt, docti verò per suam scientiam intelligunt, de reali & immediatâ diuinę essentiæ præsentiâ, quæ animæ nostræ anima, & vitæ nostræ vita est: cum tactus hi ferè semper inopinatò accidãt, tum cùm anima de DEO per visionem vel cognitionẽ intellectualẽ quærendo anxiè laborabat, & nihil minùs quàm de hoc modo cogitabat; atque ideo eò admirabiliores sunt, & stuporem merentur, quòd sic realiter in hoc centro inueniatur id, quod lõgè aliter per modum scilicet obiecti conquisitionem intellectus terminantis, quærebatur. Adeò vt propterea, ad verbum & ad litteram, ita vt glossâ vel interpretatione opus non sit, locum habeat id, quod S. Dionysi[9] Areopagita quodã loco ait: *Oportet autem videre mentem nostram* *habe-*

De diui. nom. c. 7

habere quidem virtutem ad intelligendum per quam intelligibilia inspicit: vnitionem autem excedentem mentis naturam, per quam coniungitur ad ea, quæ sunt supra ipsum. Secundùm hanc igitur oportet diuina intelligere; non secundùm nos, sed nos ipsos extra nos ipsos statutos, & totos deificatos &c.

Super quæ verba sic habet Vercellẽsis: *Sciendum est autem, quòd mens nostra habet virtutem ad intelligendum; quam dicere possumus theoricum intellectum, per quam mens intelligibilia inspicit: habet propterea mens imitationem, quam intelligimus summum affectionis apicem, quem propriè perficit dilectio* DEI, *extendentem per exercitium naturam mentis, per quam mens cõiungitur theorijs, tam naturam suam quàm exercitia sua excedentibus, per hanc ergo imitationem oportet nos cognoscere diuina, non secundùm sobrietatẽ intelligentiæ nostræ, sed statuendo nos supra nos ipsos tota virtute* DEO *vnitos, iuxta illud* Thren. 3. *Leuabit se super se.* Vt 1. Corint. 5. *Qui adhæret Deo vnus spiritus est*, &c.

In extractionibus.

* forte *vnitionem.*

Idem Dionysius de mystica Theologia in fine cap 1. *Tum demum, ait, & ab ijs quæ cernuntur, & ab ijs, quæ cernunt, liberatur, & in verè mysticã ignorationis caliginem irrepit, in qua omnia cognitionis subsidia deponit: atque in eo fit qui penitus tractari viderique non potest, totus eius qui superat omnia, nec vllius, nec suus, nec alterius, sed ei qui omnino incognitus est, omnis cognitionis cessatione præstantiore modo coniunctus; atque hoc ipso quod nihil cognoscit, mẽtem etiã cognoscendo vincit & superat.* Vercellẽsis in extractionibus huius libri sic habet: *Sed adhuc restat principalior eius cognitio, quæ figuratur in eo, quòd Moyses post prædicta separatur ab his, qui* DEI *locum secum viderant, & subtrahitur ipsis visis, & intrat ad caliginem ignorantiæ* Exod. 24. *Id est, vnitur incomprehensibilitati diuinæ, quam non penetrat intelligentia, quæ ratio est omnium clausiua, & in se claudit, & secretissimè celat omnes cognitiones comprehensiuas tamquam in prima omnium causa. Et per eam omnis vnitus* DEO, *qui*

qui est super omnia, constituitur in excellentia, quam neque ratio inuestigat, neque intellectus speculatur, & ab omnibus, & quasi à seipso segregatur. Et per *vnitionem dilectionis, quæ effectiua est veræ cognitionis, vnitur* DEO *intellectualiter ignoto; cognitione multò meliori quàm sit cognitio in eo, quod intellectualem cognitionem derelinquit super intellectum & mentem* DEVM *cognoscit.* Nota.

Et Stabulensis sic habet: *Deinde verò ipse diuinorum cōtemplator & visibilia & intelligibilia post se relinquens ingreditur mysticam diuinæ ignorationis caliginem, in qua omnia scientiæ & cognitionis adminicula terminans; imò ad illius introitum omnem deponens à se cognitionem ac scientiã, & omni motione se exuens; totus in eo absorbetur, & efficitur, qui neque tactu, neque visu percipi potest, quique transgreditur omnia,* &c. *Ipse autem contemplator* DEO *penitus ignoto coniunctus est in hac diuina caligine, per vacationem atque carentiam omnis scientiæ & cognitionis:*

qui sanè cognoscendi modus præstantior est, quàm quiuis alius; per notiones & intelligentias ad DEVM *conscendere annitens. Nam eo ipso quòd diuinam ingressus caliginem speculator diuinorum nihil cognoscit; ipse est supra sensum, & mentem omnem cognoscens.*

In cap. 1. Theolog. mystic. Et Lincolniensis sic: *Qui superascendunt ascensione omnium sanctarum extremitatum, id est, virium apprehēsiuarum, secundùm extremum & summum suæ possibilitatis augmentum,* &c. *derelinquunt omnia diuina lumina illustrantia, videlicet vires apprehēsiuas, vt agāt proprias actiones, actiones in quātū sic illustrātia, & sonos & sermones cœlestes, id est, actuales instructiones, spirituales vel Angelicas, vel ex sacra Scriptura susceptibiles. Et introeunt in caliginem, id est, actualem ignorātiam omnium vbi verè est* &c. *Solùm enim ibi verè inuenitur & tenetur, & qualis ibi inuenitur, nō est effabile homini, & propter hoc benè dicitur sine sermone.*

Et inferiùs: *In hac enim caligine non solùm otiatur quantū ex parte sui, ab*

ab actibus apprehensiuis, sed nec suscipit influentias motiuas in actus apprehensiuos. Et ita est in perfecta actuali ignorantia omnium creatorum, & insuper ignorãtia omnium diuinorum, &c. perfectè autem incogniti omnis cognitionis in operationem secundùm melius vnitus, id est, secundùm supremam virtutis desideratiuæ & amatiuæ. Cessans enim in ista caligine ab operatione omnis cognitionis, sed æstuans desiderium solius DEI *perfectè ab ipso incogniti, ipsi soli vnitur.*

Idem Lincolniensis cap. 2. *Per superferuidum itaque amorem, absorbentem omnes alios actus, & in solum Deũ tendentem, vnitur mens* DEO *in hac caligine.*

Adeò vt mysticæ Doctores talẽ realem experientiam DEI in centro, per modum primi principij mouentis vel velut spiritus spirantis, fontis & originis omnis amoris & cognitionis infusæ & ipsis præuiæ, notantes, suos etiam libros similibus documentis repleant, docentes quid sit, quod homi-

nem ad talem diuinam experientiam conducere possit; & arguentes eos, qui propriæ operationi continenter affixi, nunquam DEO dant locum, vt possit ipse per se in ipsis operari quodcumque expedire iudicauerit, atque ideo numquam in animâ suâ eò perueniunt, vt ad primam originē è qua per creationem emanarunt, pertingant, vel vsq; ad fontē aquæ viuæ gratiæ salientis per actus amoris & cognitionis in vitam æternam, non satis valentes desiderare vt vera habeatur eius rei cognitio, vt postea ad ipsam experientiam perueniatur, quę millecuplò facilior est, quàm comprehendi possit: His solùm seipsos excludentibus, qui per opiniones in contrarium sibi ipsis portam planè occludunt; in quo verum esse ostendunt id, quod vulgò dicitur, sæpè simplices, idiotas & illitteratos capaciores esse diuini amoris, quam doctos & litteratos, qui sapientiæ suæ humanæ nimis addicti sunt.

Operationi Dei in nobis dandus est locus.

Opiniones erroneæ circa has materias multis impedimento sunt quo minùs ijs se applicent.

Atque vt hæc procedendi ratio non cōsistit in subtilibus, ratiocinationib9, compositionibus, diuisionibus, discursibus aut conceptibus præuijs, sed

potiùs

potiùs in intrinseca voluntatis vi & efficaciâ fundatur, atque etiam magis in tactu, reali præuentione & impulsione diuinâ, ad quam se per actus amoris & affectionum disponit, primo formatos per se in virtute fortis & sinceræ voluntatis à gratia diuina adiutæ; dici non potest, quàm hæc procedendi ratio simplex sit & sincera, nec nisi verus abusus & ignorantia est, cogitare, hunc modum tenere, esse velut ambulare in magnis & mirabilibus super se, & velle se quodammodo præsumptuosè in res sublimes, & extraordinarias, atque adeò in DEI secreta ingerere. Certum est enim, viam hanc mysticam in amore fundatam simpliciorem esse & minùs in formâ rerum sublimium, quàm non speculatiuam in præuijs speculationibus consistentem, quæque sæpè altissima Sanctissimæ Trinitatis mysteria, aut alias sublimes perfectiones diuinas ruminat; quod prior illa vix vmquam facit: etsi enim tot intellectuales illuminationes & aliæ sublimes operationes ei cum tempore obueniant, vti iam supra hoc in tractatu expositũ est; omnia tamen ei præter exspectationem,

Via hæc simplicitate plena est in suo procedendi modo.

Anima nõ quærit sublimes cognitiones, sed hæ à Deo infunduntur.

nem,

nem, & directè nihil tale ambienti cótingunt, excepto solo amore, cui affixa manet, quique ipsam tandem, omnibus iam superatis, ipsis etiam actibus, & potentijs, eò conducit, vt ita intimè in voluntatis centrum penetret, vt DEVM realiter & essentialiter ibi habitantem illic inueniat, non solùm velut obiectum cognitum & contemplatum per formam visionis interioris (quæ tamen prima est earum, quæ per intellectum inueniuntur) verùm etiam vlteriùs (intellectu illic relicto) velut spiritum inspirantem, vt principium mouens, & velut spiraculum amoris intimissimè in centro voluntatis, per experientiam cognitum; atque ideo nullatenus per modum rei altæ & sublimis, sed verissimæ, & intimissimæ, qui quidem modus etiam simplicissimus est sed sincerus, ac nihilominus efficax & facilis, proprius & aptus ijs, qui bonum iam in mysteriorum fidei nostræ meditatione fundamentum iecêre: aut etiam ijs, qui cùm cognitioné vni rei certæ diuastigere nequeant, longas meditationes instituere nesciunt, ardenti tamen DEO placendi desiderio

Quibus hic procedendi modus proprius sit.

ſiderio ferũtur, ad omne bonum prompti, omnigenæ virtutis cupidi, ſeipſos abnegare parati, & in paſſionibus ſuis edomandis ſerij, ac diligentes ſunt, & nonniſi conuenientiſſimũ diuini amoris comparandi modum quærunt. Etſi enim magnis ſpeculationibus & profundis cõmentationibus apti non ſint, nec profundi ingenij ad penetrandum tot regulas & præcepta ad benè meditandum præſcripta; in hac via, multùm & ſincerè amare conentur, (etſi ſine regula, ordine, & modo ſcientifico) & ſatis multum fecerint: qui enim hic melius amare ſciet, etiam melior & aptior erit. eâ tamen conditione, vt interno exercitio Amoris iungatur, & quidem fideliter, exercitium mortificationis, vt nimirum homo ſeipſum vincat, cõmoda propria & affectum erga res omnès negligat. Quæ mortificatio ita neceſſaria eſt, vt niſi fideliter cum amore coniungatur, ſatius foret, viam hanc non inijſſe, & nihil de ea intellexiſſe.

Nota.

Mortificatio & exercitiũ amoris ſimul iungi debent.

Hæc eſt differentia inter viam myſticam vel diuinam & inter ſcholaſticam vel naturalẽ; & hinc eſt, vnde procedit ipſa intelligentiarum & conce-

ptuum rerum interiorum, quos scientifica cognitio causat, diuersitas, ab ijs modis loquendi, quos Doctores mystici, & viæ huius experientia, docent. Modus enim naturalis procedit per inquisitiones, indagationes, & profundas per intellectum considerationes, vt hâc ratione voluntati materiã, vrgentia motiua & inductiuas rationes subministret, quibus eam ad amandum inducat, trahat & moueat, tales rationes multiplicando, exaggerando & repetendo, vt eam efficaciter ad hoc faciendum inducere queat. Vnde fit, vt hæc contemplatio vel per discursus & ratiocinationes fiat, aut saltem eas supponet, & in ijs fundetur, & amoris qui inde sequitur reddi semper causa & ratio possit, cùm ex iudicio practico & determinatione quam intellectus voluntati præfigit ac suggerit de rei contemplatę conuenientia, sequatur. Et secundùm hanc viam non comprehendit homo, amorem in DEVM ferri posse, nisi per has & illas rationes, bonitatis, sapientiæ, magnitudinis, & similium attributorum diuinorum, cognitione, quæ discernit, iudicat, & offert voluntati

Quomodo naturalis modus procedat.

luntati rationes has, velut motiua & efficacissimas persuasiones: cōsequenter etiam in hoc modo intellectus dominatur potius & regit quàm voluntas, cùm eum velut suam regulam & directorem semper sequatur, & iuxta directionem, dictamen & imperium iudicij practici moneatur. Vnde non est mirum, si de voluntate ita humiliter sentiant & loquantur, & intellectum velut imperatorem ei leges præscribentem tot partibus ei præferant. Quæ omnia licet vera sint, & ad praxin, cùm tempus est, redigenda; ex ijs tamen quæ hoc in opere deduximus, vidisse lector potuit, nos iam paulatim hunc modum super persuasiones & motiones has finales fundatum, solum à parte obiecti per intellectū repræsentati, relinquere cœpisse, iam inde à capite tertio, in quo de secundo meditādi modo agitur. Anima enim, viso talem viam non esse adeò efficacem ac quidem desiderabat, & talem industriam, quantumuis bonam desiderij sui magnitudini non satisfacere, viam aliam breuiorem & efficaciorem inuenire cupiebat, quàm per res illas, quæ à parte obiecti

Nota.

Quomodo procedat modus mysticus.

iecti inueniebantur, in solis humanis rationibus vel persuasionibus consistentes. Et profectò talis via animæ feruenti & ardenti minimè satisfacit: neque enim tam se sentit motiuis ac persuasibilibus argumentis opus habere (cùm aliud non desideret) quàm dolet se non habere de facto & realiter id, quod ipsa desiderat: atque ideo cum videat, precedentem modum longiùs extendi, quàm desiderabat, & nimis magnam ei seruitutem & dependentiam ab intellectu afferre suis rationibus & motiuis, quæ debet proponere; voluntas fortem se & animosam esse comperiens, vel saltem violentiam sibi aliquam (suauiter tamen) inferens, impostérum magis procedit per vim & efficaciam intrinsecam, quam in se habet cum diuinâ gratiâ & per libertatem, & dominium quod habet, ad hoc vel illud producēdum vel volendum, quàm per tot compositiones & diuisiones, tot inquisitiones & ratiocinationes, quibus intellectus se à parte obiecti occupare posset, ad ipsum plausibile & placens reddendum; potissimàm temporis sui partem ei ita suffurãdo, deinceps

Quomodo volũtas se gerat.

ceps simplici apprehensione & fide de DEO per intellectum contenta viuens, reliquum omne industriæ suæ, in actibus suis applicat. Perinde ac si hæc voluntas diceret apud se. Necesse est vt huic rei ipsamet manum admoueam, propriam meã intrinsecam industriam adhibendo, sicq; motum versus Deum mihi facilem reddam, meque paulatim ad infusionem, quam Spiritus sanctus operari debet, disponã; nec sic semper intellectûs huius serua & mancipium, vt à motiuis & rationibus, quæ mihi proponit, defendere debeam. Atque ideò se ad DEVM, à quo posthàc magis depẽdere cupit, quàm à propria sua industria, conuertens, ait: Volo te amare Domine DEVS meus, te desidero ex tota anima mea. quando tandem perfectè te diligam? quando in veritate te possidebo? Da mihi, DEVS meus, amorem tuum, tange cor meum, gratia tua præueniat me, fac vt te diligam, &c. Sicque sibi, ex ipso amore, qui est finis, quem ipsa desiderat, viam & medium sternit, quo ad ipsum perueniat, idque per frequentes actus, quos cõtinuò in corde suo reiterat. Esto enim amor diui- *Nota.*

nus

nus omnis boni sui sit consummatio, nihilominus est & fons & origo; quapropter cum & ab amore ordiatur, & in amore finiat, omnis hæc ad DEVM via aliud ei non est, quàm suaue quoddam amoris cœlestis exercitium: ita quidem, vt omnia ad ipsum referendo, etiam omnia in tali creatura, esto crux sit derelictio, amaritudo, molestia vel tribulatio, in amorem & in gradum ad semper maiorem perfectionem conuertantur.

Secunda ergo via mystica & diuina, videtur in suo procedendi modo, planè contraria & priori opposita, cùm omnes aliæ potentiæ non nisi ancillæ & subditæ ipsius voluntatis videantur, quæ in sede ac throno suo manere conata, imperat omnibus, & non aliter ijs vtitur nisi in quantum ijs opus habet ad actuum suorum formationem, & non amplius, & adhuc satis parcè & raro: hoc enim ipsa sibi proposuit; scilicet, quòd; cùm videat se ab omnibus olim supplantatam fuisse ab imaginatione & omnibus eius inanibus somnijs & phantasmatis, à passionibus & vniuersa earum turbatione & inquietudi-

Volũtas se facit reginam omnium potẽtiarũ

tudine, ab intellectu & omnibus eius chimæris & vanis discursibus, atque ita de cæteris; ipsa interim velut mortua & captiua manens sub tam oneroso inordinationis & confusionis iugo; hic demum ipsa iurauit fore vt omnium regina ac domina, quocunque demum dispendio ac pretio fieret, ac reliquis pessumdatis, ac superatis sola ipsa reuiuisceret. Quocirca, supposita dumtaxat cognitione DEI summè amabilis, generosè seipsam à parte suâ excitat, idque virtute dominij & imperij, quod in proprios suos actus habet, & recursum & fiduciam suam potissimùm in gratiâ & motione diuinâ per orationem, suspiria, & feruida desideria constituit: continuò se influentiæ diuinæ eius misericordiæ submittens; non quòd penitus & tam citò possibile sit intellectū excludere; nam propriè loquendo, intellectus non est exclusus, sed supergressus, neglectus, & retro relictus, in voluntatis tamen recollectione comprehensus & velut sub pedibus eius manens, vt quæ eum velut freno contineat, solum DEVM, vti dictū est, proponens, sub aliquo conceptu bo-

Intellectus non est exclusus, sed supergressus.

ni

ni summè amabilis, & omni amore, honore & gloriâ digni; quod item intimo suijpsius præsens est, ad secretissima vsque desideria ipsius penetrans: sed ipsa quoque voluntas simplicibus his conceptibus contenta solùm discit industriè actus suos producere, propriâ suâ efficaciâ potiùs eductos, quàm à rationibus multùm depẽdentes; donec huic procedendi modo valdè assueta integrum suum ipsa dominium & regimen in vniuerso hoc paruo regno interiori recuperet, & solam se reuiuiscere faciat, vnâquâque illarum, prout habuerit opus, vtendo, quò finem, quem spectat, consequatur. Atque ita, esto ei intellectus consiliarij instar sit, Rex tamen ac Regina semper supra consilium suum est, vti quàm sæpissimè reipsa ostendunt, cùm non obstante, & refragante concilio vel dictamine consiliarij dicunt,

D. Anselm. de Cõceptu Virginis c. 4.

Sic volo, sic iubeo; sit pro ratione voluntas.

si quis dicat, semper de necessitate aliquam apprehensionem præuiam requiri, tamquam conditionem necessariam ad obiectum voluntati applicandum; ita etiam dici potest, vestigia & impressiones,

ſiones, quæ realis diuinæ operationis experientia poſt ſe relinquit, paris vel etiam maioris efficaciæ eſſe, quàm omnes illæ conceptiones intellectuales ſunt. Quia tamen hæ impreſſiones non ſemper in vigore ſunt, ſed ſępè per terrenas diſtractiones & impedimēta obſcurantur; atque ideò, vt ſe à terrâ alienet, ſeque leuem & à concretione vel grauitate rerum materialium liberam reddat, neceſſe eam eſt, frequenter ſublimem quamdam verſus DEVM eleuationem formare, vtpote cùm tunc aliter intellectum hunc recolligere, aut ipſum ſub voluntatis imperium ſubiectionemve reuocare nequeat. Nihilominus ratio & modus quidam illi non deeſt, quo id ita facere poſſit, vt nihil ex eo ritineat, quàm ſpiritus ſerenitatem, & ſimplicē reſpectum ad id, quod in actuum ſuorum productione facit, quod reliquum eſt temporis, impendit in actibus proprijs, quos è ſeipſa elicit in omni pace, gaudio & hilaritate. Finge tibi iam diuinæ operationis auxilium (quę ordinariè propriæ noſtræ induſtriæ ſe accommodat, & conformat) nam illi ſolùm perſeueranter iter hoc a ſe-

Via hæc fundatur valde in diuino auxilio.

affectiuum continuare possunt; qui à diuino auxilio promouentur: intolerabilis alioquin labor foret, & qui optato fine non concluderetur. Hoc diuinum auxilium ergo in principio in eo consistit, quòd anima sæpenumero magnam in hoc procedendi modo, & in his actibus affectionum & desideriorum erga DEVM sic producendis, facilitatem inueniat; hocque ipsam valde corroborat, & paulatim docens hoc efficere vt reuiuiscat volũtas, per operationem scilicet quàm ferè semper in eâ & per eam facit, hic habitationem suam figens, & totalem suam attentionem intra eiusdem limites reuocans. Et quamuis ei DEVS adhuc multas illustrationes & cognitiones intellectuales conferat, ita tamen hunc humorem imbuit, ad omnia amori & possessioni totali seruire facienda, vt in nulla re occurrenti sistat, nihil satis esse existimans, nisi desiderium suum adimpletum sentiat.

Anima facit omnia seruire amori.

Super omnia autẽ, efficacissimè hanc totalem animæ intra voluntatis pomœrium introuersionem operatur, ipsamque suum imperium & dominium demum

mum recuperare facit efficacissimus quidam tractus & motus amoris, quem DEVS sępè in intimissimo eiusdem penetrali operatur, cuius sæpè in hoc ipso tractatu facta mentio est, qui vt plurimum inexspectato & nihil minùs cogitanti ei accidit, qui ipsam in momento in actuali motu amoris planè collocat. Et licet initio hi tractus diuini non tā profundè infixi sentiantur, & non tam citò ad fundum & centrum vsque reducant hominem; sed dumtaxat paulatim profundiùs agunt & penetrant; quia tamen hi tractus in nonnullis subinde satis tempestiuè locum habere incipiunt, hinc tum eos singularibus quibusdam gratijs & benedictionibus diuini amoris indicibiliter præueniunt, eos quā efficacissimè ad veram introuersionem reuocādo, idq; per frequentē huiusmodi diuinæ operationis iterationem, quę iterata operatio velut emicantes quidā radioli, & velut riuuli sunt ab inexhauribili amoris fonte, qui in voluntatis centro est, (vti tādem in fine apparebit) emanantes: conuersando ita paulatim cū magno illo DEO amoris & bonitatis, & cor suum in ipso abscon-

Tactus diuinus amoris est in parte amatiua.

Aliqui satis tempestiuè hos diuinos tactus amoris sentiunt

abſcondendo, & totalem ei libertatis ſuæ fruitionem & poſſeſſionem conſignãdo, vt in ſe & per ſe operetur, quidquid ei placebit & acceptum erit. Hæc autem operatio, quam in huiuſmodi corde DEVS facit, è principio ita intimo & efficaci prouenit, vt, (eſto actualis amor, quem operatur, in voluntate & per voluntatem fiat, cùm Spiritus ſanctus in ipſa ſpiret eamque reſpirare faciat hoc ſpiraculum amoris, & ipſa eum admittat, complectatur, & ſecum exprimat) ſi tamen rogaretur, cur amet, & quæ eam ratio ad actualẽ hunc amorem, quem ita producit, commoueat, reſpõſura ſit, hoc peti debere ab eo, qui tam efficacem inclinationem ſibi impreſſit. Nam cum tali efficaci principio quis aliter facere vellet? de cetero libentiſſimè conſentiat, & ei concurrat, & integram ſui ipſius poſſeſſionem ei dare conetur, vt ſic in ipſa ac per ipſam diuini amoris ſui opera operari dignetur, ſicut ipſa & hactenus toties deſiderauit & etiamnum deſiderat; hac occaſione millies ei per diem, cor, voluntatem, & omnem libertatem offerendo. Et licet hæc diuina operatio, directè

Anima amat & neſcit cur amet.

rectè loquendo, alium ſcopum & finem habere non videatur, quã hanc impreſſionem amoris infundere, & inſpirare ſic in voluntatem hoc diuinæ vitæ ſpiraculum, per inchoationẽ actus quem in ipſa imprimit, ſuo eam tactu & impulſione præueniendo: indirectè tamẽ, & eadem conſequentia experimentale in quamdã de DEO cognitionem poſt ſe relinquit, ita nouam & adeò tranſgredientem omne id quod antè vmquam cõceperat, vt omnes qui in mundo ſunt homines & libri tantùm ei dare vmquam non poſſent. Nam ex hac diuinâ operatione, & modo quo hoc ei accidit, & ex fundo ita occulto & intimo, quo ſe DEVS ſentiri facit, intelligere aliquã ratione incipit quid ſit, *Repentinus de cœlo ſonus aduenientis ſpiritus vehementis.* Quid, *Spiritus vbi vult ſpirat. & vocẽ eius audis, & neſcis vnde veniat, aut quò vadat.* Quid, *Muſto pleni ſunt.* Quid, *Fons aquæ ſalientis in vitã æternam.* Quid, *Charitas diffuſa in cordibus noſtris per Spiritũ ſanctum qui datus eſt nobis.* Quid, *Cor Regis in manu Dei eſt, quocũque voluerit vertet illud.* Quid, *Omnia opera noſtra operatus es in nobis Domine.* Et alia id genus, quæ & imperitiſſimi & indoctiſſimi quique ex abundantia talis diuinæ operationis

Act. 2.
Ioan. 3.
Act. 2.
Ioan. 4.

poterunt intelligere: adeò vt nihil magis desiderandũ sit, quàm vt DEVS multũ in nobis operetur, & nos ad id attendẽtes plenã in nos potestatẽ & fruitionẽ demus, vt, quoniam in hoc mũdo ipsum intuitiuè vel quidditatiuè cognoscere nõ possumus, saltẽ per effectus, quos in nobis experimur, bonitatis & infinitæ condescentiæ eius erga nos, discamus colligere qualis ipse in se sit. Si enim in hoc exilio ita incredibiliter erga animam se inclinat, quid faciet in patria? Hæc porrò cognitio hanc diuinam experientiam non præcedit, sed ex ea resultat: neque eius causa est, sed effectus dumtaxat, vt dicere possit, *Mirabilis facta est scientia tua ex me*, &c.

Desiderandum est, vt Deus in nobis operetur.

Ex hac experientia colligi etiã posse videtur, voluntatem potentiam longè intimiorem & profundiorem in interiori esse, quàm intellectus sit: cùm anima per intellectum operans, sentit se adhuc nonnisi in superficie veræ introuersionis esse, nullum aliud ad se à contagione rerum terrenarum seruandi effugiũ habens, quàm vt se sublimè eleuet ad culmen sphæræ & capacitatis intelligibilis, ita ad DEVM se suspendendo tamquam ad rem altam & super se

Qualem cognitionem adferat experiẽtia.

sublimem. Sed statim atque intellectu superato anima penitus ingreditur & operatur secundùm voluntatem, in introuersionem ita intimam, & in procedendi modum ita profundum intrat, vt centum leucis à rebus exterioribus se existimet distare; & vbi iam DEVS adhuc intimius se infundit, & operationem amoris orditur, hoc ita intimè in hoc centrum penetrat, vt nullis verbis sat dignè queat exponi. Et quod anima durante diuinâ hâc infusione experitur, perinde est ac si in voluntatem nouum quoddam vitæ spiraculum inspiratum esset, quod omnia animæ viscera penetret, & aliquãdo per omnia se diffundat; & nulla pars quantumuis exigua intus est, quin aliquẽ eius pro modulo suo & capacitate effectũ sentiat; sed iuxta totã suã possibilitatẽ insensibilẽ se reddens, secundùm omnem aliã potentiam intra sôlam voluntatem se cõtrahit, vnde omnis huiusmodi fruitio originẽ trahere videtur, & ipsi DEO, qui talis effectus amoris, quẽ ipsa in se sentit, principiũ & fons est, adhærescit.

Porrò hoc fieri posse, scilicet, amorem ortum suum non à præuia cognitione, sed solum à DEO, qui eam sic im-

mediatè in voluntatem inspirare possit, velut effectū Spiritui sancto in ipsa habitanti appropriatum, testantur non solū expositores & interpretes D. Dionysij Areopagitæ supra iam indicati, verùm etiam S. Bonauentura, Paludanus, Thomas de Argentina, Ocham, Gerson, & Conimbricenses lib. 3. de Anima c. 13. quæst. 2. artic. 2. his verbis: *Nobis dicendum videtur cum alijs, licet vi naturæ nonnisi cogitata amemus, tamen actum voluntatis & elici & conseruari diuinitus posse absque notitia. Enimuerò notitia cōcurrit tum efficienter, tum obiectiuè, atque adeò formaliter extrinsecè, ad actionē voluntatis. Si autem de huiusmodi concursu effectiuo loquamur, clarum est posse illum a* DEO *suppleri, tam ad eliciendum primo quam ad conseruandū actum voluntatis, concursum verò formalē extrinsecum quem præstat notitia, quatenus voluntati rem amandam aut fugiendam obijcit, nō est cur negemus posse diuina virtute suppleri, hoc est, posse voluntatem in obiectum tendere, esto id non, ei actu repræsentetur*

Auctores qui testātur, amorem sine cognitione esse posse.

tur

tur ab intellectu. Nec enim hoc vllã inuoluit repugnantiã, etsi contradictio aperta sit dari actũ volũtatis quin in obiectũ feratur, cùm ipse actus nihil aliud sit quam progressio quædã seu tendentia in proprium obiectũ. Itaq; non repugnat tendere volũtatem in obiectum non repræsentatũ, etsi fieri nullo modo queat, vt, dum operatur, non tendat in aliquod obiectum. Hęc Conimbricensis.

Meritò ergo dicebat S. Dionysius Areopagita: *Tu autem, ô amice Timothee, ad hoc quòd capax fias mysticarum contemplationum, quas in hoc libro docere intendo, sic cooperare radio diuino, derelinque sensus & sensibilia exercitia, & etiã intellectuales operationes, & omnia sensibilia, & intelligibilia, & omnia existentia, & non existentia, forti conatu mentis hæc omnia comprimente: & sicut est tibi poßibile consurge ignotè & supersubstantialiter ad vnitionem* DEI, *quæ est super omnem subståtiam & cognitionem.*

Circa quæ, dicet aliquis, per dereli- ctiones hasce sensuum & intelligibi- lium,

Suarez tom. 3. de religione

lium, nõ aliud à Dionysio intelligi quā negotiationem intellectus ad cognoscendum DEVM per illa, quæ ipso inferiora sunt; auferre scilicet volens omnem solicitudinem concipiendi Deũ, aut vt in seipso est aut iuxta aliquem proprium conceptum eius positiuum, vt spiritus in cogitatione alicuius eminentiæ ineffabilis, quæq; magis per negationem quàm per affirmationẽ considerabilis sit, requiescat; non autem, vt visionem vel aspectum interiorem, per spectacula mystica, prout DEVS quidem in hoc mundo cõtemplari potest, comprehendat. Sed veritas est, neminem vnquam, quid sub illis verbis contineatur, sine harum viarum experientia perfectè intelligere posse: vti idem Vercellensis in extractionum suarum Prologo ait: *Arbitror huius doctrinæ, & maximè mysticæ Theologiæ, medullas, mortalium neminem audiendo, legendo, studendo percipere, nisi intus doceatur ab vnctione.* Nam quantum ad hanc explicationem, quod excludat solùm negotiationem intellectus ad cognoscendum DEVM per res creatas vel per cõceptus positiuos, vt non tran-

seatur

featur vlterius ad negandum visionem vel intuitum interiorem, iamdudū negotiatio hæc intellectualis relicta fuit. Hoc enim primus in hanc viam mysticam ingressus fuit, vti cap. 4. expositum est. Vbi homo ad DEVM per negationem omnis conceptus à seipso formati ascendit; solùm per simplicem intuitum intellectualē in ineffabilem quandam eminētiam super omne quod imaginari, concipi, vel apprehendi potest, tendendo, & solum se ex parte sua exercendo in desiderio videndi, & tenendi eum, quem ex toto corde suo amare conabatur, in priuatiua omnis actualis positiuæ cōceptionis caliginositate exspectans, vt DEVS iuxta beneplacitum seipsū manifestare dignetur. Sed quòd postea vlteriùs, & post lumina illa infusa, vel radios intellectuales immediatè à DEO receptos, omnis hic intellectus de nouo, & eius capacitas transsuperetur, retro relinquatur, & per fortem depressionem deijciatur, & quòd etiam vltra omnem capacitatem suam perueniatur, tum demùm verè eorum verborum sensus intelligitur, & reipsâ practicatur, quod ijsdem continetur; sine quâ experientiâ difficulter intelli-

getur quid hoc sibi velit. Lincolniensis super illa S. Dionysij verba: *Cõsurge ignotè & supersubstantialiter ad vnitionem*, ait: *quæ quidem restitutio (id est consurrectio) fit per ipsius forte desiderium, & amorem superferui dum, quæ nulli ratiocinatiuæ inuestigatione potest esse cognita.*

At si quis superiora omnia eneruare vellet, dicẽdo, quod si, verbi gratiâ homo, quamdiu hæc secundùm voluntatem fruitio durat, per intellectum se applicaret attentioni alterius rei exterioris, puta auri vel argenti numerationi, vel simili actioni distractiuæ, statim eum experturum, omni hac machina spirituali ad terram concidente, etiam hæc amoris fruitio, quæ in voluntate residet, quamprimum euanesceret; huic respondeo, per hoc ipsum facilè videri, nos non per solam scientiam ad secretorum quæ experientia docet, cõprehensionem posse venire. Etsi enim hoc locum habere posset in fruitione per modum contemplationis non tamen in fruitione mystica per vnionem de qua hic agimus. Ita docent ij, qui per experientiam loquuntur, nõ minus hominem (hoc in statu) medias inter acies amare posse, quàm in abditissimo & secretes-

cretissimo conclaui orationi & meditationi peragendæ destinato. Et est certissimum, nisi scriptores Mystici sibi ipsis téperarent, dum proferunt ea quæ inueniunt, & prudenti quodam silentio eadem inuoluerent, dum verentur vt ne plurimi non forent capaces, & quod nō pauci facilè ijsdem abuteretur; fortasse res ordinario procedendi modo planè contrarias & quæ deliria, somnia, & ratione destituta plantasmata viderentur, dicturos. Sic apud alios auctores scriptum inueniemus, quod voluntas quandoque planè quieta & vnita erit cùm DEO, intellectus interim, velut equus effrenis, per sexcentarum extrauagantium fictionum chimæricarum campos, effusis habenis discursitabit; qui negligēdus est, vtpote qui nullum cum fruitione, quâ voluntas aliâ viâ quàm ipse DEO fruitur, commercium aut relationem habet. Ex quibus omnibus hoc saltem colligi potest, esse alia secreta magis occulta, quàm ea quæ sola cognitio sciētifica possit imaginari vel comprehendere. Vnde etiam non sine simili fundamento, multi, & quidem doctissimi æquè ac sanctissimi, nihilominùs expresè monuerint, ta-

les his in negotijs res esse, quarum sola experientia cognitionem dare posset. etiam in ipsis sacris Litteris. Eccles.3. *In pluribus operibus Dei non sis curiosus: plurima enim supra sensum hominum ostensa sunt tibi.* Apoc.2. *Vincenti dabo manna absconditum,* &c. *& in calculo nomen nouum scriptum, quod nemo nouit, nisi qui accipit.* Matt.11. *Confiteor tibi Pater, Domine,* &c. *quia abscondisti hæc à Sapientibus & prudentibus, & reuelasti ea paruulis.*

Serm. de Cōuers. ad Cleri. D. Bernard. *Solus spiritus est, qui reuelat; sine causa paginam consulis, experientiā magis require,* &c. *Nō illud eruditio, sed unctio docet; nec scientia sed conscientia cōprehēdit.*

Ser. 22. Idem in Cant. *Porro in huiusmodi nō cadit intelligentia, nisi quantū experiētia attingit.*

In fine itinerarij mentis in Deum. D. Bonauent. *Si quæris quomodo hæc fiāt, interroga gratiam, nō doctrinam; desideriū, nō intellectum; gemitū orationis, nō studium lectionis; sponsum, non magistrum; caliginē, non claritatem; non lumem, sed ignem totaliter inflammantem.*

ALIQVOT DVBIA VEL IN-*terrogationes proponuntur, & ad eadem respondetur.*

CAPVT XVI.

SI materiæ hæ spirituales, quas ad animarum Sanctarum profectum & con-

consolatioñe quàm potuimus optimè, exprimere sumus conati, prout quidem res adeò abstrusæ & arcanæ verbis rudibus exponi ac declarari possunt; ab omnib. benè caperentur, & à singulis iuxta rerum ipsarum sensum intelligerétur, non esset opus, tot verborum, monitorum & explicationum multiplicatione, & satis esse posset, quod hic antè ad longum allatum est: Quandoquidem animam è gradu in gradum ad vltimos vsque status, & ad ipsam totius viæ spiritualis ad DEVM consummationem cōduxerimus; adeò vt iam tantummodò illius, qui sapientiæ huius cœlestis studiosus est, partes sint, tam fideliter quàm industriè mysticam suam cum DEO negotiationem sic obire & dispensare, vt aliquando ad eam pertingere queat. Verùm, sicut ex vnâ parte intellectus noster humanus, hîc in terrâ, in mortali hoc corpore inclusus, sensibus, phantasmatibus, & speciebus intelligibilibus, illius vinacitatem mirè remorātibus alligatus est, vt plurimimum aliud non intelligens, quàm verba prolata rudi modo sonant, in ipsorum autem significationum amplitudinem non penetret, & in ijs quæ oc-

currunt difficultatibus applicare nequeat id, quod ipsa in intelligentiæ suę eminentiâ complectuntur. Et ex altera parte cùm hæ res admodum sublimes sint, & subtiles quasdam intelligentias, & quæ commodè applicari debent, vt iuxta eas se homo in praxi gerat, in se comprehendant; hinc, quia id non fit, à pluribus ad diuersos sensus, & sæpè quidem ad contrarias prorsus opiniones, ipsæ trahuntur, cùm vnusquisque idquod in Auctoribus legit, iuxta ingenij, captusque sui stupiditatem vel subtilitatem intelligat. Hâc de causâ, si quis perfectè velit intelligi, cumprimis necesse est, vt vnam eamdemque rem diuersimodè explicet, in ipsiusque explicationibus variè se diffundat. Hac occasione respondebimus hic ad nonnulla dubia vel interrogationes, vt ex eorum responsionibus res suprà dictas lector eò meliùs intelligat.

Primum dubium.

CVM res hæ adeò diuinæ & desiderabiles sint, dignęque quas nemo non quærat & ambiat, cumque DEVS sine vllâ personarum acceptione inueniri se sinat ab omnibus qui eum in veritate ex toto corde quærunt, & propè sit omni-

omnibus inuocantibus eum; imò, quod maius est, cũ nos inuitet ac vocet; pulset & tangat cor nostrum, vt ei aperiamus, & intra illud ipsum admittamus; vnde ergo fit has ita negligi, vt passim inauditæ, inaccessibiles, extraordinariæ, & velut obtentu prorsus impossibiles habeantur; idque non solùm apud mundanos in medijs rerum temporalium tumultibus agentes, verum etiam eos, qui ratione status & vocationis suę ad easdem aspirare tenentur; vti sunt homines in religione viuentes, & denotioni studentes; ac præsertim ij, qui eas alijs tradere & docere deberent.

Responsio.

HOc ipsum & ego summopere doleo, & de eo in vtroque prologo sum conquestus: vt enim omnes quotquot sumus, creati sumus vt per amorem & cognitionem ad DEVM redeamus, & ad hoc omnis vita & deuota ac religiosa tendat, referatur & ordinata sit, nec non omne quod adhibere possemus exercitium & praxis; satis dignè deplorari non posset stupida illa ignorãtia, quam hodiernâ die in omni propè statu inuenire est, cùm tã pauci sint, qui tant. momenti atque adeò serias

res cordi habeant, iisq; acquirendis studeant. Ij verò potissimùm culpādi sunt, qui cùm lux mundi esse debeant, eas sectari, quærere ac comparare deberent, primò quidem sibi, vt eas deinde alijs tradere possint. Cū enim ipsi eas ignorent, paruiq; faciant, quomodo earum amorem alijs ingererent? imò verò cùm eas nō intelligant, vti nec virtutē Dei, nec amoris eius mirabilia, eas quātum possunt carpunt, sugillant & obscurare desistūt; vnde reuera in causa sunt, cur infinitę animę nunquā huc pertingant, cū ipsi eas suo in regimine ac directione habētes adeò nō huc ipsas cōducunt, vt eas hinc potiùs retrahant, & quo minùs se huic studio applicēt, impediant, quæ tamen & capaces & aptæ forent, si modò necessarias instructiones accipere posset. Neq; enim animę vno omnes modulo dirigēdæ ac docendæ sunt: aliquæ enim naturâ suâ refractarię, turbulētę, inordinatę, inquietę & ad vias hasce interiores improportionatę & ineptæ sunt, aliæ verò ecōtrà admodū aptæ & idoneę sunt, vtpote naturaliter quietæ, prudentes, & omni in re tēperatę, & de his dico, quòd tātùm illis bona desit institutio & efformatio. Vtinā hac in re

omnes

omnes idem saperemus omnes eiusdẽ opinionis essem⁹, vt, vnanimes, vno ore honorificaremus DEVM, in tã beatarũ matariarum inquisitione & promotione, sicque terra, scientiâ & sapidâ cognitione DEI repleri posset. Sed cùm ij ipsi, qui deberent esse lux mundi, cæcorũ duces, magistri errantium, facti sint hîc tenebræ, diuinorum horum mysteriorum, secreta penitus ignorãtes, quid mirum si tenebrę mũdi tantę factæ sint? Hinc est quòd ipsi à cognitione veri spiritus DEI adeò procul distemus, & in regione dissimilitudinis, quę vitę diuinæ ita dissimilis est, erręmus; quamdiu scilicet semper in spiritu nostro naturali hæremus, nec ad diuini & supernaturalis fruitionem assurgimus; vt, cùm ij, qui huc iam attigerunt, aliqua de secretis hisce mysticis, deq; mirabilibus quæ inter DEVM & animam in illis regionib. spiritûs peraguntur, nobis narrant, eos ipsi non nouerimus, nec intelligamus quid dicere velint; sic vt verè in nobis locũ habeat, quod quodã loco Apostolus ait, animalem hominem nõ percipere ea quæ sunt Spiritus DEI.

1. Cor. 1.

1. Cor. 2.

Secundum dubium.

INsignes quidã Scriptores, dum obiter & velut aliud agendo de his materijs

loquuntur, potiùs vt eas obſcurent, quã vt eas promoueant, dicunt: SI DEO placuerit, facilè nos illc ditare, & ad haſce ſublimitates euehere poterit; ceterùm nullatenus hæ gratiæ ſponte ambiendę ſunt: nam rerum extraordinariarũ prætenſiones ita ſublimes & eleuatæ illuſionibus, erroribus & falſitatibus valdè obnoxiæ ſunt; ceteræ quidem viæ inferiores ſunt, ſed certiores; minùs excellentes, ſed in ſufficientiæ & paruitati noſtræ accommodatiores; itaq; melius eſt, inferioribus paruiſq; virtutib. cõparãdis inſiſtere: ecſtaſes, raptus, inſenſibilitates, impaſſibilitates, eleuationes, vniones, transformationes nõ ſunt virtutes, nec gratiæ ad benè DEO ſeruiẽdum, eumq; amandũ neceſſariæ, &c.

Reſpondeo.

RESpõdeo primò. Ita loqui, eſt omnia confundere, & non prudenter pretioſum à vili minuſq; æſtimabili ſeparare. Benè quidem dicitur, nõ eſſe quærẽdas nec ambiẽdas ecſtaſes vel raptus; nã & nos hoc ipſum in præſenti tractu iam ſuprà oſtẽdimus: ſed malè cum his coniunguntur eleuatio, vnio, & transformatio; cũ maius inter captus & hæc

ſit

sit discrimē, quā vt sic sub vnâ quasi rei minimè necessariæ reiectione & exclusione simul cōprehendantur. Iam antè sufficienter ostēdimus, eleuationem ad DEVM, aliud non esse, quā DEI faciem & præsentiā in spiritu nostro quærere, idq; sub amoris & affectuosæ erga infinitā eius bonitatē inclinationis motiuo; iuxta illust Psalmistæ; *Quæsiui vultū tuum, vultum tuum Domine requiram*; & vnionem DEO, & transformationē in ipsum, aliud nō esse, quàm regenerationē quandam in Spiritu sancto, Regnum DEI intra nos, ac nouū hominēm creatū secūdùm DEVM in iustitia & sanctitate, & ita nos ipsos neglexisse, vt planè diuino spiritui locum dederimus, vt in paruo hoc regno interiori regnet, viuat, & summū imperium obtineat. An ne autē dicere possem⁹, ad illa nos aspirare non debere, cùm quotidie DEVM orare debeamus, vt nomen illius in nobis sanctificetur, regnum eius nobis adueniat, & voluntas illius fiat? nō sic etiam Scriptura loquitur? vtpote quę tātâ cum energiâ nos adhoc excitat, *Quærite Dominum & cōfirmamini, quærite faciem eius sēper.* Et *Æmulamini charismata meliora: & adhuc excellētiorē viā vobis demonstro.* Ps. 104. 1. Co. 12.

ſtro. Et, *Mihi autem adhærere Deo bonũ eſt*
Hęc quoq; valdè quidẽ extraordina-
ria ſunt; ſed nonniſi ex cõmuni ſæcul
huius abuſu; alioquin ſibi perſuadere
eſſe res nimis quàm altas & ſublimes
nonniſi inſignis quædam eſt horũ diui
norũ ſecretorum ignorãtia. Cùm enin
vniuerſa hæc via in negatione, mort
& priuatione ſublimiũm conceptuum
diſcurſuũ & imaginationũ fundata ſit
nihil hic aliud faciendũ reſtat, quàm v
homo humiliter ſe in ſapientiâ ſuâ hu
manâ ſtultum reddat, vt feliciter ſecũ
dùm DEVM ſapiens fiat. Adeò vt my
ſtica DEI in animâ quæſitio, aliud non
ſit, quàm quædã omnis ſublimis ſpecu
lationis naturalis priuatio & carẽtia, v
homo in admirabili intellectus ſui diſ
curſiui demiſſiõe actib. affectionis & ad
Deũ deſiderij vacet, à quo ſolũ reſerua
ſimplicem apprehenſionẽ diuinæ eiu
bonitatis, præſentiæ, & magnitudinis
Dicere quoq;, DEVM nos poſſe ditare
Cap. 4. & ad has ſublimitates euehere, quotie
id ipſe, expedire iudicauerit, iam ſupr
refutauimus; & è cõtrà oſtẽdimus, De
non conſueuiſſe miraculum facere, no
violenter & velut inuitos ad ſe trahen-
do; ſed eum diuinas ſuas tractiones it
noſtra

nostræ cooperationi attẽperare, vt per nostros in contrariũ procendendi modos, eas obscurare & elidere possimus. Nunquam autẽ nos ad hasce res inquirendas extẽdere velle, per speciem scilicet & sub prætextu per vias inferiores, sed certiores, incedendi, est velut semper in ędificij nostri spiritualis fundamentis ita manere velle, vt palatium perfectæ DEI in animâ nostrâ habitationis, nunquã perficiamus, imò ne quidẽ altiùs euagamur. *Qui amat animã suã*, ait Christus Dominus, *perdet eam: sed qui perdiderit eam*, ad diuinum eius amorem quærẽdũ, *in vitam æternam seruabit eam*.

Tertium dubium.

IN toto hoc tractatu ad lõgũ via amoris & affectuosæ inclinationis erga DEVM deducta est; sed sunt multi, qui hũc modum ita prosequi nequeunt, sed vt plurimũ in ariditate, insipiditate, & omnis sensibilitatis priuatione agunt. qui ergo huiusmodi sunt, an doctrinæ hic traditæ participes non erunt?

Responsio.

NON sine ratione hactenus hoc in tractatu, varijs in locis ostẽdi, Deũ se diuersimodè cum animabus gerere. Nã vti noui, differentes esse dispositiones & naturas earũ, quæ DEVM quęrere studen-

ſtudent: ita & ſingulas harum nollē ad omnes regulas & modum, quas in vnoquoq; gradu hic præſcripſi, aſtringere: nā vti hic amoris & affectuoſæ ad Deū inclinationis viam deſcripſi, viā velut ſternens, quâ ad diuini eius ſpirit⁹ fruitionē perueniatur: ita poſſet alius quiſpiā aliâ viâ & modo conduci nullā ratione per hunc eleuationis vel aſpirationis modū incedere valens, vt qui per priuationem, tenebras, ariditates, paupertatem & inſipiditatem, potiùs conducatur, cuique pro ſolatio eſſe debeat, ſic ſaltem voluntati DEI morē gerere poſſe, & hac ratione pro viribus agens, adniti purâ reſignatione & voluntatis cōformitate id acquirere, quod alij per ſuos eleuationis & diuinæ erga DEVM affectionis actus acquirunt.

Notandū nihilominus eſt, permagni referre, quonam res quoque modo capiantur, imaginentur & concipiantur. Nam aſſerere poſſum in hâc amoris & affectuoſæ tendentię viâ, nō minus priuationis paupertatis & derelictionis modū contineri, quā in eo qui formaliter talis diceretur & nominaretur. Memineris enim primò, quod etiā in priori prologo dictum ſit, nō eſſe mihi propoſitum

positum de amore quodã puerili, sensibili, vel naturæ inferioris solùm, sed forti, animoso & rationabili loqui, & esto vniuersa via, diuini amoris pallio contegeretur, eam nihilominùs etiam abnegationis, denudationis, & transscendentię omnis eius quod DEO ipso ac consequenter omni gratia sensibili minùs est, viã esse. Deinde inter reliqua monita capitis. De Eleuatione quomodo ita inculcatum sit) vicissitudinẽ & priuationem ordinariò cõtingere postquam hęc aut illa potẽtia aliquẽ à DEO influxum recepit: sępè loco eleuationis contingere demissionem & depressionem profundissimam sub diuino spiritu: & præsertim dictum esse, animã scire debere, eam non modò proficere solere per actus intellectus & voluntatis, quos facilè & amorosâ quâdã inclinatione operabatur, verùm etiam in ipsa diuini concursûs priuatione, cùm nihil quod valebat, prout quidẽ ipsa censebat, facere poterat, &c. Denique monitis IX. de generali sui in DEVM resignatione, vt ani.na contenta sit, quidquid demum illi accidit. Omnia hæc imperceptibiliter animam conducunt, irretiunt & illaqueant in paupertatis & pri-

uationis retia. Et si omnia probè considerentur, resignatio ei velut panis est, cùm quâ omnia, quæ illi hâc viâ occurrunt digerere debet: hoc tantũ est, quod quia ab amorosæ tendentiæ in DEVM humore imbuta est, omnia sub nomine amoris transeunt, in eius naturam conuertuntur, & velut scalę sunt, per quam ad DEVM ascendit: Vnde hoc demum bonum sequitur, quod anima in nullâ re hæreat, ne quidem in tali cruce paupertatis vel priuationis, per tristitiam vel melãcholiam: quinimò semper hilarem & serenam se continet ad secundùm spiritum operandum, quoties ab huiusmodi priuatione ipsa assurgens, interior status inde clarior euadit.

Præterea, sicut animæ sunt, quę interius suũ minus peccati tenebris offuscatum habent, ita DEVM satis tempestiuè inueniunt, & interior earũ status paulatim illustratur, quoad vsque ad diuinæ præsentiæ manifestationẽ perueniant, etsi in gradu non vsque adeò perfecto, & quoties à dictâ præuiâ priuatione, quæ ipsis dispositionis cuiusdam loco est, assurgunt, toties eo magis & magis interiùs illustrãtur. Hinc operationes, quas cũ DEO habebit, nullatenus

ten⁹ sunt partis inferioris, sed ipsi itûs, & trium potentiarum superiorum, pro modulo fundi & principiorum gratiæ, quæ DEVS ipsis cõmunicat, iuxta præparationem in præcedenti præparatione factam: adeò vt sic addiscant non solùm diuinam voluntatem sequi in omnibus se ei conformando, sed etiã operari non iam amplius secundũ propriũ ipsarum instinctum, sed iuxta diuinæ inactionis beneplacitum.

Illæ ergo, quæ per viam priuationis conductæ, ampliùs & diutiùs detinebũtur, aut potiùs, quodammodo planè immergentur in tenebrosis, insipiditatis, ariditatis, & indeuotionis (iuxta partis inferioris dispositionem) erga quodlibet, exercitium spirituale statibus, eo plus in ijs frigiditatis & insipiditatis sentiẽtes, quo plus in ijs se spõte sua actiuè exercere vellent: idque etiàm iam tam, antè aliquam diuinæ pręsentiæ manifestationem experientes, imò ad illam nõnnisi per talẽ præuium priuationis statum perueniẽtes: huiusmodi inquam animę nõ est, quod se torqueant aut multum occupent circa documenta à cap. 4. vsque ad 9. tradita: sed caput 10. longè illis erit expedientius.

Sed,

Sed, quoniam inter verũ & sincerum se fallax & fraudulentus pene semper intermiscet, & quoniã multi nõ à DEO conducti per sufficientem quẽdam, quẽ hâc in viâ fecerint profectũ: sed ex seipsis potiùs & actiuè in similia, dum ea legunt & audiunt, se ingerunt, eáq; amplectuntur: hinc cap. 7. diximus sexcẽtis eos opus habere circũspectionibus, ne decipiantur & errent: Alioquin cùm verè à DEO proficiscitur, ficut in via affectiua priuationem vt insignem quendam fructum, & præparationẽ ad maiorem gratiã esse dicebamus, ita in alio illo qui nõ ita euidenter operationum vicissitudinẽ secundùm superiores potẽtias habet, erit diuturna. Ita *euidenter* inquam: si enim vtrumque bene intelligatur, aliquo modo inter se cõueniunt: nam sicut viæ affectiuæ, tenebræ & priuatio intermista sunt, ita nec via priuationis sine aliquâ viȩ actiuæ cõmunicatione est: eò quòd centro se dilatãte, & spiritu liquescente, suauis sæpe affectionis centralis motus percipitur: atque hoc ipsũ est, quod toto hoc tractatu partis amatiuæ operationem nuncupaui, ad distinctionẽ eius, quod per modũ intelligẽtiæ in spiritu à DEO accipitur.

FINIS.



8 — 1